Ricciardo

P

DE NOVITIO OPERE

quod inscribitur PRÆDESTINATVS,

AVCTORIS ANONIMI SEMIPELAGIANI

[in re, sub Prædestinatorum nomine, scribentis

ADVERSVS DIVOS SANCTI PATRIS AVGVSTINI DISCIPVLOS]

Consarcinato (ut supponitur) anno 434 tempore Prosperi,

Nuper reperto & impresso in Gallijs,

& à nemine hactenus reuocato ad examen;

NOVA QVÆSTIO HISTORICO-THEOLOGICA

in qua simul Historia elucidatur

DE PRÆDESTINIANA HÆRESI, ET SEMIPELAGIANA;

Ad Illustriss. & Excellentiss. Dominum

D. LAVRENTIVM SVPERANTIVM

SENATOREM AMPLISSIMVM

ac Serenissimi Veneti Senatus Præconsultorem Sapientissimum.

AVTHORE

F. SERAPHINO PICCINARDO BRIXIENSI

Ord. Prædicatorum, Prouinciæ Magistro, ac Theologo Primario Patauii in via S. Thomæ.

POST TRES EDITOS DE APPROBATIONE TOMOS

APPENDIX.

PATAVII, MDCLXXXVI.

Sumptibus Petri Mariæ Frambotti Bibliop. *Superiorum Permissu.*

Illustriss. & Excellentiss. D.

D. LAVRENTIO SVPERANTIO

SENATORI AMPLISSIMO

Et Senatus Praeconsultori Praestantissimo.

INcomparabile illud, omnique commendatione superius, Sanctissimi Patris, & Ecclesiæ Doctoris Augustini ingenium, cum semel à nobilissimo quodam Dario (nomine Honorij Imperatoris moderante Carthaginem) eximie se laudatum, Hippone manens, sensisset, hæc in Epist. 265 ad eundem rescripsit, quæ, rogo, (Senator Amplissime) te audire non pigeat: *Neque*, inquit, *mihi, ut ait quidam, cornea fibra est, ut hæc non sentiam* (scilicet alterum laudantem). *Mei laudibus cum profectò nec omnibus delecter, nec ab omnibus, sed eis, qualibus me dignum esse arbitratus es, & ab eis, qualis ipse es, idest qui propter Christum diligunt seruos eius, etiam laudibus meis me delectatum in verbis tuis negare non possum. Quod vero (ut ait Ennius) omnes mortales sese laudari exoptent, partim puto approbandum, partim cauendum. Vt enim appetenda est veritas, quæ proculdubio, etiamsi non laudetur, est sola laudabilis, sic ea, quæ facile subrepit, vanitas in hominum laudibus fugienda est, qualis est, cum vellet aliquis in se multum laudari etiam ea, quæ aut exigua laude, aut etiam vituperatione digniora sunt. De reliquo docuit nos per Apostolum suum noster*

Magister bonus, neque propterea nos recta facere, ut laudemur ab hominibus (idest finem recti nostri non in hominum laudibus ponere) & tamen propter ipsos homines etiam quaerere laudes hominum. Nam illis, quantum ad ipsos attinet, quod boni sint, sufficit: sed eis, quibus expedit imitari bonos, gratulandum est, cum ab eis laudantur boni, quoniam sic indicant eos sibi placere, quos veraciter laudant &c. Cur ergo me non delectet laudari abs te, cum & vir optimus sis, & ea laudes, quae amas, & quae amare utile est & salubre, etiamsi non sint in me? Neque hoc tibi tantum, sed & mihi prodest. Si enim non sunt in me, salubriter erubesco, atque ut sint, inardesco; & quae in me non agnosco, non solum ut ipse habeam desidero consequi, verum etiam ne semper in mei laude fallantur, qui me sinceriter diligunt &c. Hactenus, pro quocunque, ut omnium optimè, Augustinus, quae modo exscribere cogitaui, non dicam quidem, ut inde desumerem causam ad te scribendi in hoc opere (vir sapientissime aeque ac Illustrissime) qui me immerentem toties pro tua ingenita benignitate laudare, ut audio à pluribus usque in hanc diem, dignatus es, sed potius ut indicarem longe aequiorem fore ac veraciorem (nec tibi per consequens renuendam) in huius mei nuncupatione operis tuarum laudum libationem. Ad me enim quod attinet (cuius unam praeambularem dissertationem ut toleranter audires, dum beneficentissimus hic urbis Praefectus adesses, honorificentissima tua praesentia tunc meam tenuitatem honorare humanissimè non refugisti) illud sanè in alterum laudando, semper laudatissimè vir, praestitisti, tum ut generosa tua pietas emicaret, qua & alios saltem laudabiles esse percuperes, tum ut meliora aliorum studia incitarentur, quibus ad ea, quae superabundè laudabas,

con-

contendere conarentur. Verum si de te mihi liceret, & tuis simul tot celeberrimis à longo sanguine auis, quæ ingentia æque ac notissima sunt, sinceriori ac citatiori sermone transcurrere, quid, quæso, de antiquissimo illo Ioanne primo Superantio, Venetæ Reipublicæ Principe Serenissimo, dicturus essem, qui voluit, meruitque videre, simul vincendo ut vidit, se principante, additas Venetorum Dominio armorum vi, Iadræ urbes, Spalati, Tragurij, Enonæ, & Sicci, seu Sebenici, verum & Regiam Venetiarum urbem triplicis, ut vocant, Procuratoriæ ædificijs amplissimis auctam & exornatam conspicere, diuino, ut reor, instinctu pro illis præsertim duodenis Diui Marci Procuratoribus, qui ex eadem Superantia familia Procuratorias illas ædes deinde incolere, vel sua magis maiestate colendas ostendere, meruerunt. Quid (ut prætermeam tot inde intermedios heroes, ab isto usque ad subsequentes, quos solos velut nostris temporibus propinquiores hic nuncupo). Quid, inquam, de illo posteriori Ioanne Equite simul ac Diui Marci Procuratore, qui post seruatam in gemina Prætura sua, patriam Brixiensem meam, ac Bergomensem Ciuitatem, ab imminente Epidemica lue, & præter toties repetita gloriosissime munera Oratoris pro Serenissima Republica apud Hispaniæ Regem Philippum Secundum, Henricum Tertium in Gallijs, tresque simul succedentes Romæ Pontifices, in sua prima præsertim apud Beatum nostrum Pium V. Legatione, prægrande illud, orbique Christiano proficuum, (à Deo etiam per nauticæ victoriæ miraculum comprobatum) Principum Christianorum fœdus promouit, seduloque conclusit, habitoque mox inde ad Echinadas de immani Turcarum

rum classe triumpho, cum pro euentu renunciando ad Beatum accessisset Pontificem, ab hoc ipso pro nuncij munere honorario recepit frustulum ligni deiferi adorandum, quod aureæ crucis imagine clausum adhuc in primogenitos singulos tuæ Superãtiæ Familiæ, pro successione temporis, deriuatur. Quid de Benedicto, non minus tuo, eidem mox laudato Ioanni coæuo, qui in eadem Actiaca Christianorum pugna, ac victoria, cæteris animosior cum sua triremi (cui præsidebat) in densum sinum hostilis classis irrumpendo coniectus, post pertinacissimum cum integra ferme classe conflictum, nimio tandem lignorum hostilium numero, etsi virtuti non cedens, trillustri cum sue triremis incendio immortali renascens nomini, ut fortitudinis Phœnix, sponte Christianis victoribus auxit illustriora trophæa. Quid de duobus præmemorati Ioannis posterioris filijs, vix inferioribus Patre, quorum Franciscus alter, post extinctos in sua Prætura Vincentiæ ciuium adinuicem diù rixantium ac diffidentium tumultus, post exceptum sub munere honorarij oratoris, Venetiasque deductum, ut vocant, Zoiosæ Ducem, Legatus etiam Reipublicæ, tũ apud Hispaniæ Reges Philippum Secũdum & Tertium, tum apud Romanorum Imperatorem Rodulphum II., tum demum apud Paulum V. Summum Pontificem fuit; alter Hieronymus pariter Eques ac Diui Marci Procurator, easdem gessit Legationum vices, tum apud Philippum III, & IV. Hispaniarum Reges, tum apud Ludouicum XIII. Galliarum, tum apud Imperatorem Matthiam, tum Romæ apud tres succedentes Summos Pontifices Paulum V, Gregorium XV, & Vrbanum VIII, illeq; idem fuit, qui Vschochos Adriatica littora deprædantes

dantes valida manu, strenuaque virtute, excussit, extinxit. Quid tandem de recentiore patruo tuo, ac Equite gloriosissimo, Ioanne Superantio, qui Brixiensi Pretura auspicatissime functus, strenuè apud Angliæ Regem Legationem subiuit, ac demum Constantinopoli anno 1648 cum Baliuus adesset, dum præteritum anterius Turcicum bellum incępit, septem inclusus turribus (ante Ballarinum) pro Republica simul, Christianorumque rebus, gloriosissimam mortem obiuit, maiorumq; suorum merita, ne dum imitatus est, verum & postrema hac maiori laude cumulauit. Quid, quæso (& nunc repeto) de istis, totque maioribus cæteris, uti & veterioribus, nec suo nomine nuncupatis, hoc loco, dicturus essem, si quæ indicantis inuolucro pertransiui, exornantis panegyri, ut deberem, euoluerem? Quot simul ac quanta superaddenda nunc superabunde manerent de te horum laudatorum omnium germine meritissimo, si vel tuam hic Patauij accuratissimam Præfecturam, vel, inter tot alia exercita dignitatum munera, eam, qua nunc ingenti cum omnium plausu defungeris, Præconsultoris in cœtu amplissimo Senatorum, vel cursim saltem indigitare assumpsissem, aut singularis in te indolis nobilitatem, aut affluentium fortunarum copiam, in rebus decernendis cum generositate prudentiam, in exequendis cum dexteritate constantiam, in libratis moribus pietatem, in selectissimis disciplinis diligentiam, atque in omnium, (ut verbo dicam) virtutum studio iucundissimam consonantiam, citatissimo saltem sermonis excursu percurrere decreuissem? Vnum attamen tantum, inter tot reliqua, vel pro singularis imitatione virtutis hic reticere non debeo, vel pro meæ dedicationis in-

tento

tento nunc præterire non possum, quod, ut aiebat in fine sui libri *de nuptijs* ad Comitem Valerium Augustinus, *ab homine, qui te familiarius nouit, audiui te, inter tuas etiam publicas curas, nocturnas aliquas horas lectioni vigilāter impendere*, ideoque, ut in Prologo eiusdem Operis præmittebat, *scio me non esse oneri tibi, si aliquid prolixum nunc mittam ad te, quod legendo diutius sis loquuturus nobiscum* (quēadmodum aliàs me non illibenter te audiuisse per laudū etiam excessum testatus es): *nam & hoc comperi, quod inter tuas multas magnasque curas, facile ac libenter legis, si quæ in manus tuas peruenerunt, quanto magis, quod ad te scribitur (ubi tanquam præsenti loquamur) dignaberis & attentius aduertere, & accipere gratius?* Gratum equidem (si vel scriptionis materiam inspectare velimus) gratum non solum, verum perutile etiam est in sublimitate præsertim constitutis hominibus, (ut Diodorus Siculus admonebat in initio vitarum Philippi & Alexandri) *immo nihil vtilius iucundiusque contingere potest, quam quod in humanæ vitæ theatro historia partibus omnibus mire instructum habet*, dummodo tamen non *fabulares historiæ sint*, quibus intentus olim Imperator Tiberius à Suetonio legitur accusatus, *quod Grammaticos eiusmodi ferè historijs experiretur: quæ mater Hecubæ, quod Achilli nomen inter Virgines fuerit, quid Sirenes cantare solitæ essent*, & eiusmodi similes, quemadmodum etiam Seneca in Epistola 88. similes in Dydymo quæstiunculas historicas iuremerito deridebat: *in cuius libris* aiebat, *de patria Homeri quæritur, in his de Æneæ matre vera, in his libidinosior ne Anacreon an ebriosior vixerit, in his, an Sappho publica fuerit & alia, quæ erant dediscenda, si scires. Ergo* (vt mox ante moralis præmiserat) *illa discamus, quæ alios fecere sapientes. Hoc me quærere,*

vtrum

utrum maior ætate fuerit Homerus, an Hesiodus, non magis ad rem pertinet, quam scire, an minor Hecuba fuerit, quam Helena, & quare tam male tulerit ætatem. Quid, inquam, annos Patrocli & Achillis inquirere, ad rem existimas pertinere? Quæris, ubi Vlysses errauerit, potius, quam efficias, ne nos semper erremus? Non vacat audire, utrum inter Italiam & Siciliam iactatus sit, an extra notum nobis orbem: [neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus]. Tempestates animi nos quotidie iactant, & nostra nequitia in omnia Vlyssis mala compellit? Quid inquiris, an Penelopa impudica fuerit, an verba seruo suo dederit, an Vlyssem illum esse, quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me, quid sit pudicitia, & quantum in ea bonum, in corpore, an etiam in animo posita sit. Hæc religiosè hactenus Seneca, iuxta cuius simul & Patrum Ecclesiæ monita, non miraberis (vir prudentissime) si nec nos inanes eiusmodi, immo nec ultro profanas, pro nostri munere instituti, sed sacras quæritamus materias; scilicet Theologicam hoc loco historiam tuo Illustriss. & eximio Nomini nuncupamus. In qua præ rerum profanarum Scriptoribus non mea eadem esse ac illorum conditio videtur: (aiebat præ illis & de se ipso Hieronymus in præfatione de Scriptoribus): *Illi enim veteres historias annalesque replicantes, potuerunt quasi de ingenti prato paruam opusculi sui coronam intexere: Ego autem quid acturus? qui nullum hic præuium sequens, primus, ut dicitur, magistrum memetipsum habere compellor?* Rem enim aggredior hactenus cæteris inacessam, hinc adeo obscuram, ac turbidam, Delioque natatore indigentem, ut me proijcere cogar in altum, nullo duce vel comite nataturus, inter medios, instabiles vastosque vortices fluctuantis ac tacitæ, iam millenariæ ætatis & amplioris

antiquitatis, expiſcaturus, ut potero, vel veriſimilitudinem, vel veritatem, quam ſtudioſe perquiro, ut quam inuenerim pandam, non quoad hoc adhuc inuentam, immo, quod abſque vel mei iactantia, vel cæterorum injuria dicam, de hoc pene neque hactenus perquiſitam. Opuſculum eſt (de quo hic loquimur) ſub Prædeſtinati titulo inſcriptum per tot ſæcula incognitum antea, nũc primo repertum, ac evulgatum in Gallijs, uti ſupponitur, ſcriptum anno ſalutis 434, poſt obitum Cæleſtini Primi Summi Pontificis, Auctoris Anonymi, ſed profeſſione (ut videbimus) Pelagiani, ſcribentis aduerſus viuentes tunc Diui Auguſtini diſcipulos (qui quatuor mox ante annis obierat) per bene millenos ducentos ac quinquaginta ab hinc annos elapſos. An hinc idem opuſculum, ſub protractæ adeo vetuſtatis titulo editũ, de recenti conſtructum aut fictum putari queat, vel ſi legitimum non ſpurium appareat, quinam eiuſdem Auctor verus extiterit, qui refert quoque exſcriptum eodem tempore libellum alterum, *ſub nomine Auguſtini confictum*, velut ab eiſdem vigentibus tunc Auguſtini diſcipulis fabrefactum, & evulgatum, de his, inquam, omnibus nũc hæſitatur, uti & de Auctore eiuſdem libelli ſcatentis hæreſi Prædeſtiniana, qui Auguſtino tunc attributus in eodem opuſculo recitatur. Ex quibus, ſi ea enodari contingat, non exigue illuſtranda dependet hiſtoria grauiſſima altera de hæreſi Prædeſtiniana, & non ſolum de Semipelagiana, quæ varia hoc ſæculo, ac diuturna, inter Recentes, doctoſque viros, excitauit diſſidia. Cum itaque hæc omnia non contemnendæ utilitatis, ex modo perpenſis, pro veritatis indagine, viderẽtur, operæ pretium arbitratus ſum, hoc æſtiuo inter-

ſtitio

ſtitio ſtudiorum tempore, per tres circiter menſes, hæc ſingula ad limam ac trutinam aduocare, tuoque nomini edenda ſacrare, ut ne dum Scriptori patronus (qualem te antea licet immeritus venerabar) verùm & ſcriptioni cenſor aut arbiter inuocareris, qualem etſi de mea trepidus tenuitate, de cauſæ tamen merito ferme ſecurus, exopto, & pronus tandem ac venerabundus hic deprecor. Vale.

Excellentiæ Tuæ Illuſtriſs.

E Conuentu S. Mariæ Gratiarum Patauij

Humillimus Addictiſs. & Obſequentiſs. Ser.
F. Seraphinus Piccinardus à Brixia Ord. Præd.

b 5 Ad

AD LECTOREM
INGENVE IVDICATVRVM.

TE iterum conuenio, Lector, rem mei genij, licet non scholæ quæstionem, acturus, (ut quidam fortasse percuperent, ac non pauci flagitare solent): Scholastici etenim generis tot volumina prodeunt in dies, & à maioribus anterius edita exuberant, ut licet pro meo in publica Vniuersitate professionis munere, nedum iam scripserim olim, verum & ultro nunc scribam, ut Legam ac doceam, hactenusque digestos in ordinem habeam singulos philosophicæ scholæ, ac septem Theologicæ tomos, nihil tamen ex ijs vel usque adhuc ediderim, vel me cogitem editurum, ne ligna in syluam afferam, orbique litterario iam ferme saturo eiusmodi tantum saporis cibos velut nauseanti stomacho ingeram. Alterius idcirco generis res pertractandas, dummodo sacras, nec ita de triuio peruias, exquiro, quibus facilius queam, ut spero, & tua, & mea in res huiusmodi perpensioni indulgere. Arripueram propterea anteriori mox tempore calamum in excerpta quædam ex nouemdecim tomis de Ecclesiastica historia (etiam antequam proscriberentur) postmodum Romæ proscriptis, Auctoris, (ut dicam ingenuè) quem iuuenem scripsisse non vellem, cum eum excussare non valeam, & de quo alioquin antiquitatis studiosissimo, eruuatto, ac diserto, compellor illud cum Augustino repetere libro 2. ad Bonifacium Cap. 3: Homo acerrimi ingenij, qui si correctus fuisset, plurimis profuisset. *Et quidem hunc super omnia dolebam in aliqua etiam minus honorifica in Apostolicam sedem excurrisse, quæ iam ab altero nobis extraneo primum camerinam mouente exagerata perniciosissimè fuerant, isteque deinde, aliquibus forsan assentando, aut indulgendo nationi, sibi affricari permisit, qua de causa non omisit continuo nostra Religio (pro ingenita sibi ac probata fidissima in huiusmodi vel suspicionibus obseruantia) præstare id ipsum, quod egisse laudatur mater illa Pausaniæ, de proditionis suspicione conuicti, quæ statim ac talia persensit, (ut narrat, ac loquitur Cornelius Nepos in Pausania)* in primis ad filium claudendum ad introitum ædis lapidem adferebat. *Sed, cum in hunc, ut dicebam, scribere incæpissem, adeo scriptionis eiusdem aliqua etiam in nostram scholam stomachatus*

ctus sum, ut bile commotus ac nausea, vel hastam proÿcere compulsus fuerim, dum licet ex nobis exierit, non tamen ex nostris se ostendisse videretur, adeo minus reuerenter in nostrum etiam Angelicum Praeceptorem legitur obloquutus, in saeculo primo parte prima pag. 95. & 219. & alibi saepe in subsequentibus tomis (quos nec omnes ab initio obtinueram, nec singulos legi) praesertim vero in parte secunda saeculi undecimi & duodecimi pagina 396, ubi hoc iustum meritumque epitheton Summo Pontifici datum à nostro Angelico in 2. Sententiarum distinc. 44. quaest. 2. Art. 1. ad 4. (ut pag. 390. recognoscit & ipse) velut tenenti apicem utriusque potestatis &c. *quemadmodũ &* Apex diuinus *Summus Pontifex nuncupabatur actione 11. Conciliÿ Chalcedonensis initio, &* apex Caelestis dignitatis *apud Leonem 9. epistola 1, ut ei etiam subiecta dignosceretur Imperatorum dignitas, quandoque dicta* diuina *&* Caelestis, *ut obseruauit Iuretus ad Symachum lib. 5. epistol. 66, & libro* 10. *epistola 37. hunc, inquam, titulum in quibusdam deinde thesibus positum, in urbe quadam proscriptum esse, nedum iste recenset, verum & tripudiante exultatione congaudet, additque (quod dirius est)* se ipsum harum censurarum doctrinae, non atramento solum, sed toto profuso sanguine, si opus fuerit, subscripturum: *Apage: Numne hunc nostrum (licet ex nobis exierit) vel appellabimus, vel appellari probabimus? An non potius quilibet vel aduersarius agnoscet, tantum rarissimos illos & incautissimos (inter quos iste ex ordine nostro primus, ut reor, & forsan postremus erit) illos, inquam, solos in similes proruere lapsus, qui à praesignatis per S. Thomam vestigÿs audaculi & insidi abscedere aut declinare praesumpserint? Quia de altero adhaec loco priori (ut alia cuncta dimittam) in 3. p. saeculi primi pagina 107? ubi & eam historiam sacram in toto ordine nostro alibique tam celebrem, de Carolo 2. Siciliae Rege ope Diuae Magdalenae è carcere Barchinonensi liberato, hic Aristarchus adeo deridet, ut nec vereatur* fictitium miraculum *appellare, & tamen praeter transcriptam ex antea damnato Diatribarum opusculo eam obiectionem (quam ipse disolueram libro 4. quaest. 1. Ar. 1. ad 3.) nihil aliud iterum pro oppugnationis ariete promouet, nisi quod reuelatio & inuentio exuuiarum Diuae Paenitentis in Phocensi Prouincia alligata legatur ad annum 1279, captiuitas vero Caroli apud Aragonios posterius sequuta, post annum 1283, permanserit usque ad annum 1289, quo demum anno idem Carolus compositis ex pacto rebus, instanteque etiam Nicolao 4. Pontifice liberatus ad suos regressus sit.*

Quam

Quam quidem ex temporis consideratione obiectionem, fateor, non tetigeram ibi, quia nec factam ab aliquo audiueram: Sed aliunde non operose à quocunque enodari valebit, attendendo nimirum, non una vice (ut gratis iste supponit) sed pluribus, saltem duabus vicibus, Diuam Magdalenam eidem Carolo se præbuisse in reuelatione visendam (uti & in Chronico, quod apud Sanctum Maximinum asseruatur, ac legitur, & si subobscure & ex parte confundente tempora, hæ repetitæ visiones expressæ leguntur, illis extantibus verbis, Primo &c. Secundo &c.*), & in prima quidem visione seu reuelatione sequuta ad annum 1278. sacræ primum exuuiæ detectæ, anno subsequenti honorificentius collocatæ sunt, uti hanc primam, ac indubitatam, mirabilem reuelationem testatur adhuc conceptis verbis (præter antiquum prædictum Chronicon) Caroli filius Robertus Rex Hierosolymarum & Siciliæ, Comesque Prouinciæ, in datis & extantibus diplomatibus ad Priorem & FF. Prædicatores S: Maximini sub die 7. Decembris 1337, agnitis etiam ut certis ab eodem aduersario nostro pag. 92, dum Rex iste eiusdem Caroli II. filius, eiusdemque in Regno successor, de Monasterio S: Maximini verba faciens aiebat:* Beatæ Mariæ Magdalenæ est prætiosum ibi corpus reconditum, per Claræ memoriæ Dominum patrem nostrum mirifica reuelatione *(id, quæso, adnotetur)* mirifica reuelatione repertum. *Altera vero posterior ea visio fuit, in qua idem Carolus secundus Roberti pater, post adinuentas ex prima reuelatione reliquias, postea in Aragonia captiuitate, cum iam agnitam Sanctam patrocinantem pro sui liberatione precaretur, eandem rursus sibi apparentem obtinuit, præmemorantem & eam primam reuelationem velut pro perennantis sui patrocinij pignore datam, ac inde, si vellet cernere res suas compositas, carcereque emancipari, tunc sibi sedulo præcipientem, ut locum illum (in quem secum reducem eundem in hac posteriori visione deducebat)* filiis suis, *hoc est, hominibus Ordinis Prædicatorum adiudicaret, constructoque ampliori cænobio ditaret, ut præstitit, & peregisse re ipsa extantia certissima & autographa plurima monumenta, etiam ex facto, conuincunt. En quomodo & prææducta per istum argumentatio exsufflatur. En quomodo (ut cum Latinorum Homero concludam)* quomodo certamina tanta pulueris exigui iactu compressa conquiescunt. *Sed hunc quæso, Lector, omittas, quemadmodum & ipse dimisi, cum prius, ut dixi, excerpta quædam eiusdem excutienda, ac rejcienda, assumpsissem, & ab illo tunc meo cogitatu priori deflexit, abduxitque novum alterum, & forsan*

longe

longe opportunius, opusculum examini subijciendum? Cum enim elapsa hac proxima æstate legendos mihi non exiguo impendio comparauissem ingentes illos Maximæ Patrum Bibliothecæ tomos viginti septem recentissimè cusos editosque Lugduni, præ cæteris in tomo postremo vigesimoseptimo offendi opusculum nuper repertum, non antea visum, quod Prædestinatus inscribitur, Auctoris Anonymi Pelagiani vel saltem Semipelagiani, scribentis anno circiter 434. contra Augustini discipulos, ac si illi fuissent hæretici Prædestiniani, & Prædestiniana cuiusdam epistolæ artifices Augustino supposita, quam (post enumeratas in priori libello singulas hæreses vsque ad Nestorianam suo tempore à Cælestino damnatam, eidemque ut postremam, Prædestinianam subiunctam) in secundo libello exscriptam refert eandem Prædestinianam epistolam, ac demum in suo tertio libello tanquam ab eisdem Augustini discipulis consarcinatam ac evulgatam eandem, simul & Augustini discipulos ut Prædestinianos hæreticos, prosequitur oppugnare, nec oppugnat solum, sed & conuitijs lancinat, & calumnijs infamat. Hunc itaque librum cum non sine indignatione legissem, miratusque essem, non dum ab aliquo improbatum, quinimo ibidem in breui præfixa præfatione insuper commendatum, abstinere non potui, quin statim interruptis reliquis omnibus (licet alteri addictus muneri, cæterisque præuentus curis, parumque tum corporis semper imbecilli, tum animi minus instructi, adiutus viribus) hoc sine alio præeunte ductore, hac breui saltem ac veluti tumultuaria lucubratione ad examen aliquod reuocarem; Cuius tamen qualiscunque laboris (qui mihi sane non exiguus fuit, præsertim ob temporis breuitatem, quod nouæ Studiorum apertioni remanebat) ea meta fuit, defendere Sanctos Augustini discipulos, quibus, ut in progressu videbis, Prædestiniana hæresis imputabatur, & pleraque exinde dubia subnascentia discutere: An scilicet istud integrum Prædestinati opusculum nunc denuo repertum in Gallijs, atque in Patrum Bibliotheca locatum, legitimæ vel potius spuriæ antiquitatis existimandum sit, seu an vere sæculo quinto compositum, vel potius hoc sæculo nostro ad conflandam quibusdam inuidiam consarcinatum de recenti timeri queat? Quinam (admisso semel antiquum fuisse, licet videatur ex noua inuentione nouitium) quinam, inquam, fuerit eiusdem scriptionis Auctor, quinam & Auctor Epistolæ tunc sub Augustini nomine circumlatæ, Quinam Patres hoc Semipelagianum calumniatoris opusculum sæculo 5. vel 6. vel recognouerint, vel reprobarint, ac repercusserint, ut sine dubio debebant:

Qui-

Quinam tandem (ut alia dimittam, quæ in subnectendo mox indice distincta conspicies) quinam in eodem opusculo errores patuli, cauendique ut hæretici veniant? Hæc omnia & singula (ex quibus etiam longe distinctior ac clarior historia de hæresi Prædestiniana & Semipelagiana dependet) in hac nostra lucubratione tractanda suscepimus; an bene autem pertractata sint, tuum erit (Lector ut arbiter) ingenuè iudicare. Tenebrosam profectò viam (& ipse fateor), sine aliquo præferente facem aut lampadem, ingressus sum, arduamque vel sine comite sublevante laborem, & angustam semitam, nimisque longinquam (ob nimiam examinandi operis antiquitatem ab annis quinquaginta supra mille ducentos) percurrere coactus fui, (vel potius, ut melius dixerim, ausus) cum utique præoptassem & alios aliquos audire, ac inter cæteros Henricum Noris (quem virum eruditissimum & amicissimum summopere colo) quem etiam ut de hac re scriberet rogauissem. Sed quia res ex voto non contigit, illeque (de quo præsertim pro suo ac nostro Augustino, eiusdemque discipulis, ac pro sua in historia Ecclesiastica, quam profitetur, singulari peritia, id sperauissem) grauioribus forsan intentus alijs, ad caminum incudemque hæc adeo noua reducere, vel non valuit, opinor, vel sibi comperta alia quacunque de causa non voluit, idcirco pro rei necessitate arbitratus sum præstare interim, conarive aliquid, atque de re tam graui aliquid evulgare, ne omni vel minima, non solum optima, admonitione Lectores in eodem opusculo cautè perlegendo carerent. Excipies igitur, rogo, ad hunc finem saltem, lubenti animo, Lector, quæ interea (Dei gratia præueniente & adiuvante) ipse de paupere penu meo suggerere potui, suscepturus deinde meliora ab altero aliquo me sine dubio doctiore. Non enim nos tanti nostra æstimare solemus, ut vel alienis cæterorum scriptorum progressibus eadem præferamus, vel ex meliori Doctiorum iudicio nostra corrigere renuamus. Immò ut cum Hieronymo loquar, nos ad pauperis lucernæ igniculos in nostri monasterii angulo seu naguriolo qualiacunque nostra dictamus vel scribimus: cum in tabernaculo Dei (*ut idem pergebat libro 2. in Rufinum Cap. 7*) offert unusquisque quod potest. Alii aurum & argentum, & lapides pretiosos, alii bissum & purpuram, & cocum offerunt & hiacinthum: nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Aliud tamen est (*ut idem præmittebat libro 1.*) si quidam vulgi lectione contenti, (*dum nimis inania vel plebeia scripturiunt*) doctorum aures despiciunt. Quotidie etenim in plateis fictus hariolus stultorum aures

ver-

verberat, & obtorto scorpione dentes mordentium quatit: & miramur, si imperitorum libri Lectorem incurrant? *Et miramur* (*dicerem ipse, uti & dicere volebat Hieronymus*) *si popularibus eiusmodi rerum inanium scriptoribus quandoque vulgus applaudat?* Nos sanè *cum eodem Hieronymo*, simplices & cicures Ennsani *credi potius mallemus præ istis, nec doleremus dum non imitaremur eosdem, errones alioquin homines, negotiosissimos, ac subuentanea plerunq; oua parientes, qui cum Appione illo* Cimbalo mundi *appellato, alterum postea pro mala corporis valetudine hæredem domui, sua maiori negotiosa solertia deludunt; quos tamen olim in urbe Roma pro nobis prædescripsisse videtur & Seneca libro de tranquillitate animi Cap. 12. dicens:* Circumcidenda est concursatio, qualis est magnæ partis hominum &c. Alienis se negotijs offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem exeuntem de domo interrogaueris: Quò tu? quid cogitas? respondebit tibi: non mehercule scio: sed aliquos videbo, aliquid agam. Ita sine proposito vagantur, quærentes negotia, nec quæ destinauerunt agunt, sed quæ incurrerunt. Inconsultus illis vanusque excursus est, qualis formicis per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum, inanes aguntur. His plerique similem vitam agunt, quorum non immeritò quis inquietam inertiam dixerit. Quorundam quasi ad incendium currentium miseraberis, vsque eo impellunt obuios, & se aliosque præcipitant; deinde domum cum superuacua redeuntes lassitudine, iurant nescisse se ipsos, quare exierint, ubi fuerint, postero die erraturi per eadem illa vestigia. Non industria quoque inquietos, & insanos, falsæ rerum imagines agitant: nam ne illi quidem sine aliqua spe mouentur: proritat illos alicuius rei species, cuius vanitatem capta mens non coarguit. Eodem modo unumquemque ex his, qui ad augendam turbam exeunt, inanes & leues causæ per urbem circumducunt, nihilque habentes, in quo laborent, lux orta expellit. Ex hoc malo dependet illud teterrimum vitium, auscultatio, & publicorum, secretorumque inquisitio, & multarum rerum scientia, quæ nec tutò narrantur, nec tutò audiuntur. *Hactenus Seneca, & nos satis superque tecum, Lector ingenuè, loquuti præfatique sumus. Vale.*

TOTIVS OPERIS
IN TRES SECTIONES DISTRIBVTI,
Sectionum ſcilicet Articulorum, & Paragraphorum.

INDEX.

SECTIO PRIMA.

Cæle-

 drum,

Con-

INDEX.

Continuatio Antidoti Operisque Conclusio.

Totius Operis Indiculi Finis.

Errata aliqua minutiora, quæ continent vel vnius litterulæ additionem, vel omissionem, aut variationem, facilimè dignoscenda, ac condonanda typographo, à Lectore humaniter ferenda, aut corrigenda dimittimus: quæ vero auctoris sensum quodammodo tangere, aut immutare valerent, ista præcipuè occurrerunt.

Errata grauiora sic corrigenda.

Pag. 18. Henricus Noris, sic corrige, & repone, Aloysius Torellus cum Baronio. pag. 26. annum, anno. pag. 29. in Italiam, in Italiæ confinia. pag. 32. errore, errores. pag. 41. Galiæ, Goliæ. pag. 78. anno 439, anno 429. pag. 144. Causiaca, Carisiaca. pag. 262. coctione, coactione. pag. 268. vincerentur, vincerent. pag. 287. Angelicum, Angelicus. pag. 365. *anno 399, quo Augustinus non adbuc in Africam remearat*, repone sic, *vel adolescens Prosper non adbuc Augustino innotuerat*. pag. 376. suosve, se suosve. pag. 363. Baconius, Baronius.

APPROBATIONES OPERIS.

Nos Fr. Antonius de Monroy Archiepiscop. Compostellanus, Ord. Prædicator. humilis Mag. Generalis, & Seruus.

HArum serie, nostrique auctoritate Offitij, facultatem, & licentiam concedimus tibi Adm. Reu. Patri Magistro Fratri Seraphino Piccinardo de Brixia Prouinciæ nostræ vtriusque Lombardiæ Theologo Primario in Vniuersitate Patauina, ut Typis mandare possis Opusculum à te compositum, cui titulus: *Appendix ad tres editos de Approbatione tomos; De Nouitio Opere &c.* Dummodo ab Adm. RR. PP. Magistris Fr. Iacobo Salomonio, & Fr. Nicolao Arnù Metaphysico nostri Ord. reuideatur, & approbetur, seruatis aliàs de iure seruandis. In quorum &c.
Dat. Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ super Mineruam die 21. Augusti 1685.

Fr. Antonius de Monroy
Archiep. Compostell. & Mag. Ord.

Reg. Fol. 22.

Fr. Io. Baptista Ciardus socius.

Die 28. Augusti 1685.

NOs infrascripti vidimus, & dignum, qui edatur, approbauimus librum inscriptum *de Nouitio Opere Prædestinati &c. Appendix &c.* In quorum fidem his manu propria subscripsimus.

F. Iacobus Salomonius Mag.
Fr. Nicolaus Arnu Mag. & Metaph. Publ.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore, nel Libro intitolato, *De Nouitio Opere, quod inscribitur Prædestinatus, nuper reperto, & impresso in Gallijs, Appendix ad Tomos editos*, Authore P. M. F. Serafino Piccinardi, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Catholica, e parimenti per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza à Pietro Maria Frambotto di poterlo stampare osseruando gl'ordini, &c.

Dat. li 18. Agosto 1685.

{ Nicolò Venier Proc. Ref.
{ Girolamo Gradenigo Pr. Ref.

Gio. Battista Nicolosi Segr.

DE OPERE PRÆDESTINATI,

VT INSCRIBITVR,

APPENDIX IN TRES SECTIONES DISTRIBVTA.

Auctoris Proœmium, & Ordo Scriptionis.

AVctor Prædestinati suum Semipelagianum Opusculum in tres libellos dissecuit, in quorum primo omnes hæreses numerauit vsque ad Nestorianam sub Cælestino damnatam, quam penultimam ponit, postremam autem adnumerat Prædestinianam, quam sibi proponere prosternendam gloriatur, ac iactat; in secundo non affert nisi exscriptam quandam Epistolam *sub Augustini nomine confictam*, vt ipse per calumniam supponit, ab Augustini discipulis fabrefactam: in tertio demum eandem vt vere Prædestinianam, ac inde Augustini discipulos, viuentes eo tempore statim post Augustini obitum, velut Prædestinianos fabricatores eiusdem Epistolæ aggreditur impugnandos, & toto libro tertio proscindit. Ad huius igitur exemplum, ac methodum, & nos hoc nostrum (pro Appendice ad tomum postremum editum de Approbatione Doctrinæ S. P. Augustini) nostrum, inquam, examen hoc diuidemus in tres similiter Sectiones, in quarum prima & præcipua historicè veluti de toto opere Prædestinati inquiremus; in secunda (præmissa ad Lectorem admonitione, & censura) legendum dabimus idem Opusculum Prædestinati, vt cum nostro præmisso examine historico conferatur. In tertia tandem dogmaticum apponemus quarundam notarum Antidotum, nè virus effundatur eiusdem, & sic consequenter eundem Semipelagianum Scriptorem oppugnatum dabimus, ac refutatum.

SECTIO PRIMA.

Nouæ Quæstionis Historico-Theologicæ.

An fluxa fidei censenda sit recens editio facta primum à Sirmundo (postea repetita à nouo Collectore Bibliotheca Patrum in tomo 27) Operis, quod inscribitur Prædestinatus, & legitur subdiuisum in tres libellos, vti mox antea exponebatur.

OPusculum igitur (cuius examen proponimus) editum primitus à Iacobo Sirmundo Societatis Iesu, agnouit post ipsum, ac fine examine præteriuit, Theophylus Rainaudus eiusdem Societatis scriptor in Hoplotheca Sec. 2. Serie 1. Cap. 6. Natalis Alexander dissertatione 5. in seculum 5. contra se pro obiectiooe allatum vix fœtum legitimum recognoscit, breuiterque ac per transennam fine vlteriori discussione dimittit: Noster pariter Vincentius Contenzonius Tom. 5. dissertatione 3. in sua Appendice §. 1. contra se refert hunc librum Prædestinati, sed vna linea despicit, ac pertransit. Nunc denuo cum sola breuissima præfatione Sirmundi reimpressum legimus in noua Bibliotheca Veterum P. P. fol. 543. nec alium vsque adhuc vidimus, qui de hac difficultate, quam nos discutiendam suscipimus, pertractarit, An scilicet commentitium totum Opusculum sit, vel si legitimæ antiquitatis supponatur, quinam vere huius operis scriptor, & quinam pariter author libelli fuerit sub nomine Augustini confisti, qui in hoc opere exscribitur, & impugnatur. Hanc igitur rem subobscuram, ac plane implexam cum ferme fine duce aggrediamur (ex qua non pauca pertinentia ad historiam hæresis Prædestinianæ, & Semipelagianæ dependent) quærendi veritatem animus, si non inuentæ euentus, forsan videbitur laudandus, vel saltem (si id etiam negetur) ferendus erit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Hæsitandi rationes, vel causa proponuntur.

VIdetur hoc totum suspectæ fidei esse, presertim Natali Alexandro (qui primus, post Sirmundi editionem, hanc causam vna

pagel-

pagella tangebat) differtatione 5. in quintum seculum pag. 166. in hæc verba; *Author ille Pelagianus &c. librum confinxit, quem velut Sancto Augustino suppositum refelleret, quasi erroribus Prædestinianorum scatentem. Prorsus etiam incredibile est*, inquit, *libellum illum sub Sancti Augustini nomine confictum, & Cælestino Papa oblatum, cuius errores, vt ait, totum Mundum vulnerarent, postea nec Cælestinum in suis decretalibus meminisse, nec Sanctum Prosperum, & reliquos Sancti Augustini discipulos, & fidei Catholicæ vindices, illum scriptis impugnasse, aut illam confutasse hæresim, quæ sub Augustini nomine, suppositis libris, totum Mundum vulneraret*. Hæc Natalis Alexander, quæ pro prima obiectione proponimus.

Secundo ex inconsequentia sermonis, ac repugnantia in eodem opere edito de recenti, sic ego probarem idipsum. Nam istius operis Author adhuc incognitus in præfatione totius operis loquens de libello *sub Augustini nomine confícto*, quem postea libro 2. transcriptum exhibet, & lib 3. impugnare prosequitur, *Hunc librum*, ait, *aliquando sibi oblatum, Beatissimæ Memoriæ Summus Pontifex Cælestinus ita execrationi habuit, vt eum perpetuo iuberet damnari silentio*, & postea in eadem præfatione inconsequenter ad hæc subdit suo tempore (scilicet post Cælestini obitum): *tandem aliquando non tam editus quam deprehensus, ad manus nostras peruenit hic liber, qui Augustinum mentitur in titulo, cum se hæreticum ostendit in textu*; huiusque detectionis modum exponens infra versus finem sui libri tertij, sic contra Augustini discipulos habet: *Hic est libellus vester, quem nulli datis legendum, nisi sub Sacramento silentij &c. Maxima pars mulierculærum à vobis hunc meretur libellum accipere. Denique, quæ eum prodidit, fæmina corpore, sed vir animo, dum istum à vobis libellum sub Sacramento suscepisset, scriptum legens exhorruit & his, quos Catholicos nouerat, examinandum dedit. Legimus eum & nos, quod semper timuistis &c.* Hæc ille suppositus antiqui huius operis Auctor. Sed hæc profecto repugnant adinuicem, scilicet ante obitum Cęlestini libellum hunc fuisse solemniter Summo Pontifici Cælestino præsentatum, & post obitum Cælestini ita occultum æmulis permansisse, vt nonnisi prodente fęmina ab impugnatoribus Augustini legi potuerit aut oppugnarit. Ergo inuerisimilis est, aut incredibilis istius conscriptio operis reperti, vel editi a Sirmundo.

Tertio. Si vere hoc opusculum de recenti a Sirmundo vulgatum aliquem verum Authorem antiquitus obtinuisset, iam ab anno 431

quo elaboratum supponitur, aut indicatur, vsque ad hæc tempora nostra, tanto intermedio annorum tempore, aliquis saltem deprehendisset, aut innuisset, quinam vere eiusdem suppositi operis scriptor extitisset; sed nemo hactenus inuentus est, qui id vere deprehenderit, aut indicarit, imo vel memorarit hunc librum, nec Hincmarrus ipse, qui fertur inter suos codices hoc opusculum seculo 9. habuisse, nec ipse Sirmundus, qui se ait hoc ipsum ex eiusdem Hincmarri codicibus accepisse, nullus adhuc, istorumve neuter, adinuenit, vt mox ostendo, verum aliquem eiusdem operis Authorem. Ergo ex hoc ipso velut à signo suboritur non leuis causa suspicandi, commentitium opusculum esse, nec forsan Hincmarro agnitum, sed a Sirmundo suppositum, qui solus & vnicus testis est, inter Hincmarri codices hoc opusculum latuisse, nec alioquin id aliunde confirmat. Minor nostra seu subsumpta propositio non operose probatur. Hincmarrus enim, si Sirmundo credamus in præfatione ad hoc opus, huius operis Auctorem vocabat *Hyginum*, Sirmundus vero supponit potius appellandum Arnobium Iuniorem, *cuius extant*, inquit, *in Psalmos commentarij, & de quo mihi*, ait, *veniebat in mentem, ob stili sententiarumque affinitatem augurari &c.* Sed contra Hincmarrum recte etiam Sirmundus insurgit, *quia Hygini nomen, quod in primi libri fronte legerat Hincmarrus, non Auctoris huius opusculi, sed alterius cuiuspiam nomen fuit ex eorum numero, qui Hæresiarcharum indices contexuerant.* Nempe in primo huius operis limine vt editi a Sirmundo, sic legebatur: *liber primus de Hæresibus* & pro argumento eiusdem libri primi subiungebatur. *Epitome Ecdicesios Hygini contra hæresiarchas, & Cathegoricorum Epiphanij contra sectas, & expositionum Philastri &c. Prior Hyginus, post hunc Policrates, Africanus, Hesiodus, Epiphanius, Philaster: hi diuersis temporibus diuersas hæreses pertexuerunt.* Non ergo Hyginus, qui longe antiquiori tempore ante Philastrium etiam Augustino seniorem, florebat, scribere potuit hoc opusculum de supposita Augustino epistola, vt Hincmarrus ex præallato titulo fallebatur. Multo minus (quidquid Sirmundus voluerit diuinare appellans & ipse *incertam hanc suam diuinationem*) potuit huius operis Auctor esse Arnobius ille iunior, quandoquidem hic iunior Arnobius in Conflictu cum Serapione, tom. 8. Bibliothecæ fol. 234. ait, *Sanctum & eruditissimum virum Papam Leonem ad reuocandas ab errore Ecclesias, ad orientales suas literas destinasse*, agnouit proinde

hic Arnobius epistolas decretales Leonis, tum ad Flauianum Constantinopolitanum Patriarcham, tum ad Chalcedonense Concilium contra hæresim Eutichianam; consequenter Arnobij iunioris tempore, vt iam damnata, etiam Eutichiana hæresis nota erat. Non sic vero nota fuisse supponitur huius suppositi Authoris ætate (de quo agimus) vt constat ex libro primo eiusdem pro penultima hæresi Nestorianam ponentis, & pro postrema Prædestinianam immediate post illam, nullibi agnita Eutichiana. Rursus hic Auctor operis *prædestinati* libro 1. in hæresi 88. de Pelagianis hæreticis inquit: *habent & Presbiteros & Episcopos suos*: At vero suo tempore Arnobius iunior, qui Papam Leonem nominat successorem Sixti, iam probe nouerat sub Sixto antecedente Successore Cælestini Pelagianis non licuisse amplius *suos Episcopos habere*, ex Prospero in Chronico ad annum 439. memorante id circo Iulianum Pelagianum sub Sixto exauthoratum, atque disiectum Episcopatu fuisse. Non ergo suppositus Auctor huius operis esse potuit Arnobius iunior, vt opinabatur Sirmundus.

Quarto. Si quis alter vnquam præter hos duos rationabilius indagari valeret huius operis Auctor, maxime is esse videri posset Vincentius Lerinensis, qui apposite ad annum 434 suum alterum commonitorium scribere profitetur (vt colligitur ex eiusdem capite 42) & aliàs hunc Lerinensem a Semipelagianis stetisse & pro eisdem etiam scripsisse arbitratur cum alijs Eruditissimus Noris (& cum eodem denuo Natalis Alexander sequutus est) quemadmodum & huius operis Prædestinati Auctor Semipelagianus omninò supponitur pro eadem hæresi scribens, vt legenti patebit, contra Augustini discipulos: & sic facillime concordari fortasse valeret etiam Hincmarrus Archiepiscopus Rhemensis, qui sæculo nono huius opusculi Auctorem appellasse refertur Hyginum, ex eo quod apposite Vincentius Lerinensis, teste Gennadio Massiliensi, vulgauit opera sua sub nomine *Peregrini*, quo parumper in peruetustis manu scriptis codicibus mutato nomine, vel ex imperitia transcribentium, vel caracteris antiquitate, factum est, aut intellectum *Hygini* nomen pro nomine *Peregrini*, præsertim quia Gennadius paulo post scribẽs in scriptorum Cathalogo de eodem Lerinensi sic habet: *validissimam disputationem absconso suo nomine attitulauit nomine Peregrini aduersus hæreses* (vti & hoc opusculum, quod sub examine ponimus, adhuc *de hæresibus* inscriptum legitur) *cuius*

operis,

operis, quia secundi libri maximam in schedulis partem a quibusdam furatam perdidit, recapitulato eius paucis sermonibus sensu, primo compegit, & in vnum librum edidit: Nimirum fortasse hinc agnitum vulgo communiter fuit solum illud *commonitorium* Vincentij, quod legimus, *aduersus profanas vocum nouitates*, continens in communi dumtaxat primam aduersus hæreses disputationem, non sic vulgariter tunc noto manente hoc altero commonitorio distincto (quod Auctori furatum etiam sine proprio nomine perseuerans remansit) in quo ad singularia magis descendens, post refutatas singulas in particulari hæreses in libro primo, inde in alijs duobus libellis adnexis refellit magis adhuc in particulari hæresim prædestinianam, tunc serpere incipientem ac nouam. Sed licet valde hæc coniectura (a nobis etiam communita) fauere videretur hypothesi Henrici Noris de Semipelagianismi suspicione in Lerinensi Vincentio, mihi tamen nunquam placuit, nec modo placere potest, tum quia nunc adhuc habemus, & legimus duo commonitoria Vincentij sic diuisa in *primum, & secundum*, in quorum alterutro nec vestigium inspicitur, nec alterum hoc distinctum opusculum indicatur, quod & penes sensus ibidem restrictos, vt testabatur Gennadius, indicari debuisset, *& secundum commonitorium*, iuxta hunc ex eodem Gennadio discursum, diceretur & esset; tum quia iam etiam Gennadij tempore detectum fuerat, licet prius occultatum à Lerinensi, verum Vincentij nomen, quod sub Peregrini titulo latitauerat, tum quia Lerinensem Vincentium nullo modo fuisse Semiplagianum adductis pluribus ostendimus tom. 3. de Approbatione lib. 5. qu. 3. art. 3. §. 8. & sequentibus, quæ in præsenti repetenda non sunt. Deficit igitur, nec subsistit, vel hæc altera coniectura, siue suspicio vocetur.

Quinto demum opponi sic potest. Quia saltem ab obitu Cælestini certum supponitur nullum amplius Pelagianum sua noua scripta vulgasse, licet vtique Semipelagiani aliquos adhuc pro sua noua hæresi libros vulgarint, vt alibi ostendimus, & inter alia colligitur ex D. Prospero in carmine de ingratis Cap. 6. Sed huius operis Auctor nedum Semipelagianus, sed purus ac putens Pelagianus esse videtur. Inuerisimile igitur est hoc opusculum eo tempore post Cælestini obitum, vt scriptum supponitur, prodijsse, & consequenter opusculum totum commentitium, vel suppositit ium censendum est. Purum autem Pelagianum se prodere hunc Auctorem habe-

habemus ex libro 3. eiusdem suppositi operis versus finem, vbi totus est cum Iuliano Pelagiano in defendenda, ac laudanda concupiscentia vt bona non mala, dicens; *Hanc ex benedictione Creatoris insertam non ex prævaricatione hominis euenisse, hanc legē generis esse, quam vos criminis accusatis*; & hinc infra inficiatur baptizatum *habere legem in membris suis repugnantem legi mentis &c.* Rursus ait: *Hanc concupiscentiæ motum, sicut cætera membra, à Creatore suscepimus*: & demum post plura alia concludit: *vnum vobis eligite. Aut bona est generatio hominis, & bona est concupiscentia, aut malæ sunt nuptiæ si iniqua est concupiscentia:* Hæc ille, quæ sane verbatim sunt integræ frases Iuliani Pelagiani relatæ, ac damnatæ antea ab Augustino in vtroque opere contra Iulianum, vt conferenti patebit; consequenter, vti est inuerisimile adhuc tunc temporis post obitum Cælestini edita esse Pelagianorum opuscula, ita incredibile est illo eodem tempore hoc Pelagianum omnino opusculum scriptum ab aliquo editumve fuisse.

ARTICVLVS II.

Præfertur verisimilior Sententia, & aditus sternitur ad dubitationes singulas abigendas.

IN oppositum tamen est, quod modo certum fere communiter reputatur, vere realem, non chymericam, in Orbe etiam antiquitus Prædestinianorum hæresim extitisse, vt ipsi etiam in libro 6. q. postrema probauimus, & accuratissime omnium Eminentissimus Raimundus Cardinalis Capisuccus in sua nouissima Appendice de hæresi Prædestiniana demonstrat, aduersus Iansenium eiusque præcursorem Vviclefum, atque Caluinum, qui eandem prędestinianam exsuscitantes hæresim, vt se tuerentur sub mentito Augustini pallio, asserebant Sanctissimos solum Augustini discipulos veteresque Catholicos à Semipelagianis fuisse hoc probroso Prædestinianorum titulo diffamatos, nec aliam vere prædestinianam hæresim adfuisse: consequenter ea sententia modo verisimilior, vti & vtilior, erit, ex qua magis prædictorum hæreticorum effugium pręclusum maneat, ac refutatum. Talis autem hæc sententia videtur affirmans & hoc de nouo repertum opusculum, quod *prædestinatus* inscribitur, genuinæ, ac legitimæ vetustatis esse, cum inde clarescat antiquitus

etiam

etiam Prædestinianum libellum ab aliquo Prædestiniano homine conscriptum prodijsse, ac circumlatum sub falso Augustini nomine confictum fuisse, aliosque etiam tunc temporis Prædestinianos hæreticos innotuisse. Verisimilior igitur ex hoc capite saltem, vti & vtilior, hæc sententia præferenda videtur, quæ asserit hoc Prædestinati opusculum non suspectæ fidei, sed legitimæ vetustatis esse.

§. PRIMVS.

Pro certa ac necessariò connexa hypothesi supponendum, in Adrumetino dissidentium Monachorum Cœnobio in Aphrica primò natam hæresim Prædestinianam simul cum hæresi Semipelagiana fuisse.

SI velimus igitur in hanc (quæ & mihi probabilior videtur) Sententiam descendere, ex hoc etiam motiuo vtiliorem, recolendum est id, quod probauimus lib. 6. q. 5. art. 2. Adrumetinum Cœnobium in Aphrica ante annum 417 iam turbari incipiens, postea occasione epistolæ Augustinianæ ad Sixtum tunc Romæ Præsbiterum scriptæ, atque hinc ad Adrumetinos translatæ (vt indicat & Augustinus epist. 47) in duas factiones, vel potius in tres partes fuisse descissum; quidam scilicet cum Cresconio & Felice facti sunt Semipelagiani negantes victricem gratiam, vt declinarent extreme contrarium Prædestinianum errorem; quidam alii ex alia parte extrema, vt hanc Semipelagianam hæresim euitarent, in hanc alteram hæresim Prædestinianam deflexerunt, cum altero Felice putantes, sed falso, hunc esse sensum Augustinianæ doctrinæ, seque Patronos habere, nedum Augustinum ipsum, sed Valentinum ibidem Abbatem, & Florum cum ipso, qui Florus eandem Augustini Epistolam deriuarat in eosdem Monachos alteri Felici dictatam. Vbi in re Valentinus, & Florus vere cum Augustino sentiebant, cauentes hũc vtrumque extremum errorem contrarium, in medioque fidei, ac veritatis sistebant, sustinentes nimirum simul gratiam victricem & illæsam arbitrii libertatem, vt latius ibidem expositum dedimus ex Valentini epistolis, simul & ex responsionibus Augustini, quod hic modo pro certo supponendum esse non immerito videbatur pro discendis inferius cum hac omnino suppositione connexis. Verum quia post quam nostros illos præmemoratos de approbatione tomos

nos evulgatos ad annum 1683 (vt nostri obsequii munus petebat) ad Eminentissimum ex nostro Ordine assumptum Cardinalem Capisuchum transmisimus, & ab eodem Eminentissimo (ob suam tantum generosam comitatem) continuo recepimus commendatissimum alterum posterius eiusdem Eminentiæ volumen *selectarum Quæstionum Theologicarum* inscriptum, cum appendice *de Hæreticis Prædestinianis*, editum anno 1684, atque vti & in altero priori amplissimo opere, & simul in isto, singula accuratissime discussa, sapientissime resoluta, ac peregrina simul & recondita sacra eruditione referta admirati sumus, nec commendare desistimus, ita vno dumtaxat tristati sumus, cum in eodem secundo volumine in appendice de Prædestinianis §. 3. legentes, offendimus ac deprehendimus haud satis me veritatem vel sententiam saltem eiusdem Eminentissimi scriptoris, quam sane non videram, attingere potuisse, dum ego tomo 3. lib. 6. qu. 5. iam sustinueram (quod & hic modo referebam) in Adrumetino Monasterio inter dissidentes ibidem Monachos simul cum Semipelagiana hæresi (de qua nemo dubitat) & Prædestinianam hæresim primitus exortam esse: hic vero Eminentissimus Cardinalis, ac Theologus sapientissimus, sub dubio saltem inclinat in oppositam huic suppositioni sententiam, licet & quam ipsi probabiliorem elegimus cum Sapientissimo nostro Ioanne à S. Thoma tom. 2. in p. p. disp. 7. ar. 1. num. 2. fateatur & ille Eminentissimus esse probabilem. Idcirco, non quidem vt à tanto viro ac sapientiss. Cardinali abscedamus, sed solum vt causas innuamus, quibus cum Io. à S. Tho. ibidem nos ducti fuimus ad eligendam eam in re proposita opinionem, præter ibi iam scripta, operæ pretium duximus hanc nostram prius hypothesim stabilire, quæ sane si rueret, corruerent & ea omnia ac singula, quæ infra necessario connexa cum hac hypothesi in hac nostra lucubratione de Nouitio Prædestinati opere dicturi sumus. Affert igitur primo loco ac pro potissimo suæ coniecturæ argumento vir Eminentissimus illam Augustini auctoritatem (præter quædam alia subiuncta, quæ iam præoccupata leguntur à nobis laudato lib. 6. q. 5.) in epistola 46. ad Valentinum aientis: *proinde librum meum vel epistolam meam, quam secum supradicti ad nos attulerunt* (scilicet epistolam 105. scriptam ab Augustino ad Sixtum, ex qua illi Monachi Adrumetini occasionem turbationis acceperant) *secundum hanc fidem intelligite, vt neque negetis dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis,*

vt a dei gratia separetis, tanquam sine illa vel cogitare aliquid, vel agere secundum Deum, vlla ratione possimus, quod omnino non possumus. Hæc Augustinus, post quæ verba sic suam ponderationem proponit, suamque conficit probationem Eminentissimus Cardinalis. *Sane*, inquit, *si aliqui fuissent in eo Monasterio, qui admittentes gratiæ victricis necessitatem liberum hominis negassent arbitrium, addere Augustinus debuisset (vt neque negetis liberum arbitrium) quod cum non addiderit, signum est, neminem in eo monasterio liberum arbitrium negauisse. Ideoque error, in quo nonnulli monachi versabantur, tantum in eo consistebat, quod gratiæ praeuenientis necessitatem ad quodcumque pietatis opus pernegabant, quod nemo ignorat ad Semipelagianismum pertinere.* Hæc audio nunc, nec diffiteor ex hoc etiam capite non sine ratione, nec sine alijs auctoribus hanc opinionem procedere. At, rogo, non dedignetur & ea, quæ pro contraria pro nobis hypothesi stant (probabili simul appellata ab eodem Eminentissimo) quæque nunc subdam, acriori vtique suo ac sapientissimo iudicio perpendere, ac collibrare. Duæ & sunt & extant in tomo epistolarum Augustini epistolæ hac occasione pro Adrumetinis conscriptæ, scilicet epistola 46. & 47. ad Valentinum Abbatem, & duo pariter extant de hac re eadem conscripti ab eodem Augustino libelli, primus de gratia & libero arbitrio adnexus eisdem duabus præmemoratis epistolis, secundus de correptione & gratia, vt omnibus notum est, quorum priorem Augustinus iam scripserat statim, ac audiuerat Cresconium & Felicem Monachos Adrumetinos sine vlla Abbatis littera ad se ex eodem Monasterio venientes, vt duces Semipelagianæ ibidem factionis, accusantes reliquos velut Prædestinianos; Posteriorem vero librum longe posteriori tempore scripsit, non solum post auditum alterum ex eodem Cænobio Felicem, verum etiam post auditum & Florum, vt ex cap. 1. eiusdem posterioris libri de correptione & gratia colligitur, post auditum, inquam, alterum Felicem, qui, vt loquitur Valentinus epist. 256 ad Augustinum, *ad tuam Sanctitatem tarde post comites suos venisse dignoscitur*, agnoscitque deinde & Augustinus in epistola sua 47 posteriori expresse nominans *Cresconium, Felicem & alium Felicem*, quem alium posteriorem Felicem verisimile est ex aduerso contra Cresconium eiusque comitem, Prædestinianæ alterius factionis consortem fuisse, quique posterior superuenit post Paschatem, vbi duo alij, ex epistola 46, ante Paschatem ad suum

Mona-

Monasterium regredi cogitarant, ideoque his omnibus auditis potuit & Augustinus esse magis distinctè instructus de vtraque Semipelagiana, & Prædestiniana hæresi inter Adrumetinos tunc primum exorta, quod valde obseruandum est, pro intelligenda ratione vel causa, cur (vt mox infra videbimus) Augustinus in priori libro, audita ex Cresconio, ac priori Felice accusatione de prædestinianismo in aliis Monachis, aliqua quidem aduersus hunc etiam Prædestinianum errorem inseruit, sed suspectam habens accusationem eorundem (vt significat epistola 46) principaliter egit aduersus Semipelagianismum in eodem Cresconio, ac priori Felice detectum, vbi ex aduerso postea in posteriori libro de Correptione & gratia, licet & aliqua scribat iterum aduersus Semipelagianum errorem, principaliter tamen inuectus aduersus Prædestinianum errorem laborauit: quemadmodum de hac integra vtriusque libri differentia, & intento præcipuo vtriusque testatur idem ipse Augustinus lib. 2. retractationum cap. 66, priorem se scripsisse dicens: *propter eos, qui cum defenditur gratia Dei, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium vt negent gratiam Dei* in Semipelagianum scilicet prolabentes errorem: posteriorem vero libellum se ex præcipuo intento scripsisse in capite 67 subiungit *ad eosdem*, subaudi Adrumettinos, *cum mihi*, inquit, *nunciatum esset dixisse ibi quendam, neminem corripiendum esse, si Dei præcepta non facit, sed pro illo vt faciat, tantummodo Deum orandum esse*, qui sane error alter Prædestinianus erat. Et licet hæc sola tam manifesta eiusdem Augustini attestatio de suo præcipuo intento libri vtriusque sufficeret, placet tamen idipsum splendidius adhuc in ipsis eisdem duabus epistolis, duobusque libellis eisdem perquirere, & distincta indagine obtinere, quod sic breuiter singula percurrendo, vt manu veluti tangatur veritas, ostendemus. In epistola prius scripta scilicet 46 ad Valentinum, post recitatam Cresconij, & prioris Felicis denunciationem de Prædestinianismo in alijs Monachis accusatis per illos, breuissime primo loco eundem Prædestinianismum reprobat, monetque fugiendum illis conceptis verbis. *Primum enim Dominus Noster Iesus Christus, sicut scriptum est in Euangelio Ioannis Apostoli, non venit vt iudicaret Mundum, sed vt saluaretur Mundus per ipsum. Postea vero sicut ait Apostolus Paulus, iudicabit Deus Mundum, quando venturus est, sicut tota Ecclesia in Symbolo confitetur, iudicare viuos & mortuos*: Hæc quis non videat

scripta directe contra eos Prædestinianos, qui *dicebant* (vt ex delatione Cresconii, & Felicis, mox ante Augustinus ibidem recitarat) *quod in die iudicij non sit redditurus Deus vnicuique secundum opera eius*. Deinde in subiunctis ibidem verbis, quæ probe ab Eminentissimo ponderantur, ac veraciter referuntur, nec ipse diffiteor incępisse simul reprobare Semipelagianum errorem, quem in eodem Cresconio, ac priori Felice cum eisdem colloquendo detexerat, sed simul iterum, penes eiusdem epistolę finem, regreditur post Semipelagianum reprobatum, ad improbandum errorem Prædestinianum, dum inquit. *Et adhoc ipsum enim, idest vt sapientia intelligamus, est vtique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus, atque saperemus, non nobis preciperetur dicente scriptura: intelligite ergo qui insipientes estis &c. Eo ipso quippe quo praceptum & imperatum est, vt intelligamus, atque sapiamus, obedientiam nostram requirit, qua nulla potest esse sine libero arbitrio:* & sic vtrumque simul extremum errorem reprobare prosequitur, & ad finem epistolæ venit. Similiter in libello priori de gratia & libero arbitrio, quem mittendum cum præmemorata priori epistola præpararat, eadem progreditur methodo. In primo capite vtrumque simul errorem recenset exordiens his verbis. *Propter eos, qui liberum arbitrium sic prædicant, & defendunt, vt Dei gratiam negent &c.* En Semipelagianum errorem. *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam defendunt vt negent hominis liberum arbitrium &c.* En Prædestinianum; pro quo vtroque eliminando ab illo Monachorum consortio, vt profitetur ibidem in toto capite primo, statim per totum caput secundum, & tertium totus est, vt contra Prædestinianos euincat ex recitatis sacrorum testimonijs seruari in nobis libertatem arbitrij, postea ab initio capitis quarti reassumit Semipelagianum repellere errorem his verbis incipiens: *Sed metuendum est*, inquit, *ne ista omnia diuina testimonia*, scilicet in superioribus præaddicta capitibus, *& quæcumque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrij, sic intelligantur, vt ad vitam piam &c. adiutorio & gratia Dei locus non relinquatur*, qui dilucidè est error Semipelagianus, quem inde in subsequentibus eiusdem libri capitibus (excepto Cap. 15. & 16. in quibus iterum in Prædestinianum inuehitur) vsque in finem libri Cap. 24. completum, impugnare prosequitur, suadens & monens in hoc capite vltimo, vt orta inter se Schismata auferant, & in recto sensu scilicet medio inter

ter

ter vtrumque extremum errorem Apostolicam doctrinam & suam in epistola ad Sixtum intelligant. In posteriori non minus epistola 47. à principio post narratam occasionem epistolæ, profitetur se scribere, *& aduersus nouos hæreticos Pelagianos, in quorum errorem cadit qui putat aliquo merito humano gratiam Dei dari, quæ sola hominem liberat per Dominum nostrum Iesum Christum. Sed rursum*, addit statim, *qui putat quando ad iudicium Dominus venerit non iudicari hominem secundum opera sua, qui iam per ætatem vti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilominus in errore est*, scilicet in errore Prædestiniano, vt omnes intelligunt &c. *Soli enim parvuli, qui nondum habent opera propria &c. secundum solum originale damnabuntur. Cæteri autem omnes, qui iam vtentes libero arbitrio sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt &c. non solum secundum originis, verum etiam propriæ voluntatis merita, iudicium reportabunt &c. de qua difficillima quæstione, hoc est de voluntate & gratia, non opus habui etiam in hac epistola diutius disputare, quoniam & aliam epistolam eis dederam tanquam citius redituris, & scripsi ad vos etiam librum*, scilicet librum priorem de gratia & libero arbitrio principaliter contra Semipelagianum errorem, sed secundario simul aduersus Prædestinianum, *quem librum si adiuvante Domino diligenter legeritis, & veraciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones vlterius iam futuras*, idest & abscessuros ab errore Semipelagiano, qui in eum ceciderant, vt Prædestinianum euitarent, & resurrecturos ab errore Prędestiniano qui in hunc lapsi erant, vt à Semipelagiano cauerent, quem quia principaliter hic excludebat, ideo simul mittit omnes definitiones iam editas aduersus Pelagianos, ac inde contra vtrumque errorem subinfert. *Quantum ergo potuimus, egimus cum istis & vestris & nostris fratribus; vt in fide sana & Catholica perseuerent*, in medio scilicet fidei & veritatis inter extremum vtrinque errorem contrarium, vt subdit. *Quæ fides neque liberum arbitrium negat siue in vitam malam siue in bonam, neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid, siue vt ex malo conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat*: Quarum scilicet duarum partium prima nimis negans Prædestiniana erat, secunda nimis affirmans erat, vt vides, Semipelagiana: & expresse suadere prosequitur inter has duas extremas contrarietates in medio sistere, tum ex Apostolo, tum ex illo Salomonis *rectos cursus fac pedibus tuis &c. ne declines in dexteram neque*

in sinistram, vias enim, quæ à dextris sunt, nouit Dominus, peruersæ vero sunt, quæ sunt à sinistris; Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera tua in pace perducet. Hæc Salomon Prou. 4; Iuxta quæ verba Augustinus subiungit ad idem intentum. *In his verbis Sanctæ Scripturæ considerate Fratres, quia si non esset liberum arbitrium non diceretur, rectos fac cursus tuos pedibus tuis, & vias tuas dirige &c.* En hic loquitur contra Prædestinianos, pergit statim & immediate contra Semipelagianos. *Et tamen sine Dei gratia si posset fieri non postea diceretur. ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace perducet. Nolite ergo*, hinc subinfert, & monet vtrumque cauendum, *Nolite ergo declinare neque in dexteram, neque in sinistram*; & quia aliquis dubitare posset, & Augustinum interrogare, cur declinantem in dexteram pro Semipelagiano acciperet, & declinantem in sinistram pro Prædestiniano, ipse statim assignat rationem ex eodem loco Prouerb. 4. quod nomine sinistræ intelligantur mala, & bona nomine dexteræ, *vias enim*, inquit Salomon, *quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ vero sunt, quæ sunt à sinistris*, idcirco continuò Augustinus de Semipelagiano homine subdit. *Declinare ille intelligendus est in dexteram, qui bona ipsa, quæ ad vias pertinent dexteras, sibi vult assignare non Deo &c.* & de Prædestiniano statim non minus prosequitur. *Sed rursus, qui putant bonam vitam esse deserendam &c. & propterea dicunt, faciamus mala vt veniant bona, in sinistram declinant*, qui scilicet aiunt, si prædestinatus ero, etiam si in peccatis permaneam, superueniet gratia conuertens me, & saluabor, & demum hinc contra vtrumque simul errorem vtrinque contrarium, his iterum verbis concludit epistolam. *Ne declinetis ergo in dexteram, neque in sinistram, hoc est*, inquit, *non sic defendatis liberum arbitrium, vt ei bona opera sine Dei gratia tribuatis, nec sic defendatis gratiam, vt quasi de illa securi mala opera diligatis.* Hæc ibi adeo dilucide, vt Augustini verba pro nobis lucidiora esse non possint. Nec demum aliter idem Augustinus se gerit in posteriori libello de correptione & gratia, quem posteriori vtique non parum tempore à scriptione tum prædictarum duarum epistolarum, tum libri anterioris de gratia & libero arbitrio, scriptum esse colligitur ex ante expensa epistola 47, & rursus significat Augustinus ipse in Cap. 1. huius libri de Correptione & gratia, his verbis exordiens. *Lectis literis vestris, Valentine Frater dilectissime, & qui simul seruitis Deo, quas per fratrem Florum & eos, qui cum illo ad nos* vene-

venerunt, misit charitas vestra, egi Deo gratias &c. Iam enim in epistola 46 antea dixerat de Cresconio, & Felice, qui tunc ad se aduenerant, *nullas ad nos vestræ Charitatis litteras attulerunt*, & paulo post de Floro ad se mittendo subdebat, *melius autem facietis, quod multum rogo. si ipsum, à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non grauamini &c.* neque in ipsa epistola 47 (cum qua simul illos discedentes remisit deferentes secum librum priorem de gratia & libero arbitrio) neque in hac, inquam, memorabat vel receptas ab eodem Valentino epistolas, vel Flori ad se ipsum aduentum. Cum igitur hic postea, vt mox audiuimus, vtrumque iam contigisse testetur, posteriori non parum tempore constat, vt dixi, hunc secundum librum inscriptum de correptione & gratia exaratum esse, atque transmissum, qui sane non nisi ad annum 424 (quo Massiliæ turbationes cæperunt) innotescere cæpit apud Massilienses & Gallos, vt narrat Prosper in epistola ad Augustinum eundem. In hoc interim libro Cap. 1. non desinit rursus eosdem Adrumetinos monere, vt vtrumque errorem Prædestinianum & Semipelagianum euitarent, sic dicens: *Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere, sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ, seruus vero peccati; in bono autem liber esse nullus potest nisi fuerit liberatus ab eo &c. hanc fidem* (scilicet in medio sistentem inter errorem vtrumque contrarium in prędictis verbis vtrinque pręclusum) *hanc fidem*, inquit, *quæ sine dubio vera & profetica, & Apostolica fides est, etiam in Fratre nostro Floro inuenisse me gaudeo, vnde hi potius corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse iam existimo, qui eum non intelligebant*, scilicet tum Semipelagianos, qui putantes Florum docuisse errorem Prædestinianum (in quem rudes aliqui Monachi prolapsi erant) vt hunc cauerent, Semipelagiani facti fuerant, tum alios Prædestinianos, qui vt Semipelagianismum auersarentur, in Prædistinianismũ declinauerant, falsò putantes se Magistros habere ac patronos cum Augustino Valentinũ, & Florum eundem, quos tamen duos adinuicem cum quibusdam sapientioribus alijs in vera media sententia consensisse congaudet, ad medium primi capitis ibidem Augustinus præmittens: *Egi Deo gratias, quod vestram in Domino pacem & in veritate consensionem, & in charitate, fragrantiam vestro nobis reddito sermone cognoui*, id plane cognoscens, tum ex epistola Valentini 256, in qua pro sui decore Cęnobij, & suorum in Augustinum obsequio, compositas turbationes

bationes post receptum ab Augustino libellum de gratia & libero arbitrio referebat, tum ex colloquio cum Floro, tunc sibi præsente ac intus in cute detecto; cum quibus omnibus tamen stat simul, vel ex hoc eodem sermone cum Floro, vel ex alijs *qui cum illo venerant*, simul certiorem factum Augustinum fuisse, vnum saltem Adrumeti Præcipuum Prædestinianum in suo errore obfirmatum mansisse, *quem* de hoc ipso tempore loquens inquit lib. 2. retractationum cap. 67. *Mihi nunciatum fuit ibi dixisse: neminem corripiendum esse, si Dei præcepta non facit, sed pro illo, vt faciat, tantummodo Deum orandum esse*. Propterea & in eodem cap. 1. admonebat *ne pigeret* etiam librũ priorem de gratia, & libero arbitrio *relegendo habere notissimum, si eum fructuosissimum habere vellent, ut diligentissime scirent, quibus & qualibus quæstionibus soluendis atq; sanandis, ibidem occurreretur, non ex humana sed diuina authoritate &c.* vbi nimirum occurrerat vtrique quæstioni simul tum Semipelagianæ, tum Prædestinianæ, & vtramque dissoluerat, licet principaliter primam, & secundario secundam, vti & vtramque in hoc cap. 1. in fine fugiendam esse admonendo concludit. hinc in cap. 2. breuiter, per totum tamen integrum caput 2, Semipelagianam hæresim insectatur, sed breuiter, ac vno capite, vt dixi, quia iam hanc principaliter in præcedente libro præcluserat, & ideo (vt in medio Capitis primi præmittebat) *non opus erat omnia identidem hic retractare, quæ sufficienter vobis pleno altero libro disputata transmisimus, quem quomodo susceperitis scripta indicant vestra*. Post hanc itaque breuissimam in secundo Capite libationem, à tertio Capite incipit & vsque ad cap. 16. & postremum operis, continuate prosequitur ex præcipuo intento, quotus ac quantus est Augustinus, Prædestinianum errorem negantem quempiam corripiendum, sed solum Deum orandum esse, exertis viribus oppugnare, obruere, ac profligare, adeo vehementer, ac incessanter, vt me pigeat hic iterum vel immorari in exscribendis singillatim capitum verbis (quorum vel titulos solum, seu indices consuluisse sufficiet) vel in hac re adeo splendida diutius, ac superuacanee detinere lectorem. Sat sit eundem Augustinum in epilogo totius libri comprehendente tum primarium, tum secundarium intentum eiusdem operis, sic audire claudentem. *Quæ cum ita sint, nec gratia prohibet correptionem*, vt ille Prædestinianus Monachus asserebat: *nec correptio negat gratiam*, vt Semipelagiani aberrabant. Sic Augustinus concludit, & sic nos

con-

concludimus hanc nostram hypothesim (adnuente fortasse & Eminentissimo Capisucchio, qui dubius tantũ ita in oppositam inclinabat, vt nostram simul ingenue probabilem laudaret) concludimus, inquam, in Adrumetino Cœnobio Aphricæ simul Prædestinianam, ac Semipelagianam hæresim velut in ortu germanas, licet in errore contrarias, primitus enatas esse, & sicut omnes exinde concedũt ibi Semipelagianam fuisse, quia Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio, scribens ad Adrumetinos, eam principaliter oppugnabat, ita similiter necessario admittendum & ibi Prædestinianam extitisse, quia in libro posteriori de correptione & gratia ad eosdem scribens eandem non minus principaliter explodebat; nec sane poterunt quo ad negandam secundam excogitari effugia, quæ excogitari eodem modo non possint etiam quo ad negandam primam, eodemque modo per consequens vel vtraque, vel neutra subterfugia probanda veniunt, aut reprobanda, quemadmodum & sapientissimus noster Io: à S. Thoma loco laudato prædocebat, quidquid in aduersum suspicati sint postea, aut opinati, Natalis Alexander seculo quinto, dissertatione quinta, conclusione prima, & noster Vincentius Contenzonius tom. 5. dissertatione 3. in Appendice §. 2. ad 1. ne alioquin Augustinus non vno loco, sed pluribus ac repetitis vicibus, scilicet in duabus epistolis duobusque libellis, toties ac tam constanter, accurate, ac vehementer eundem Prædestinianum errorẽ oppugnans, ac Prædestinianos homines vel admonendo emendans, vel conuincendo profligans, videretur superuacaneè disputasse, aut aerem verberasse, & (quod absurdius est) sibi finxisse hostes, seu hostium vmbras ac spectra, cum quibus *velut cum sarmentorum, aut stipularum fasciculis* (vt Lucianus in Hermotymo loquebatur) *deprælia retur, vt inde postea gloriaretur se armatos homines velut in vera pugna vicisse*. Stet ergo hypothesis, quam nos non immerito, vt supponendam pro certa, proponebamus, cum qua singula mox subiungenda necessario consecutionis glutino connexa sunt.

§. SECVNDVS.

Intercurrente tempore à prius exorto Adrumeti dissidio vsque ad Augustini scriptionem ad eosdem Adrumetinos, rogatus scripsit Euodius ad Abbatem, & ibidem Monachos saltem Epistolas duas, quarum vna ea est, quam exscribit Auctor Prædestinati lib. 2, velut postea Augustino suppositam.

ALiquod autem quorundam forsan annorum spatium intercurrisse, seu intercessisse, inter exortum primitus Adrumeti prędescriptum dissidium, & scriptos ab Augustino libellos cum duabus præmemoratis epistolis, ex eo in primis colligimus, quod Sigebertus Gemblacensis in Chronico incæpisse supponit hanc hæresim inter Monachos Adrumetinos ad annum 414 (quando forsan concipi velut in embrione incipiebat) & quidam alij Chronologicè magis id indagantes (vt Henricus Noris) eam ponunt ad ann. 417 quo scilicet anno velut ex fauilla iam parua succrescente subinde contentionis incendio fumigans demum flamma apparere, & erumpere visa est: Augustini autem scriptio ad eosdem Monachos Adrumetinos aliquo modo posteriorem se prodit (præsertim scriptio secundi libri de correptione & gratia, qui solum postea ad annum 424 ex Prospero in epistola ad Augustinum, apud Massilienses errare tunc incipientes, innotuit) vt omittam quod in epistola 47 Augustinus idem profitetur, se cum eadem illa epistola ad eosdem Adrumetinos transmittere *& alia quadam, quibus cognoscerent, quemadmodum Catholica Ecclesia in Dei misericordia Pelagiana hæresis venena repulerit*, scilicet, vt subdit, *Papa Innocentij epistolas post Concilia Prouincia Carthaginensis, & Concilium Numidiæ, & post Africanum Concilium Papa Zozimi rescriptum ad vniuersos totius orbis Episcopos missum, & quod posteriori Concilio plenario totius Africa contra ipsum errorem constituimus &c*, quæ profecto decreta, postrema præsertim, recepta ad cadentem iam annum 418 fuisse, alij chronologicè adnotarunt, nempe Zozimus anno 418 prius ad Patres Africanos responderat *nihil se immutasse &c, sed in eodem cuncta reliquisse statu*, postea vero datis ad totius orbis Episcopos litteris Africanorum statuta Patrum confirmauit, & post hæc recepta in Africa consequenter has scripsit Augustinus epistolas, & cum

illis

illis connexum atque transmissum priorem librum de gratia & libero arbitrio; & posteriori adhuc non parum tempore, vt prænotauimus, postea alterum librum posteriorem de correptione & gratia subiunxit. Sed quid vltro in hac pro re nostra ponderatione immoramur? cum Valentinus ipse in epistola 256 ad Augustinum fateatur se post exortum in suo Monasterio tumultum distulisse de eodem ad Augustinum notitiam dirigere, ne sui Cænobij dedecus Augustino eidem tam magni facto innotesceret, & suorum Monachorum aliqui de Augustini epistola dubitantes minus reuerentes in Augustinum apparerent, *quia*, inquit, *tempus loquendi, & tempus tacendi, ne, dum per dubitantes & de veritate fluctuantes scriberemus, de dictis sapientiæ tuæ, quæ est sicut Angeli Dei, dubitare cum dubitantibus videremur*. Hoc igitur interiacente, seu intercurrente quorundam annorum tempore, à primitus pullulāte Adrumeti Prædistinianorum errore, vsque ad Augustini scriptionem ad eosdem Monachos Adrumetinos, constat Valentinum ibidem Abbatem rogauisse per litteras Euodium in Africa pariter in altera non longe distante Vzalæ vrbe (seu *Vsilitano oppido*, vt vocat Plinius lib. 5. cap. 4.) morantem, Episcopum Vzalensem, memoratum etiam in titulo epistolæ Innocentii 96 apud Augustinum, & longe antea Augustino notissimum, & familiarem, rogauisse, inquam, vt iste Episcopus Monachis Adrumetinis inuicem contendentibus de Prædestinatione prius, & inde de sensu doctrinæ Augustinianæ in epistola ad Sixtum (ex qua contentionis originem, aut augmentum acceperant) & forsan prius scriberet, & postea simul verum sensum eiusdem epistolæ reseraret, eosque per sui nominis auctoritatem, & suarum litterarum doctrinam componere conaretur, vt narrat idem ipse Valentinus Abbas in epistola 256. ad Augustinum, sic posteriori tempore scribens. *Proposui*, inquit, *ad auferendas impias quæstiones vt ad Dominum Sanctum Patrem Euodium mitteremus, vt ipse nobis & de hoc sacrosancto libro tuo propter ignaros aliquid certius rescriberet*. Et licet subiungat, *neque hoc patienter accipere voluisse* Cresconium, & Felicem, Semipelagianæ factionis duces, *sed arripuisse profectionem nobis taliter non optatam*, scilicet ad repræsentandam Augustino accusationem de Prædestinianismo alterius factionis studium ibidem quorundam Monachorum, non dicit tamen Valentinus re ipsa Euodium non rescripsisse, vti à Valentino *vt rescriberet*, rogabatur & petebatur, imo re ipsa rescripsisse saltem epistolas duas de hac ea-

dem re controuersa inter Monachos, ad Abbatem vnam, & ad eosdem Monachos alteram, euidenter habetur ex fragmento earundem epistolarum edito à Iacobo Sirmundo, & ex eodem relato à Natali Alexandro in seculo 5. p. 2. p. 159, in quo fragmento Euodius apposite ad Adrumetinorum Abbatem hac occasione dicebat: *Sancti Dei Maiorum dicta, sicut iam diximus, qui habent diuini muneris pium affectum, etiam quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent vt intelligant*: Sic vtique scribens contra Semipelagianam Monachorum factionem, qui reprehendebant perlatam illuc à Felice, & dictatam à Floro epistolam Augustini, velut occasionem succrescentis erroris Prædestiniani in altera contraria factione, *inde furentes, & sauientes in Florum* (vt loquebatur Valentinus in sua) *quia ipse illis, vt putabant, vulnera libri huius attulisset* (scilicet Augustini) *in quo non poterant medicinam infirmi cognoscere*: Sicque Euodius, vt inde dignoscimus, fauere videbatur & ipse potius alteri factioni Prædestinianorum Monachorum, quemadmodum & clarius, præter istam ad Abbatem scriptam, in altera ad Monachos eidem factioni suffragatus est, vt mox ex eadem ostendimus. Hac enim omnino occasione conscriptam se prodit ad eosdem Adrumetinos diffidentes Monachos & hæc alia epistola, quam refert Prædestinati opusculum (hic sub examine positum) integro libro secundo transcriptam, dum hæc quoque opportunissime in exordio ad Monachos, qui se defendere Augustini doctrinam ac veritatem supponebant, his incipit verbis. *Participem me intentionis vestræ, qui defenditis veritatem, fieri Fratrum Spiritualium suggestio inuitauit*: En inuitatum, rogatumque ad scribendum Euodium à Valentino, quem simul cum Augustino, & cum Floro origine pariter Vzalensi (ex epistola Valentini) se sequi Prædestiniani illi Monachi supponebant: *vnde breuiter nisibus vestris me interserens, sermonis latitudinem fugi, sensus, qui latum quærunt certaminis campum, in angustum constitui, vt fastidium vobis lectionis auferrem, & occasionem defendendæ veritatis adferrem, atque dimicantes seruos* (scilicet aliam Semipelagianorum Monachorum factionem) *atque dimicantes seruos contra voluntatem Domini sui confutarem, eorum scilicet, qui dicunt, Deo inuito & nolente, hominum moueri arbitria, ac de potestate mortalium Dei immortalis potestatem infringi. Huc adjciunt, homines per voluntatem suam Sanctos fieri, & suo arbitrio ad Dei amicitiam peruenire*: quæ erat profecto

nite-

integra hæresis illius Semipelagianæ factionis in eo excitata Cænobio, vt præter superius expensas duas Augustini epistolas, duosque eiusdem libellos, & præter Valentini epistolam id attestantem, testatur iterum idem ipse Augustinus libro secundo retractationum cap. 66 consulendus. *Vos autem* (sic pergit Euodius in hac epistola ad alteram contrariam factionem ibidem) *Vos autem, ò filij Charitatis, zelum fidei signatum in vestris sensibus* (quos scilicet sensus ex Augustini epistola ad Sixtum se deducere arbitrabantur, eisdemque fauens hic arbitrabatur Euodius) *retinentes, estote securi de ordinatione Dei, quam prædestinando constituit, certaque sit vestris sensibus Apostolico ore dicta sententia. Quoniam cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat*, & prosequitur referendo & vrgendo ad hunc sensum singulas eas auctoritates, quæ in eadem Augustini epistola ad Sixtum 105 afferebantur, adhucq; leguntur; & non semel etiam pariter adhibitā ibidem ab Augustino repetit phrasim. *Hæc à nobis adinuenta non sunt: qui contra nostram sentitis sententiam, saltem Apostoli nobis deffinitionem exponite: Si contra nos venitis, non contra nos venitis, sed contra eum, qui dixit &c. Apostoli verba sunt, nos nihil adiungimus*. Hac ille loquendi phrasi arguendique forma frequentissime vtitur in hac epistola, vt Augustinum imitaretur, qui eadem & phrasi, & methodo non semel vtebatur in eadem epistola ad Sixtum, quam iste Euodius assumpserat explicandam. Sed verius ipse confudit, dum easdem allatas ab Augustino auctoritates aduersus hęresim Semipelagianam, hic perperam, & contra Augustini intentum, in sensum extreme contrarium, ac in errorem Prædestinianum velut deflexo detortoq; collo torquebat, nec perstitit, vti debebat, in medio, quemadmodum ibi & vbique Augustinus permanendum esse admonebat, in duabus epistolis, & duobus libellis ad eosdem Adrumetinos postea transmissis, vt supra ex eisdem locis iam verba retulimus. Ideoque Euodius (qui in hoc medio se continere nesciuit, antequam hos posteriores libros Augustinus transmitteret) non mirum si declinans primum Semipelagianum errorem prolapsus est in secundum errorem Prædestinianum, quo integra hæc epistola scatere videtur in opere Prædestinati transcripta, quam hac occasione de eadem re dissidentium Monachorum in eodem Adrumetino Cœnobio transmissam fuisse, ex recitatis à nobis verbis habetur; & rursus scriptorem appositè Episcopum fuisse (vti & Euodius Vzalensis Episcopus erat) clare subindicant

indicant illa verba subiuncta, *ò filij*, quo titulo Monachi non erant tunc soliti ab extraneo nisi ab Episcopo nominari. Quid si in hac eadem epistola verbatim ferme legatur integra alia Euodij periodus, quam Euodij fuisse à nemine dubitari potest? Rogo itaque, vt in hac ipsa epistola ab authore Prædestinati relata, velis expendere illa verba. *Si omnis*, inquit, *qui vellet, saluaretur, nullus poterit à salute effici alienus, omnis itaque homo saluari vult, sed non omnis saluatur homo. Saluatur enim hic tantum, quem voluerit Deus*. Hæc rursus conferas cum indubitatis Euodij verbis recitatis apud Augustinum libro 3. de libero arbitrio Cap. 3; *voluntas Dei*, aiebat Euodius, *mihi est necessitas: Si enim mihi esset potestas, vt essem beatus, iam profecto essem: volo enim etiam nunc, & non sum, quia non ego, sed ille me beatum facit &c.* En consonantiam iam experiris. Cum igitur sciamus ad hunc Episcopum Euodium tunc scriptum fuisse à Valentino, vt de hac contentione rescriberet, & rescripsisse ex alterius similis epistolæ fragmento extante iam certum sit, epistolæ scilicet responsiuæ ad Abbatem, in qua magis in generali pro non reprehendenda Augustini doctrina respondebat, in hac vero magis in particulari, ad Monachos loquens, ad rationes etiam dubitandi, ac diffidij (vt par erat) descendit; cum, inquam, hæc omnia patefacta iam sint, nemo prudens, vt puto, sententiam, aut coniecturam hanc nostram culpare poterit, aut reprobare.

§. TERTIVS.

Non mirum in dicta epistola Euodium expressisse, aut indicasse, aliquos errores Prædestinianos, cum aliunde discamus eundem Euodium in Prædestinianismum inclinasse.

NEc quidem mirandum est, si Euodium (quem inter Sanctos Ecclesiæ Patres vel pro certo non habemus, vel hactenus saltem non legimus) si hunc, inquam, credamus in hunc Prædestinianum errorem inclinasse, cum eiusdem propensionis non obscura aliunde indicia se prodant, si altius hoc loco breuiterque eiusdem Euodij gestorum seriem repetamus. Hic nempe Euodius (vt nec laudes reticeamus eiusdem) ille idem est, quem Augustinus vt sibi ab initio contubernalem, & ferme origine conterraneum describebat libro nono Confessionum Cap. 8. ad Deum sic loquens. *Qui*

habitare facis vnanimes in domo, consociasti nobis & Euodium iuuenem ex nostro municipio; Qui cum Agens in rebus militaret, nobis prior ad te conuersus est (scilicet de hæresi Manichæorum, in quam simul iuvenis Augustinus incurrerat) *& baptizatus, & relicta militia seculari, accinctus est in tua. Simul eramus, simul habitabamus, placito Sancto quærebamus quisnam locus nos vtilius haberet, seruientes tibi pariter remeabamus in Africam, cum apud Ostia tyberina essemus, Mater defuncta est*, Mater videlicet Augustini. Hic rursus ille est, cum quo *Romæ* Augustinus inire disputationem de quantitate animæ aduersus Manichæos adactus fuit, quam postea recognoscit libro primo retractationum Cap. 8. mandatam litteris in integro libro, qui extat tomo 1. *de quantitate animæ* inscriptus, in quo per modum dialogi Euodius loquitur cum Augustino, & tandem quo ad hanc disputationem cum eodem consentit. Sed postmodum *in eadem Vrbe Romana* hic idem Euodius cum eodem Augustino disputauit, *vnde sit malum*, vt loquitur iterum Augustinus lib. 1. retractationum subsequenti Cap. 9. non minus ad hoc vt hæresim Manichæorum, quam iam ambo reliquerant, quo ad hunc Manichæum errorem de altero præter Deum principio malorum, & faciente naturas malas, profligarent. *Et quoniam*, subdit Augustinus, *constitit diligenter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio, tres libri, quos eadem disputatio peperit, appellati sunt de libero arbitrio*. Et vere, vti nunc legimus, per hanc habitam disputationem in primo libro istius extantis operis de libero arbitrio, constitit vnanimiter resoluta illa quæstio, *vnde male faciamus*; *nisi enim fallor*, inquit in fine eiusdem primi libri & Euodius, *vt ratio tractata monstrauit, id facimus ex libero voluntatis arbitrio, sed quæro* (subdit proponens aliam inde quæstionem in subsequente secundo libro tractandam). *Sed quæro, vtrum ipsum liberum arbitrium, quo peccandi facultatem habere conuincimur, oportuerit nobis dari ab eo, qui nos fecit? videmur enim non fuisse peccaturi, si isto careremus: & metuendum est, ne hoc modo Deus etiam malefactorum nostrorum Author existimetur*. Quæ quæstio hic ab Euodio proposita differtur ab Augustino in secundum librum sequentem. Inde in libro secundo vsque ad Cap. 18. post disputationem pariter conuenerunt in hoc puncto (vt loquitur Euodius ibidem) *ex Deo esse omnia bona quæ sunt, imo*, vt assentitur in Cap. 19. & Euodius, *etiam minima bona a Deo esse*, dubius tamen remanebat

adhuc,

adhuc, *an voluntas libera vt peccare potens*, vt idem ibidem loquitur, inter hæc bona numerari deberet. In libro 3. tandem ac postremo consentit etiam in hoc, de quo dubius remanserat, ac inde proponit aliam quæstionem, vnde sit ipse motus seu actus secundus voluntarius peccandi; & cum in Cap. 2. consensisset & istum vt voluntarium à nostra simul voluntate prodire, vlteriorem & postremam proponit quæstionem, quomodo stante infallibili præscientia Dei innixa proposito diuinæ voluntatis, stet simul hunc actum in nobis, nedum voluntarium, sed etiam liberum permanere posse: quæ sane erat integra Prædestinianorum difficultas, in qua nunc, quæso, audiamus, quænam Euodij sententia tunc esset, nec postea derelicta euidenter, aut permutata ab eodem. *Hoc videlicet*, inquiebat ibi lib. 3. in Cap. 3. loquens ad Euodium Augustinus, *hoc ne conficiatur times, vt aut Deus futurorum omnium præscius impie negetur, aut si hoc negare non possumus, fateamur non voluntate, sed necessitate peccari*; (quæ secunda disiunctiuæ pars iterum erat apposite Prædestinianorum positio) *an aliquid aliud* (pergit Augustinus) *an aliquid aliud te mouet?* Respondet Euodius. *Nihil videri aliud*. Augustinus subiungit. *Res ergo vniuersas, quarum Deus est præscius, non voluntate, sed necessitate fieri putas*. Concedit Euodius dicens: *Omnino ita fieri puto*. En plane Prædestinianam propensionem audimus: & infra iterum: idem Euodius sic loquitur: *voluntas Dei mihi est necessitas: Si enim mihi esset potestas vt essem Beatus, iam profecto essem: volo enim etiam nunc, & non sum, quia non ego, sed ille me Beatum facit*: quæ ferme, vt vidimus, propositio repetita legitur in Epistola ab Auctore Prædestinati transcripta, quam idcirco etiam eiusdem Euodij esse putamus. Et licet Augustinus eo cap. 3. prolixo sermone demonstret, quod *cum Deus sit præscius voluntatis nostræ, cuius est præscius, ipsa erit, voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius* (quæ est illatio deinde adhibita a S. Thoma) adhuc persistit Euodius in cap. 4. sic dicens. *Fateor, nondum video, quomodo sibi non aduersentur hæc duo, præscientia Dei, & nostrum in peccando liberum arbitrium. Scire vellem, qua iustitia puniat Deus peccata, quæ necesse est fieri. Aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præsciuit*. Nec vltro amplius ibi legitur Euodius Augustino in oppositum disputanti respondisse, aut consensisse, vt legenti patebit vsque ad finem libri 3. ex totius illius operis de libero arbitrio: imo post illam adhuc completam, & editam

tam

tam ab Augustino disputationem, longe posteriori tempore iterum idem Euodius in sua hac positione vel difficultate persistens, post iam damnatum Pelagium in Epistola Innocentii 96 apud Augustinum datam anno circiter 417, denuo Euodius epistola 98. apud Augustinum, inter quatuor quæstiones, quas ibi Augustino dissoluendas se antea transmisisse significat, hanc *primam* numerat *de ratione & Deo &c.* Nempe in alia priori epistola, quæ tunc non peruenerat ad Augustinum, & modo inter nuper repertas ac superadditas in supplemento numeratur epistola 244, in qua Euodius Augustino inter alia dicebat. (*Sunt quædam, quæ ratione coguntur vt sint, vt anterior sit ratio, & effectio posterior eius rei, quam futuram esse ostendit ratio; vt verbi gratia, cum mundus factus est, ratio habuit, vt fieret mundus. Prior ergo ratio, quam mundus, est. Ex ergo, quæ sciuit ratio futura esse, subsecuta sunt &c.*) En totam hic repetitam iterum ab Euodio difficultatem, quam antea in libro 3. de libero arbitrio apud Augustinum proponebat. Sed quia prior illa Euodij epistola Augustino directa perierat, vt dixi, ad hanc posteriorem epistolam 98 Augustinus respondens in epistola 99. ad eundem Euodium, illam primam nec nominarat quæstionem, sed alteram soluerat, ideo alteram epistolam repetenti Euodio, ac de hoc conquerenti, Respondet Augustinus epistola 100. ad Euodium exordiens his verbis. *Litteris Sanctitatis tuæ, quibus ingentes texuisti quæstiones, respondere operosissimum est etiam otiosis, & multo maiore, quam nos sumus, præditis facultate disserendi, & acrimonia intelligendi; de duabus sane epistolarum tuarum, quibus multa & magna conquiris, vna nescio quomodo aberrauit, & diu quæsita non potuit reperiri: altera vero, quæ inuenta est, habet commendationem &c. & deinde ex hac occasione proponis & versas de anima obscurissimam quæstionem*, quam ibidem soluit Augustinus, sed adhuc non primam quæstionem propositam in prima epistola vel commemorat, vel summis labijs attingit, quæ sola hic ad rē nostram attinebat. Demum in subsequenti epistola 101 (vt intelligas quod intendimus) requisitus rursus propter hoc de simili quæstione ab eodem Euodio Augustinus respondet. *Multa quæris ab homine multum occupato, & quod est grauius, ea putas præcipitari debere dictando, quæ sunt tam difficilia, vt cum magna diligentia dictata vel scripta, vix peraguntur possint ad intellectum etiam talium, qualis ipse es:* & post nulla, quibus excusat se de non reddita ad omnes eius quæstiones su-

bità responsione, *quia*, inquit, *non debui alia interrumpere cum tua superuenissent &c.* quia videlicet non semel similiter (vt ipse dicit lib. 2. retractationum cap. 15. & sequentibus) libros de Trinitate & huiusmodi alios libros interrumpere coactus fuit, vti & de libris in Genesim repetit cap. 24; quos libros & in hac eadem epistola nominatim commemorat *de Trinitate & de Genesi: & in ipsis opusculis* (addit,) *qua me nunc intentissimum detinent, non defutura puto quadam loca, vbi hac ipsa expediam, qua requiris, si Dominus fauerit; quamquam & illa si relegas, qua tibi iam diu nota sunt, vel nisi fallor fuerunt (quia ea fortasse oblitus es) qua te conferente mecum ac sermocinante circumscripsi, siue de quantitate anima, siue de libero arbitrio, inuenies, vnde dissoluas, & sine mea opera, dubitationes tuas, adhibito scilicet non nullo labore cogitationis tua, vt ijs, qua ibi* (scilicet in libro 3. de libero arbitrio à cap. 4) *ad intellectum liquidum certumque perducta sunt, consequentia nectantur*, nempe vt Prædestinianam vel positionem vel hypothesim tandem exueret, vel difficultatem illam euacuaret, si vellet, iuxta quam inferebat idem Euodius aliquam etiam necessitatem coactionis in Deo, vnde inquit Augustinus: *nunquam tibi videretur ratione cogi Deum esse, vel ratiocinando effici Deum esse debere*: & in fine concludit: *mitte & illius epistola exemplum, qua apud nos aberrans non potuit inueniri.* Sed quia Euodius iam ante annum circiter 417 ad Adrumetinos responderat, iuxta suam Prædestinianam propensionem, idcirco non repetiuit amplius eam primam quæstionem, sed noua curiositate permotus (ex Augustini litteris) perquisiuit postea, quæ essent illa, quæ penitus occupatum tunc Augustinum detinerent, vnde in subsequenti epistola 102 Augustinus sic incipit ad eundem Euodium Episcopum. *Si ea, qua me magis occupant, & à quibus in aliud auerti nolo, sanctitas tua nosce tanti habet, mitte aliquem, qui tibi describat. Iam enim plura perfecta sunt, qua hoc anno ante Pascha propinquante quadragesima à nobis fuerant inchoata*, & statim numerat quinque libros de Ciuitate Dei, & trium Psalmorum expositionem, præter libros de Trinitate, vt videas posteriores istas epistolas inter Augustinum & Euodium ab anno 418 posteriori tempore intercurrisse, quo tempore Augustinum prædictos libros vel scripsisse vel compleuisse chronologice ab alijs probatum est, & consequenter postquam ne dum Euodius ad Monachos Adrumetinos iam scripserat, verum etiam postquam Augu-

stinus

stinus ipse ad eosdem suas epistolas cum suo libello de gratia & libero arbitrio transmiserat. Versabatur igitur (vt concludamus intentum) eo tempore adhuc, cum Euodius scripsit ad Adrumetinos, Euodij mens in ea perantiqua sua & præpostera propensione in Prædestinianismum, quam inde non mirum si expresserit etiam in extante epistola, quam examinamus, & quam ille transmittens ad quosdam Prædestinianos Adrumeti Monachos, occasione epistolæ Augustini à neutris vere intellectæ, ansam præbuit fortasse & suis Vzalensibus iste Vzalæ Episcopus Euodius, incidendi in eundem Prædestinianorum errorem; Sic enim huc sponte venit in hoc sensu accipienda attestatio & Sigiberti Gemblacensis in Chronico ad annum 414 (quo anno scilicet dissensio Monachorum Adrumeti inchoata fuerat) aientis: *Prædestinatorum hæresis ex hoc tempore cæpit serpere &c.* (cuius etiam dogmata erronea recenset, ac subdit) *hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium accepisse dicitur*: En ex libris vtique male intellectis, tum à Prædestinianis Adrumeti Monachis, tum ab Euodio Vzalæ Episcopo inclinante in eundem errorem, vt vidimus, ac ideo ex hoc tempore incautè eandem hæresim extendente in suos, ac dilatante, vnde & in hoc sensu verum dixit Auctor Prædestinati in hæresi 90 *Prædestinatorum hæresim de nomine Augustini Episcopi mentitam esse*. Sed quid perquirimus alia? Dum Augustinus ipse in epistola 46 ad Valentinum Adrumeti Abbatem, *sunt quidam*, inquit, non dubitatiue loquens sed assertiue, *sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium*; & ne dum libro secundo retractationum cap. 67 attestatur se misisse suum librum de correptione & gratia ad Adrumetinos contra Prædestinianum errorem inceptum ibidem, verum etiam & postea circa annum 429 scribens librum de Dono perseuerantiæ cap. 15. expresse repetit in hoc errore denuo fuisse quendam alterum Hipponensem suum Monachum, *in nostro*, inquit, *Monasterio*, cuius Prædestinianum errorem describit ibidem, & cap. 16, immediate sequenti, generalius hæc subdit: *Sunt etiam*, inquit, *qui propterea, vel non orant, vel frigide orant, quoniam dicente Domino didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, priusquam ipsi petamus ab eo*: Quæ sane huic apposite errori Prædestiniano conformia leguntur in hac ipsa Euodij epistola, vbi præmisso exemplo Iudæ & Pauli, quorum alter, licet Apostolus Christi esset, proditor & damnatus euasit, alter licet pessimus persecutor

Christianorum & Christi, Apostolus Christi factus est, per Dei Prædestinationem & gratiam, inde pessime sic inferrebat creditus idem Euodius: *Quid ergo tu, qui in peccatis permanes, expauescis? si te Deus dignatus est, Sanctus eris. Aut quid tu, qui in Sanctitate viuis, sollicitus es, quasi tua te sollicitudo conseruet? Si Deus noluerit, nunquam cades. Vterque de Deo securi estote. numquid tu qui sanctus es, & sollicitus es ne corruas, & die noctuque orationibus ades, &c. numquidnam tuo hoc studio saluus eris? numquid sanctior eris Iuda, qui antequam caderet accepit potestatem infirmos curandi, dæmonia fugandi, mortuos suscitandi, collega Apostolorum & Christi discipulus, & tamen, quia Prædestinatus est ad mortem, æternam mortem accepit? Cessa de te ò homo, cessa, inquam, esse sollicitus. Nihil enim boni tu Deo obtinebis inuito, sed si te dignabitur Deus, vt in bono permaneas, saluus eris*: Hæc iste, quæ cum mox ante relatis ab Augustino Prædestinianorum erroribus manifeste conueniunt. Clarescit igitur iam luce clarius in hoc præpostero Prædestiniano sensu hunc Euodium fuisse, & quod peius est, dum istam epistolam ad Adrumetinos scriberet, pro explicanda Augustini epistola ad Sixtum, in hoc eodem sensu perperam eandem Augustini epistolam intelligere malluisse, ac inde, vt par est credere, cum suam hanc epistolam exararet Euodius ad eum finem, vt Augustini doctrinam de Prædestinatione & gratia eisdem Adrumetinis exponeret (licet verius confuderit) par est credere, inquam, potuisse suæ huic eidem epistolæ ad Monachos Adrumetinos hunc præfigere titulum, aut inscriptionem consimilem, *Augustini Hipponensis Episcopi explicatio seu eiusdem doctrinæ expositio de Prædestinatione & gratia*, vti & ab aliquo altero veraciter ad intentum Euodij hic titulus apponi valebat: Ex quo deinde titulo dirigente de hac re epistolam ad Adrumetinos, ad quos eosdem de eadem re certum erat postea Massiliensibus, & Augustinum ipsum duas epistolas direxisse (quæ nunc in tomo epistolarum Augustini sunt epistolæ 46 & 47) simul cum duobus alijs suis libris ad eosdem de re eadem transmissis, quis non videt facillime & Massilienses & Gallos huiuscemodi æquiuocatione deceptos supponere hanc Euodij epistolam potuisse, velut vnam ex alijs veris Augustini Epistolis, vel vnum ex alijs duobus libellis eiusdem, sicque circumlatam tunc istam Euodij epistolam sub nomine Augustini fuisse? vt Auctor Prædestinati postea in suo libro secundo referebat.

§. QVAR.

§. QVARTVS.

Qua occasione hac Euodij epistola, credita posteà per errorem velut Augustini, ad Massilienses vel Gallos deportata sit.

DE modo autem & tempore, quo in Italiam ex prædicto Aphricano Cænobio ad Massilienses & Gallos deriuata sit hæc epistola Euodii, vt breuiter dicam, audiendus est in primis Prosper in Epistola ad Augustinum de tunc exoriente Massiliæ ad annum circiter 426 Massiliensium errore, ac inter alia de suis Massiliensibus dicens. *Cum aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc & apertiorem beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare: euenit ex dispositione diuinæ misericordiæ, vt cum quosdam intra Africam similia mouissent* (scilicet Monachos Adrumetinos in Africano Cænobio) *librum de correptione & gratia plenum diuinæ authoritatis emetteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato putauimus omnes querelas resistentium* (scilicet Semipelagianorum Massiliæ) *sopiendas; quia vniuersis quæstionibus, de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam plene illic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, vt quæ apud nos erant turbata, componeres.* Nempe quia sicuti in Adrumetino Monasterio triplex iam factio seu triplex pars diuisionis adfuerat, duæ extremæ, & eroneç, & vna media cum veritate sententia, altera extrema Semipelagianorum factio, altera secta extrema Prædestinianorum, & altera vera sententia media Valentini & Flori sustinentium iuxta Augustini doctrinam cum victrice gratia illæsam etiam libertatem, ita renouato hoc eodem de eadem re in Vrbe Massiliensi dissidio circa eandem Augustini doctrinam, aliqui Massiliæ pariter Semipelagianismum, vel incæperunt, vel antea natum in Africa auxerunt denuo, ac promouerunt, opponentes non minus, vt ibi, hic etiam ex aduerso errorem Prædestinianum veris Augustinis discipulis, qui in rigore Augustini doctrinam sectabantur, quos Prosper ibidem *paucos* quidem appellat, *sed intrepidos perfectæ gratiæ amatores*. Verum, vt subdit continuo Prosper ibidem. *Recensito hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui Sanctam atque Apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt*

facti,

facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro (scilicet noui Semipelagiani) *auersiores quam fuerant recesserunt*. Rogauerunt propterea Prosper & cum eodem Hilarius, vt iterum audiens adauctas ibi istorum obiectiones, quas in suis epistolis ad eundem Augustinum describebant, rescriberet ac responderet, & Hilarius præterea in epistola sua expetebat, tum libros retractationum dicens: *libros cum editi fuerint, quos de vniuerso opere moliris, quæso, habere mereamur, maxime vt per eorum authoritatem, si qua tibi in tuis displicent, à dignitate tui nominis iam non trepidi sequestremus*: tum alterum opusculum, quod ad eosdem Adrumetinos conscripserat de gratia & libero arbitrio, dum inquit: *librum etiam de gratia & libero arbitrio non habemus, superest vt eum, quia vtilem quæstioni confidimus, mereamur accipere*. Inde cum certum sit ex Africa ab Augustino transmissos aduenisse Massiliam circa annum 429, vel 430, duos illos postremos Augustini libros pro Massiliensium errore compescendo conscriptos, de Prædestinatione Sanctorum & Dono perseuerantiæ, & ex Cænobio Adrumetino ex Africa pariter simul delatum fuisse ad Massilienses alterum librum (qui per Hilarium petebatur) de gratia & libero arbitrio, qui ad eosdem Adrumetinos conscriptus fuerat, hac occasione crediderim simul (si non antea cum altero prius habito ex eodem Africæ Monasterio libro de correptione & gratia) ex eodem Adrumeti Cænobio deriuatum esse & libellum illum Euodii iam supra descriptum, quem pro explicando sensu (vt ipse putabat & ab aliis postulabatur) epistolæ Augustinianæ ad Sixtum, ad annum 417 ad eosdem Adrumetinos direxerat, & eo fortasse titulo insigniuerat, vt diximus, scilicet ad Monachos Adrumetinos, *Augustini Hipponensis Episcopi doctrina, seu eiusdem doctrinæ explicatio de Prædestinatione & gratia &c*; & cum alioquin iam Massilienses & Galli antea præsciuissent, ac pro certo haberent, ad eosdem apposite Adrumetinos Augustinum vere scripsisse de eadem Prędestinatione & gratia epistolas duas, duosque libellos, quis quæso mirari nunc potest, si aliqui Gallorum aut Massiliensium inde decepti putarunt etiam hunc Euodii libellum Augustini fuisse? Quemadmodum in simili omnino dicebat S. Remigius seu Ecclesia Lugdunensis in opere de tribus epistolis cap. 35. ad Hincmarrum seculo 9, (inter cuius codices postea hoc nostro seculo repertum est à Sirmundo hoc opusculum Prædestinati) *Quia Auctor libri Hipomnesticon, ipsius Beati Augustini sensus breui*

ne opuſculo velut in vnum coegiſſe, & expliciuiſſe videbatur, ideo ipſi opuſculo nomen Sancti Auguſtini in titulo praeferre voluit: Non quod vere ab illo editus eſſet, ſed vere (in quantum eius auctor potuit) iuxta formam diſputationum eius digeſtus, atque compoſitus. Velut ſi eundem libellum Hipomneſticon Latine memoratorium Sancti Auguſtini appellare voluiſſet) ex quo ibidẽ S. Remigius ſeu Eccleſia Lugdunenſis ſcribens ad annum 850 concludit, non mirandum eſſe, *ſi aliquis eorum, qui poſt S. Auguſtini obitum extiterunt, ſimpliciter eum ex titulo, qui à S. Auguſtini nomine inſcriptus erat, non conſiderata diligentius ratione, etiam ipſius eum eſſe credidit, cuius in fronte nomen inuenit?* Hæc ibi. Quis rurſus neſciat in ſimili omnino de epiſtola Pelagiana ad Demetriadem falſo attributa Hieronymo contigiſſe? cum enim pariter certum eſſet extare quandam vtique catholicam epiſtolam inſcriptam ad Demetriadem (quæ incerta diu inter Ambroſii epiſtolas, recognita poſtea velut genuini parentis, inter cætera Proſperi opera nunc legitur) aliqui tunc reperientes & aliam epiſtolam inſcriptam ſimiliter ad Demetriadem, licet Pelagiana tabe madentẽ, Auctori Catholico attribuerunt & iſtam, atque vſque à tempore Bedæ (ex eiuſdem Bedæ præfatione in cantica) velut Hieronymi reputata fuit, quemadmodum adhuc in tomo 9. Hieronymi legitur; cum tamen exploratum ſit, & compertum, eam ſcriptam eſſe à Pelagio, vt eruditi communiter obſeruarunt ex Auguſtino epiſtola 143, & in libro de gratia Chriſti capite 22, & ex Oroſio in Comunitorio & cæteris. Non ergo mirum (præſertim attentis omnibus, quæ prænotauimus, ac ſimilia contulimus) hic pariter idem de Prædeſtiniana Euodii epiſtola in ordine ad Auguſtinum eueniſſe, vti opportuniſſimè de ſimili altero libro eidem Auguſtino per deceptionem attributo, productis & ſimilibus aliis exemplis, diſcurrebat Eccleſia Lugdunenſis libro de tribus Epiſtolis cap. 35 Hincmarro reſpondens, qui & hoc Prædeſtinati opuſculum poſſidebat.

§. QVIN-

§. QVINTVS.

Galli inde post Augustini mortem, partim ob liuorem, ex legitimis Augustini operibus, partim ob deceptionem ex hac falso credita Augustini epistola, sua xv. Gallorum capitula construxerunt, à quibus dum Cælestinus Augustini doctrinam vindicauit, indirecte remansit hic suppostititius Euodij libellus proscriptus &c.

MAssilienses autem seu Semipelagianos susceptis etiam postremis Augustini libris de Prædestinatione Sanctorum & de Dono perseuerantiæ (quibus conscriptis obiit ferme immediate Augustinus eodem anno. 430) hoc non obstante restitisse adhuc, ac temere imputasse eidem Augustino Prædestinianos errore (vti iam imputarat & factio Semipelagiana Adrumeti Valentino simul & Floro) testatur Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30 scribens. *Non ignoras etiam præterito tempore illi luculentissimo S. Augustini operi, quod scripsit de Prædestinatione Sanctorum, à quibusdam Gallis obiectum, quod B. Augustinus in assertione Prædestinationis diuinæ peccatores non solum Prædestinari diceret ad iudicium, sed etiam ad peccatum, cuius Augustini dicta, quia ipse celeri præuentus est obitu, Prosper vir eruditus & Sanctus recta defendit fide & copioso sermone*: Dum scilicet præsertim Prosper, vt mox dicemus, ad tunc euulgata Gallorum capitula post mortem Augustini respondit. Imposuerant etenim Galli aut Massilienses & antea hanc probrosam Augustino diffamationem, antequam vel Augustinus obiisset, vel ipsi ad se translatam Prædestinianam Euodii epistolam recepissent, quæ velut data ab Augustino reputata fuit, vt diximus, ex eo præsertim quod certum esset & Augustinum plures epistolas ac plures libellos de eadem re ad eosdem Adrumetinos misisse: Sed hanc oretenus tantum pro tunc disseminabant calumniam, scriptis autem non audebant committere, vt Prosper ipse testatur in epistola ad Ruffinum eo oportune tempore scripta, quo Augustinus adhuc viuebat, quem ideo velut superstitem adhuc in sua senectute in eadem epistola *senem & præcipuam in hoc tempore portionem Domini Sacerdotum* appellat, & inquit. *Insinuanda prius Sanctitati tuæ est qualitas quæstionis, de qua ista* (quæ scilicet, vt præmiserat, *ab aduer-*

uersantibus disseminantur) *ista nascuntur, quo tibi magis pateat falsitas obloquentium, & videas quam lucem quibus tenebris conentur obducere*; & post recitatam distincte hæresim Semipelagianam tunc exorientem in Gallijs post Pelagianam, *Augustino*, subdit, *quidam nostrorum* (scilicet Gallorum aut Massiliensium) *occultis sed non incognitis susurrationibus obloquuntur. Et pro vt sibi obnoxias aliquorum aures opportunasque repererint, scripta eius, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submouere* (en imputatum Prædistinianum errorem) *& sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. Quæ si vera sunt*, (en tamen quomodo has attroces calumnias non audebant adhuc tũc temporis scriptis operibus promulgare) *quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam impij, sunt, vt tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant? tam insanis Prædicationibus non resistant? nec saltem aliquibus scriptis eum, à quo talis emanat doctrina, conueniant?* & paulo post. *Sed norunt etiam in ipsis his locis, in quibus aduersus eum quærimonia concitatur* (scilicet in his Galliarum confiniis) *esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Euangelicæ Apostolicæque doctrinæ saluberrimis eius disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris Corporis Christi, inquantum ea ipse multiplicat, dilatantur. Si recte reprehendimur, cur non constanter arguimur? Si arguendi non sumus, cur occulta obtrectatione mordemur?* En itaque pro eo priori contentionis tempore non audebant Massilienses, aut Galli, scriptis suis in apertum prodire aduersus Augustinum, & prodere in publico, quod disseminare cœperant in occulto, quousque superueniente ex Africano Cœnobio prædicta Prædestiniana Euodii epistola (sub nomine Augustini supposita, aut reputata) tuncque erexere animos præsertim post obitum Augustini, de quo ibidem aiebat Prosper: *Si quam hinc mouissent quæstionem in qualibet frequentia Sacerdotum, in qualibet congregatione populorum, non dubitassent centenis sibi beatissimi Augustini voluminibus obuiandum.* Post eiusdem, inquam, Augustini obitum, & ex nuper habita eadem Prædestiniana epistola, facti sunt audaciores, ac velut de capta preda exultantes, hoc tempore Semipelagiani, tum culpabiliter vtique ob liuorem ex aliis etiam veris Augustini operibus pessime intellectis, (vti & Adrumeti in Africa contigerat) tum excusabiliter quo ad hoc ob deceptionem, ex falso supposito ipsi Augustino libello, eidem ipsi Augustino (&

ne dum eiusdem discipulis, vt postea contigit) imputarunt in promulgato diabolico indiculo singulos illos Prædestinianos articulos, qui vocantur Gallorum Capitula, ad quæ continuo (etiam antequam Cęlestinum adiret) respondit vberrime Prosper (idcirco in hoc opere non memorans adhuc Cælestini approbationem, quæ postea contigit anno 432, bene supponens Augustinum defunctum, quem *Sancta Memoria* nominat)& in præfatione exorditur his verbis. *Doctrinam, quam Sancta Memoria Augustinus Episcopus contra inimicos gratia Christi, & liberi arbitrij decomptores, per multos annos Apostolicè asseruit, litterisque mandauit, quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre, vt quæ in libris prædicti viri damnabilia se reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculis prædicarent, talique commento & detestationem eius, quem impeterent, obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris auerterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, & talem putet sensum scriptis Catholici Doctoris inesse, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, quæ titulo rationis prænotarunt, breui & absoluta professione respondeo:* & singillatim ad capita obiecta descendit, quæ singula prędestinianũ errorem continebant, quæque in epistola vtique Euodii, non vero in legitimis Augustini operibus, inueniri videbantur, ostendens ex Augustini doctrina extante in legitimis eiusdem libris ea singula capita refutari, nec consequenter veris Augustini operibus imputari vllatenus potuisse aut debuisse: quemadmodum & mox ante de eisdem oretenus affrictis eidem Augustino erroribus aiebat in epistola præcitata ad Ruffinum: *Neque ipsum quidem Augustinum onerant, in cuius libris copiosissime huiusmodi destruuntur errores, nec nos perturbant, qui tales opiniones cum suis authoribus execramur:* En concessam à Prospero damnationem Prædestiniani erroris inclusi in epistola Euodii, eamque separatam à legitimis Augustini operibus, de quibus subdit ibidem: *Videant quomodo se à dedecore istius exuant falsitatis, qui possunt tam inepta confingere, si hi, quorum auribus abutuntur, aliquantulum diligentia ad ea cognoscenda, quæ præstantissimus minister gratia disputauit, intenderint. Licet omnem istius inquisitionis moram ipsi, qui hæc loquuntur, præuenire deberent, proferendo atque explicando libros* (scilicet legitimos & indubitatos, non dubios vel spurios) *vllamve eorum particulam de-*

mon-

monstrando, quam per dubium saltem intellectum tali interpretationi obnoxiam vir Sanctus (non vero Euodius aut alter eorum errorum Author) *ediderit. Sed prorsus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt &c.* scilicet etiam in duobus vltimo scriptis & missis ab Augustino libellis ad Massilienses, responsiuis narrationi eiusdem Prosperi & Hilarii de eorundem Massiliensium erroribus, vel in libro de correptione & gratia, quem eodem tumultus tempore ad eosdem Massilienses ex Africano Cænobio (ad quod scriptus fuerat) peruenisse testatur idem Prosper in altera epistola ad Augustinum, quique prę cæteris, ex Prospero ibidem, eisdem Massiliensibus displicebat, & si in eodem libro principaliter Prædestinianus error refutaretur. Cum hac itaque scripta postmodum responsione ad euulgata Gallorum Capitula, post Augustini mortem, velut cum supplici informationis libello (vt moris est) Prosper simul cum Hilario contra eosdem librorum Augustini obtrectatores adiuit Cælestinum Pontificem circa annum 432, Romæque præmissa (vt fieri consueuit) coram Pontifice de eiusdem Augustini operibus consultatione solemni, impetrauit eam iam notam pro Augustini doctrina aduersus eosdem Semipelagianos Epistolam decretalem directam ad Episcopos Galliæ, vt ipse idem Prosper descripsit postea in libro contra Collatorem cap. 42. de Cælestino sic dicens. *Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui Sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium actione suscepta, & librorum* (scilicet verorum vsque ad postremos contra Semipelagianos editorum ab Augustino, non spuriorum ab Euodio &c.) *& librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum authoritate sentiri* (nota & hic præsuppositum librorum examen) *Sancto manifestauit eloquio, euidenter pronuncians, quantum sibi præsumptionis istius nouitas displiceret* (scilicet in primo capite epistolæ decretalis, præter oretenus pronunciata in examine) *qua auderent quidam aduersus antiquos magistros insolenter insurgere, & indisciplinata calumnia* (videas & hic indicatam falsi libelli imputationem) *& indisciplinata calumnia Prædicationi veritatis obstrepere, Augustinum inquiens* (scilicet in secundo Capite decretalis) *Augustinum Sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra cõmunione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit &c. inde resistendum talibus, quos*

male crescere videmus &c. intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio de tali re imposterum querela cessauerit. Sic vtique implicite saltem in hac decretali (quæ explicite & primario aduersus Semipelagianos edita erat) indirecte damnatus mansit silentio & liber ille falso impositus Augustino, errores continens Prædestinianos, dum explicite damnata est imputatio illorum capitum in Gallijs emissa, & inique collecta, tum ex indubitatis Augustini operibus, tum apparentius vel excusabilius ex spuria illa Euodii epistola sub Augustini nomine ab aliquibus credita, & circumlata. Implicite, inquam, & spurius iste libellus damnatus est, licet de istius titulo in decretali expressa mentio facta non sit, sicut neque in approbandis legitimis Augustini operibus explicita eorundem mentio facta perlegitur in eadem decretali Pontificis, quemadmodum obseruauit & Prosper eodem cap. 42. ita subiungens: *Librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus, & in omnibus operibus* (scilicet indubitatis Augustini libris, vt distinctis à spuriis, quæ indubitata ibidem saltem, præcipua & scripta, præsertim aduersus errorem Pelagianum, longo cathalogo recensentur) *in omnibus operibus multisque alijs, quæ numerare longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem Prædicationis forma præcessit* (vt inde dignosci posset ac respui difformiter longe distincta, ac erronea norma docendi in altero libro Augustino supposito, qui Euodii Prædestinianus libellus erat) *horum librorum in cunctis voluminibus norma laudatur* (scilicet indubitatis) *Apostolica enim sedes quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat*, & ex aduerso per consequens, quod à præcognitis scilicet indubitatis & legitimis discrepat, vt spurium, & extra legitima reprobat, & condemnat. *Maneat ergo* (recte concludebat ibidem Prosper, atque in hoc puncto saltem etiam cum Augustini æmulis conueniebat) *maneat plane, maneat ista conditio, vt inutile aut incongruum iudicetur* (seu ex Cælestini examine seu ex decretali iudicatum sit) *quod ab his libris, quos contra Pelagianos Augustinus condidit, dissonans inuenitur*, & consequenter conclusum maneat, vt cũ hic Prædestinianus libellus Euodii omnino *dissonet* iis libris, quos contra Pelagianos, & Pelagianorum reliquias iam Augustinus condiderat, vt erant liber de gratia libero arbitrio, & liber de correptione & gratia cum duabus connexis epistolis, in quibus, vt supra vidimus, eosdem Prædestinianos errores

iam

iam refutarat, hic consequenter Prędestinianus libellus Euodii censeatur per Cælestinum iudicatus *incongruus* falsoque proinde Augustino suppositus, ac vno verbo per Cælestinum *silentio damnatus*. Iuxta hunc itaque sensum permitti vtique possunt & ea verba Auctoris Prædestinati in hoc opusculo (quod tractamus) in præfatione sui libri primi dicentis: *hunc librum* (scilicet ab aliquibus sub nomine Augustini creditum, sed ab Euodio vt Auctore conscriptum, pro explicanda, vt putabat Euodius, verius pro confundenda, Augustini epistola ad Sixtum) *hunc librum*, inquit, *aliquando sibi oblatum beatissimæ memoriæ Summus Pontifex Cælestinus ita execrationi habuit, vt eum perpetuo iuberet damnari silentio*: ex quibus verbis Hincmarrus (qui seculo nono huius sic loquentis auctoris opusculum legerat, & possidebat, si Sirmundo credamus) idcirco & ipse permissibili in hoc sensu accipiendus dicebat in epistola ad Nicolaum Papam: *Hæresis Prædestiniana primum in Africa exorta, & postea in Gallia, per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis exorta est tempore Cælestini Papæ, ipsius authoritate & instantia S. Prosperi est reuincta*. In hoc, inquam, & repeto, permissibili sensu hæc Hincmarri locutio tolerari potest, quod dum Cælestinus, qui Nestorianam hæresim peremit, fere eodem tempore in decretali primario hæresim Semipelagianam repressit, secundario etiam, iuxta mox dicta, Prædestinianam hæresim reuinxit; vbi si in alio sensu etiam de intento primario Hincmarrus intelligeret (præter à me alibi obseruata in oppositum lib. 5. q. 2. ar. 2. & à Contenzonio in Appendice de Prædestinianis §. 2. ad secundum & 3.) satis esset tum illa periodus in epistola Cælestini cap. 3. *contra nocentissimos liberi arbitrij defensores*, tum singulorum ibidem capitum series, tum Prosperi carmen in Epitaphio hæresis Nestorianæ, quæ sic inducitur loquens in ordine ad Pelagianam.

Me tamen vna dedit victam sententia letho,
Illa, volens iterum surgere, bis cecidit.

dum nempe idem Cælestinus, qui Nestorianam exordientem peremit, Pelagianam peremptam antea sub Innocentio, & Zozimo, & resurgentem in Semipelagianis Massiliensibus, & Gallis, sua decretali iterato repressit.

§. SEX-

§. SEXTVS.

Post obitum Cælestini hic Auctor operis Prædestinati occasionem reassumens ex dicta Euodij epistola iam ab albo librorum Augustini reiecta, non amplius in Augustinum, sed in Augustini discipulos Hilarium & Prosperum suam bilem in hoc opere euomuit.

APprobata igitur ex pręcipuo intento Pontificis Augustini doctrina contra Massilienses (quod melius obseruare voluissem in historia Prædestiniana Sirmundum) idest primario stabilita, ac firmata aduersus Semipelagianos, illaque vindicata subinde ab importata Prædestiniani erroris calumnia, consequenter ac secundario ablegata fuit ab eodem vt Auctore Augustino Prædestiniana illa Euodii epistola, vt diximus; hinc pro eo recenti tempore (quo decretalis expresse in Augustini fauorem edita visebatur) Semipelagiani in Vrbe Massiliensi, & in reliquis Galliarum partibus probe senserunt, non sibi licere prædictos Prædestinianos errores amplius ipsi Augustino attribuere aut exprobare. Inuerterunt proinde pugnandi artem & iras, vt superuiuentes ad minus tunc adhuc Augustini discipulos aggrederentur, eo consimili omnino modo, quo ad annum 1487, post iam semel visas doctrinæ S. Thomæ approbationes, tum Innocentii, tum Ioannis 22. tum Vrbani 5, ne his decretis probantibus S. Thomæ doctrinam reluctarentur, vel reluctari viderentur, quidam tunc Parisienses in edita apologia contra nostrum Ioannem à Montesono (quæ legitur in fine Magistri sententiarum) se non minus in has latebras receperunt, post tertium articulum aientes. *Nos millies diximus, & vt videmus, non sufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam indicta nostra condemnatione nequaquam reprobamus, sed hunc eiusque fautores doctrinam eius ad distortum fideique absonum sensum adaptantes.* Ita similiter hic Semipelagiani in illis Galliarum confiniis, ad annum circiter 434, post evulgatam ineluctabilem Pontificiam pro Augustini doctrina approbationem, incæperunt, non amplius Augustinum ipsum, sed eiusdem discipulos impetere, & criminari; quidquid sit de Fausto postea versus finem eiusdem seculi, qui velut iam tepuisset, aut in obliuionem Cælestini approbatio dimissa fuisset, aliquid iterum,

quod

quod esset apud doctissimos viros suspectum, vt ipse loquitur in epistola ad Græcum Diaconum, in Augustino reprehendit, vti & similiter fere locutus est exinde Gennadius Massiliensis in libro postea de scriptoribus cap. 38. Non, inquam, pro illo saltem recenti tempore Cælestinianæ approbationis, vltro in Augustinum, sed solum in Hilarium, & Prosperum eiusdem Augustini discipulos arma verterunt, vt plane nunc constat ex hoc integro opusculo (de quo nunc agimus) eo recenti tempore edito, & inscripto sub nomine *Prædestinati*, seu aduersus prædestinatos vel *Prædestinatores*, vt in eodem opusculo impugnati discipuli Sancti P. Augustini vocantur; dum huius operis Auctor in præfatione operis protestatur, aut simulat, se taciturum fuisse, *si ijdem*, ait, *toties vt tacerent admoniti, saltem mediocriter contentionis suæ impetum temperassent, non etiam audacter sub Augustini nomine libros ederent, & scriptorum suorum iaculis membra immaculatæ matris nostræ Ecclesiæ vulnerarent &c. quis enim nesciat Augustinum orthodoxum semper fuisse Doctorem* (vt Cælestinus decreuerat) *& tam scribendo quam disputando omnibus hæreticis obuiasse? Volentes ergo isti* (scilicet suppositi Augustini discipuli) *inimicum fidei nostræ inter fratres dogma inducere, Catholicum supra liminare libri sui titulum posuerunt* (scilicet nomen Augustini super libellum Euodij, quem libellum, per calumniam aiebat, ab eisdem Augustini discipulis Hilario, & Prospero sub ficto Augustini nomine divulgatum, vt subdit, licet mox ante *à Cælestino silentio damnatum*) *Clanculo*, inquit, *eum per domos diuersas tradunt lectitandum, vt in modum Symboli non discutiendus tradatur aliquibus, sed credendus*. Hæc omnia præmittit hic Auctor in libri primi & totiùs operis præfatione, ne temerè reluctari videretur (contra Hilarium, & Prosperum scribens) Decretali Pontificis Cælestini contra se ipsum, & Semipelagianos ad Galliæ Episcopos Capite primo dicentis. (*Prosper & Hilarius etiam tantum nescio quibus Præsbiteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, vt indisciplinatas quæstiones vocantes in medium pertinaciter eos*, scil. Hilarium & Prosperum, *eos dicant prædicare aduersantia veritati*, & paulo post præcipieb at, *ne permitterent illis*, scil. Semipelagianis, *tantum loqui, & corriperentur huiusmodi, nec esset eis liberum habere pro voluntate sermonem*, huic, inquam, decretali Pontificis mox ante emanatæ, ne contra eosdem Hilarium, & Prosperum scribens obsistere videretur, idcirco

circo in his hucusque præmissis suę veluti coactę, ac necessariæ scriptionis causam designabat, scilicet præsuppositam (vt ipse fingebat) eorundem contentiosam, dolosamque audaciam, velut Prosper in mox ante edita responsione ad Gallorum Capitula, vti & in Collatorem passim, præsertim Cap. 41, sui æmulos Gallos de hæresi Pelagiana notaret, vnde ad hæc omnia respiciens hic Auctor in fine huius eiusdem præfationis libri primi subdebat. *Quotiescunque autem nos contra eos suscepimus, dixerunt nos ex hæreticorum argutijs contra se agere. Videntes enim se ita superari, vt respirare non possent, hanc calumniam semper Catholicis* (scil. Gallis, qui Gallorum capitula ediderant) *irrogarunt, vt dum timent se hæreticos infamari, in silentio loquelam veritatis arctarent*) per impetratam Cælestini scilicet Decretalem eisdem Gallis imponentem silentium, propter quam infra in præfatione libri tertii conuersus ad Ecclesiam aiebat. *O Sancta mater Ecclesia &c. contra eos, qui per te contra te arma corripiunt, nostras vires exalta &c.* vti & antea in eadem præfatione libri primi dicebat, *Quis filius matrem suam cadi non doleat? quis genitricem suam vulnerari non plangat? an tacebimus illa* (scil. Ecclesia) *laborante? Sed silentium nostrum reatus docebitur, & taciturnitas videretur esse consensus. Præsertim si & ipse taceas, & eum, qui loqui voluerit pro defensione matris communis, forsitan silere compellas &c. contra librum igitur matri Ecclesiæ tendentem insidias diuini oris arma corripimus, qui, cum sollicite celatur, & occulte legitur, & caute conscribitur, tandem aliquando non tam editus quam deprehensus ad manus nostras peruenit, qui Augustinum mentitur in titulo, cum se hæreticum ostendat in textu &c. Ita contra hunc suscipimus, vt aduersum singula blasphemiarum eius dicta, tam rationabili veritate, quam legali auctoritate pugnemus*, quem vbique supponit ab eisdem duobus Hilario & Prospero, & ficte scriptum, & subdole divulgatum. Hinc iterum in præfatione libri 3. profitetur se scribere solum *contra hos*, inquit, *contra quos nullus adhuc scribendo pugnauit, cum illi scriptis suis sub Sacerdotis Augustini nomine totum pene iam vulnerauerint mundum, vitiatos libros proferendo, & varias epistolas dando, quos memorati Hipponensis Episcopi esse confingunt*: nempe, vt etiam ex relationibus Hilarii & Prosperi mox ante dicebat de Massiliensibus eisdem Augustinus ipse libro de Dono perseuerantiæ Cap. 21. *& ipsi epistolæ, quam iam contra Pelagianos ad Sanctum Paulinum Nolanum Episcopum feci, contradicere modo*

do ceperunt. Pergit nunc Auctor ad initium lib. 3. *Nonagesimam*, ait, *hæresim Prædestinati fecerunt, ostendentes libros falsos, quos Augustini esse confingunt, cuius dicta in multis locis leguntur istis libris valde contraria. datur ergo suspicio vere Catholicis, quod tam scelerata dicta viri Orthodoxi esse non possint*. Et demum expressius idem hic Auctor eodem libro 3. ante medium, *Soli duo*, concludit denotans Hilarium, & Prosperum, *Soli duo, aut tres homonciones cæcum habentes cor, egrediuntur cum his libris Apostaticis, quos viri Catholici esse confingentes, totum vulnerant mundum &c: atque vnius loci obscuritatem passi, tanto lumini tamque immenso splendori tenebrarum suarum volunt inferre caliginem*: Et ne aliquis posset in defensionem Hilarii, vel Prosperi respondere, iam Prosperum saltem mox ante respondisse ad similia Gallorum capitula, quibus iidem errores Prædestiniani simul Augustino imputabantur, ibique, dum ostendit illos errores longe esse ab Augustini doctrina, consequenter & eum ostendisse se illis erroribus non adhærere; ne, inquam, pro Prospero aliquis sic respondere cogitaret, idcirco hic Auctor Prædestinati præueniens & istam defensionem subiungit, illos vtique negasse aliquando se huiusmodi errata docere, sed simul ex edito ab eisdem Prædestiniano libello, vel de mendacio, vel de contradictione conuinci: Vnde eodem libro 3. post recitatum ad hoc ex eodem libello prolixum fragmentum erroneum, inquit: *Iuvante itaque Domino Spiritus ille, qui falsorum senum olim aduersus Susannam agentium scidit consilia, hic Spiritus nunc vos diuidit aduersus immaculatam Dei Ecclesiam falsa tractantes. Et sicut illi de sua sibi accusatione inuenti sunt pleni fallaciis, ita & vos ex vestris vobis oppositionibus abscedetis superati*; quemadmodum & in præfatione sui totius operis ad eundem finem aiebat. *Contra librum matri Ecclesiæ tendentem insidias diuini oris arma corripio, & vt Golia ex suo sibimet gladio, confidens in Domino, eius ceruicem abscindo*. Hæc ille, quæ omnia lecta fuisse in hoc opere Prædestinati à Prospero Tirone, & ab eodem nimis faciliter credita fuisse puto, dum de hoc fermè tempore loquens in Chronico (prout ex Pithæo legitur in tomo 8. Bibliothecæ fol. 201) ad finem Pontificatus Cœlestini, idest ad annum Christi 430. inquit: *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustini libris male intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa*, quemadmodum scilicet adhæc tempora hic Prædestinati Auctor hanc hæresim Augustini discipulis in hoc

opere imponebat, non vero ipsi Augustino, vt expensum est. Ablegata igitur Augustini reprehensione hoc tempore, statim post Celestini decretalem, & mortem, hic Auctor Prosperum tantum, & Hilarium velut sequentes, ac promulgantes eosdem Prædestinianos errores, quos Galli antea & ipsi Augustino imputauerant, in hoc opusculo criminabatur, vt patet.

§. SEPTIMVS.

Vidit Prosper, ac refutauit hunc Auctorem Operis Prædestinati in responsione ad obiectiones Vincentianas.

ID sane vidit, ac sensit hoc eodem tempore scribens, ac respondens Prosper ad sexdecim obiectiones Vincentianas, quæ in re sunt ea omnia capita, quæ hic Auctor *Prædestinati* ex Euodii libello vt erronea subnotabat, conuenientia in re quoque cum Gallorum capitulis, nisi quod Gallorum capitula, saltem aliqua, magis explicite continerent, quæ in fine libri 3. ab hoc Auctore agitata sunt, circa baptismum vt non auferentem omne vulnus ex originali relictum (iuxta Augustini discipulos) scilicet non eximentem a malo concupiscentiæ in hac vita, vt peccati fomite, & circa concupiscentiam ipsam hinc malam non bonam dicendam; quæ duo postrema capita Prosper in ista responsione ad obiectiones Vincentianas ea ratione transcurrit, quod satis in responsione priori ad capitula Gallorum discussa iam fuerant, & non hæc erant erronea Prædestinianorum capita, sed vera eiusdem Augustini, & Catholicorum Patrum dogmata cæterorum aduersus Iulianum Pelagianum constantissime defensata. Nec aliàs Prosperum terruisse, vel detinuisse ea minabundi huius Auctoris Semipelagiani verba in præfatione libri primi dicentis (*qui tristis fuerit, suo quasi mus prodetur inditio*) robustissima eiusdem ac promptissima responsio ad easdem Vincentianas obiectiones ostendit. Cupis tamen fortasse hic (Lector ingenue) verbatim etiam huiusce Auctoris operis *Prædestinati* obiectiones audire, vt inde dignoscas, an cum præmemoratis obiectionibus Vincentianis conueniant? Audi breuiter quas cursim modo ex opere eodem exscribo. Auctor operis *Prædestinati* scribit, vt diximus, aduersus Augustini discipulos, quos vt audiuisti, *duos aut tres homuntiones* per contumeliam appellabat, indigitans Hilarium

rium, & Prosperum, tanquam vix vnum alterum secum consentientem habentes: Et ex parte saltem iste hoc loco veraciter loquebatur, paucos nempe tunc fuisse, qui intrepide Massiliensibus insurgentibus contra Augustinum obsisterent, vt testatur idem Prosper ad Augustinum hos appellās *paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores*, cum quo alioquin stat longe plures fuisse etiam *in eisdem ijs locis, in quibus aduersus Augustinum querimonia excitabatur*, vt idem loquitur Prosper in alia epistola ad Ruffinum, *plurimos*, inquit, *fuisse propitio Deo, qui salubribus eius disputationibus imbuebantur*, idest retinebant in corde saltem doctrinam eiusdem, ac sequebantur, *& si oppositum sentientibus non essent pares, qui multum eos & vitæ meritis antecellebant*. Scribens igitur, vt dixi, hic Auctor apposite contra Hilarium, & Prosperum, quos *duos homontiones* appellabat, post recitatum in libro secundo libellum Augustino suppositum, ab initio sui lib. 3. (in quo præsertim has suas obiectiones congerebat) post pauca præfationis verba sic habet. *Dantes manus Mathematicis dicunt humanum genus ita diuinis prædestinationibus subiacere, vt mala omnia, quæ geruntur in seculo, Dei dicantur voluntate committi &c. eos Deus ipse conuincit, qui scit se nullum prædestinasse ad malum, omnes autem prædestinasse ad bonum &c. Prædestinatione, non qua vim faciat Deus bonum volentibus, sed qua ipse nunquam mutet sententiam bonitatis, & incessanter sit bonum volentibus promptus, malum autem volentibus imparatus*: Et postquam prolixe ostendit Deum non prædestinare ad peccatum, *occurrunt*, inquit, *hoc loco & dicunt, quos præsciuit nullo modo conuerti, hos prædestinauit ad mortem, & quos præsciuit omnino conuerti, hos prædestinauit ad vitam*. Contra quæ subdit. *Videtur mihi quod alterum vobis inueneritis Deum, qui tam impius sit, vt à præiudicio circumueniat humani generis massam, ac prædestinationis suæ vinculo ad peccandum adstringat &c. Ante eos (dicitis) prædestinauit ad mortem, quam crearentur ad vitam. Si voluissetis discere prius quam docere, non diceretis, quia non omnes homines vult saluos fieri &c. Hi nouum genus blasphemiæ inducentes dicunt, quod Deus non omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: Et recitato incontrarium Apostoli testimonio dicentis, *filio suo non pepercit sed pro omnibus nobis tradidit eum*, subdit. *Miror prudentiam vestram sic legisse locum istum (quos prædestinauit & vocauit) vt ad vnum versiculum, qui in ante est, timueritis accedere, sed clausistis co-*

dicem, & cæpistis clamare. Non omnes vocat &c. Si Prædestinationis eius vis eo vsque adducitur, vt eius dicatur praeordinatione peccatum &c. Erit ergo secundum Manichæum alius Deus malorum, alius bonorum. Cur hæc non consideratis, qui prædestinatione Dei putatis homines consentire peccatis? omne certe peccatum vult & desiderat diabolus fieri, & creditis, quod prædestinationem suam Deus ad diaboli desiderium, & ad hominis interitum posuit, & voluit prædestinationem suam seruire voluntati diaboli &c. Contra eos loquimur, qui dicunt Deum diaboli voluntati seruire. Iam enim, inquiunt, (& hæc sunt verba per istum Auctorem transcripta ex libello sub nomine Augustini confictio.) *Iam enim inquiunt, prædestinauit Deus homines, siue ad iustitiam, siue ad peccatum, & ideirco quod eos voluit esse, qui condidit, aliud esse non possunt; ideoque aiunt* (& hæc in eodem spurio libello leguntur, vt videas Euodium vere Prædestinianum videri, nec potuisse à Catholicis excusari) *ideoque aiunt, quos semel Deus prædestinauit ad vitam, etiam si negligant, etiam si peccent, etiã si nolint, ad vitam perducentur inuiti: quos autem prædestinauit ad mortem, etiam si currant, etiam si festinent, sine causa laborant. quantumuis enim, aiunt, quicumque studeat, & adsit Sacerdotibus, & à diuinis studijs non recedat, si semel eum Deus prædestinauit ad mortem, saluus esse non poterit.* Et infra ex eodem libello Euodij hæc transcripta subiungit. *Vana est, inquiunt, & infructuosa voluntas hominis, vanum est voluntatis arbitrium.* Paulo post. *Vos dicitis. Nolite velle, quia non est volentis: sanctus Spiritus dicit: Si volueritis bona terra comedetis &c.* Postmodum iterum. *Deum dicere non timetis diaboli voluntati subiectum. Diaboli enim voluntatem implere probatur, qui non vult omnes homines pertingere ad salutem. Sicut enim in his, quos vult saluare, suam creditur voluntatem implere, sic in istis, quos non vult, diaboli voluntas impletur.* Infra recitato Apostoli dicto, *qui pro omnibus mortuus est*, inquit. *Occurrit nobis hoc loco insanus liber vester*, de quo mox ante præmiserat, *anathemabilis liber à vestra vanitate conscriptus: & dicit. Vos vbicumque omnes legitis generaliter vultis intelligi, cum omnes sæpe pro parte dicantur &c. pars ergo maxima omnes videtur significare:* Contra quam glossam ex Euodio transcriptam vehementissime inuehitur, quod *dicant Christum non pro omnibus passum &c. dicit liber eorum*, scilicet Euodii, in quo hæc verba leguntur. *Dicit liber eorum: per prævaricationem primi hominis perijt ab hominibus libertas arbitrij:*

quod

quod valde reprobat inter cætera dicens. *Si ergo & nos agimur, non agimus, exclusi sumus à fide, dum credimus. Pelagium non hinc condemnauit Ecclesia* (quod libertatem asseruerit). *Obijcitur enim ei, quod in tantum exaggerasset libertatem arbitrij, vt Dei adiutorium recusaret. Nos autem non sic &c.* Et prosequitur in sua Semipelagiana hypothesi explicare, & componere cum gratia quidem excitante, non vero cum gratia victrice, (quam non agnoscit) arbitrij libertatem, se simul vt Semipelagianum à Pelagio discernens (vti & se discernebant Massilienses relati à Prospero, & Hilario in Epistola ad Augustinum,) & postremo descendit ad duo vltima capita de baptismo (iuxta Euodij librum, simul & iuxta alios sinceros Augustini discipulos) non auferente in hac vita omne vulnus ex originali relictum, licet omne peccatum excludat (vt aperte dixerat & Augustinus præueniens omnino hanc obiectionem libro 3. ad Bonifacium cap. 3.) & de concupiscentia mala velut fomite ad peccandum; quæ duo, vt prædiximus, non prædestiniana, sed Catholica Patrum dogmata erant. Nec aliud hic Auctor obijcit, præter similia omnino cum præcitatis, quæ prius retulerat in præfatione sui libri prioris consulenda in eodem. Hæ igitur sunt verbatim huius Semipelagiani scriptoris in Hilarium, & Prosperum obiectiones, quæ an eædem sint cum obiectionibus Vincentianis, poterit quisque facile conferendo experiri; cum sane in Vincentianis nulla sit, quæ in his similiter non habeatur, neque hic aliqua, quæ ibi non reperiatur, præter ea, quæ simul in Gallorum capitulis ab eodem Prospero refutata iam erant, cum quibus pariter istæ obiectiones verbatim ferme conueniunt. Cum ergo, vt modo dixi, hæ singulæ Vincentianæ obiectiones conuenirent etiam in re cum iam refutatis antea Gallorum Capitulis, superfluum sane Prospero visum fuisset, hanc denuo repetere, ac geminare responsionem, nisi ipse vidisset diuersam respondendi rationem, quod Galli ea capita etiam Augustino improperabant, hic vero Author, post illos, non Augustino amplius, sed ipsi Prospero solum, & Hilario eadem exprobrabat, vt satis iam vidimus antea, addita & ea alia calumnia, quod Euodij libellum iam silentio damnatum à Cælestino clandestina ipsi fraude, & audacia mulierculis communicarent *in modum symboli perlegendum atque credendum*, à qua calumnia paucissimis verbis (vt par erat) hoc loco se vindicat Prosper hæc vocans *prodigiosa mendacia*, & totum, quod hic modo supponimus, significat

oppor-

opportunissime simul ad tempus, personas, & obiectiones ipsas *ex qualibus possent sententijs comprehensas*, idest ex sententijs qualibuscumque Euodii, sub falso Augustini nomine circumlatis, sibique imputatis iniquius velut per ipsum fraudulenter, ac dolose vulgatis, Prosper, inquam, opportunissime exorditur valde nunc expendendis his verbis. [Quidam Christianæ, ac fraternæ charitatis obliti, "in tantum existimationem nostram quoquomodo student lædere, "vt suam se euertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt "enim, & qualibus possunt sententiis (id notes rogo) & qualibus pos-"sunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarundam blas-"phemiarum prodigiosa mendacia; eaque ostendenda & ingerenda "multis publice priuatimque circumferunt; asserentes talia in nostro "esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo. Quæ falso in nos "ad excitandam inuidiam iactari, facile & sufficienter subscriptione "vnius anathematis probaremus, nisi malignitas eorum, qui se gra-"uari putant, si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ "breuitatem suspectam esset habitura. Inde ne huius querelæ inue-"niretur occasio, necessarium conuenien sque credidimus, vt siue ad "calumniantium animos mitigandos, siue ad eos, quorum auribus "tale aliquid insonuit, instruendos, quantum adiuvante domino fi-"eri poterit, plene lucideque pandamus, quid de peruersis deffini-"tionibus iudicemus; propositis ergo singillatim sexdecim articulis, "sub vno quoque eorum sensus nostri, & fidei, quam contra Pelagia-"nos ex Apostolicæ sedis authoritate defendimus] (scilicet ex decretali Cælestini mox ante emanata in cap. 2. iubente, *Resistendum talibus, quos male crescere videmus &c.*) ideo, inquit, *sensus nostri & fides, quam contra Pelagianos ex Apostolicæ sedis Authoritate defendimus, verba ponemus, vt qui paululum se se ad hæc legenda dignati fuerint occupare, euidentur agnoscant, impiarum, prophanarumque opinionum* (vt erant illæ, quas ex Euodij libello hic obtrectator asserebat) *nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium: & blasphemias, quas perspexerint nostra professione damnari, in earundem Repertoribus censeant debere puniri*, scilicet in Euodio, vel in libello eiusdem Euodii falso supposito ab aliquibus aliis sub nomine Augustini, *in earundem Repertoribus*, inquit, non vero in sincerioribus Augustini discipulis Hilario, & Prospero, quibus idcirco de eodem spurio libello (antea reiecto iuxta Augustini doctrinam in responsione ad Gallorum capitula & silentio damnato per Cælestinum)

amplius

amplius ipsi cura non erat, solumque proinde descendit singillatim Prosper ad sexdecim obiectiones, quæ in re continent (vt præmisimus) singula omnino capita, quæ hic auctor operis Prædestinati aceruabat (vt conferenti patebit) præter duo dumtaxat capita postrema, quæ nec vere erronea erant, & iam antea in responsione ad Gallorum capitula prædefensa cum Augustino manebant.

§. OCTAVVS.

Idem Prosper incidenter postea in posterioribus suis operibus iterum aliquid de hoc ipso Prædestinati Opere tetigit, responsionemque compleuit.

His tamen responsionibus non contentus Prosper ad huius Authoris opusculum, in subsequentibus deinde Operibus, quæ posteriori tempore scripsit, aliqua etiam, quæ in data iam responsione ad Vincentianas obiectiones breuiter transiuerat, fusius iterum pertractauit; quemadmodum in duobus libris de vocatione gentium ex proposito ostendit, quomodo sinceri Augustini discipuli non negarent, *quod Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & quod Christus pro omnibus hominibus mortuus sit &c.* in quo integro horum librorum themate, vt videres etiam hinc dari responsum præsertim huic Semipelagiano scriptori, inter cætera lib. 1. de vocatione gentium cap. 12. hæc verba inserebat. *Qui amant calumniosa certamina, dicunt nos per huiusmodi disputationes Apostolo contradicere diffinienti, quod Deus velit omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: & postea subdit. *Quam particulam verborum Apostoli ita nos integre pleneque suscipimus, vt nihil ei de præcedentibus, siue subiectis, quæ ad ipsam pertineant, subtrahamus.* Hæc Prosper, quæ audi modo, an non directe respondeant verbis, & obiectioni, huius Authoris operis Prædestinati, qui lib. 3. post recitatum Apostoli testimonium ita in Prosperum eiusdemque comitem Hilarium loquebatur. *Nota tibi Prædestinate, quod dicat Apostolus pro omnibus &c. Miror autem prudentiam vestram sic legisse locum istum &c. vt ad vnum versiculum, qui in ante est, timuissetis accedere. quando enim venistis ad hunc locum,*

quos

quos Prædestinauit &c. quasi satisfactum putantes intentioni vestræ, noluistis in ante ad versiculum, qui vos conuincebat, adspicere (idest pro omnibus) sed clausistis codicem, & capistis clamare. Non omnes vocat Deus &c. Hæc iste, ad quæ, vt dixi, directe Prosper in dicto loco respondebat, sicut & in præfatione eorundem duorum librorum de vocatione gentium importatam Prædestiniani erroris calumniam contra se referebat dicens: *Quorundam non sana discretio est existimantium, quod Prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium &c.* & ex proposito lib. 2. eiusdem operis de vocatione gentium à cap. 28. vsque ad 37, quod prope vltimum est, prosequitur Prædestinianum errorem prosternere, & à sinceris Augustini discipulis amandare. Nec minus in sua expositione psalmorum à psalmo centesimo vsque ad centesimum quinquagesimum (quam post eandem responsionem ad Vincentianas obiectiones adornauit) idem Prosper incubuisse cognoscitur eidem refutationi huius Semipelagiani scriptoris Operis prędestinati, dum non solum in singulis illis quinquaginta psalmis, quos exponit, ostendit perpetuo singillatim explodi hæresim Semipelagianam (adeo vt nullus psalmus occurrat ex illis, in cuius commentario Prosper non aliquid de hac materia inseruerit) verum etiam in speciali magis in psalmū 126 ad illa verba. *Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt, qui ædificant eam*, subiungit statim, *Apostoli vox est dicentis populo fideli (Dei ædificatio estis) qua voce etiam propheta vtitur protestans vanum laborem esse ædificantium domum, nisi auxilio Domini opus ædificij inchoatum fuerit & effectum. quod vtique de tota Ecclesia intelligendum est, quæ est Hierusalem in omnium compage Sanctorum vna Domus, & vnum templum, & vna ciuitas, cuius extructio ab initio vsque in finem Domino ædificante consurgit, sine cuius gratia nihil est solidum, nihil firmum, sed vana omnia, atque ruitura.* Expende tu modo hic, an hæc Prosperi verba non directe respondeant huic eidem Authori operis prædestinati libro 3. de hoc sibi obiecto eiusdem psalmi testimonio in epistola Euodii, Augustini discipulos criminanti & aienti. [Quæro quam ædificationem dicatis? Si de cementis, & luto agitis, cum Ægyptijs ista tractate. Nos autem hoc loco ædificationem verbi Dei intelligimus &c. Et si vana est ædificatio huius operis, vt quid ab Apostolo imperatur? dicit enim Apostolus. Ædificate alterutrum &c. Sed vobis ista omnia, quæ diximus, inania videntur & vana. Dicunt enim libri

vestri.

vestri. Ædificatio hominis non est certa sed vana. Nos dictum "
Prophetæ laudamus atque hoc ordine secundum regulam catholi-"
cam explanamus. Ab initio, vt diximus, à S. Abel iusto vsque ad"
Zachariam, & Ioannem omnes ædificauerunt Domum, non cæmen-"
tis, sed sanctis exemplis. Veruntamen nisi Dominus Iesus Christus"
venisset, & ipse ædificasset Domum hanc, in qua illi laborauerunt,"
in vanum laborauerant, qui ædificant eam. Vnde etiam sequitur:"
Vanum est vobis ante lucem surgere. Lux enim Christus est &c."
nunc ergo quia venit, & ædificauit Domum, iam non in vanum la-"
borant, qui ædificant eam]. Hæc Semipelagianus significans vti-"
que de veteri lege ante Christum ea verba psalmi intelligi, non vero de tota Ecclesia in noua etiam lege post Christi aduentum &c, quæ vides directè à Prospero repulsa fuisse. Vis modo audire in hac psalmorum expositione responsionem iterum Prosperi ad eam huius authoris calumniam, quod Augustini discipuli falsum illum sub Augustini nomine confictum librum evulgauerint? Audi loquentem Prosperum in psalmum 128 ad illa verba psalmi (*Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam*). *Malorum intentio*, inquit, *contra bonos hæc est, vt eos similes sibi faciant, & in consensum iniquitatis suæ à fide traducant. quod cum obtinere non possunt, opprobrijs & criminationibus impetunt Innocentium vitam, construentes super dorsum eorum congeriem falsitatum &c*: & iterum in psalmum 139 ad ea verba psalmi (*cogitauerunt aduersum me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur, caput circuitus eorum labior labiorum ipsorum &c.*). *Cogitatio*, inquit, *aduersantium fraudulenta est: sed vt mihi non noceat, ne derelinquas me, ne de mea abiectione lætentur &c. illi enim mendacio suo se tegere laborabant, & hoc erat caput circuitus eorum: Numquam quiescent in commentis inimici veritatis, qui volentes suis se operire mendacijs, ad hoc laborant, vt non finiendis laboribus implicentur, quia velare se non poterunt, nisi mendacium laborent labiorum seu librorum. Sed* (vt paulo post subdit) *pauperum idest humilium causam Deus non negligit, in quorum gloria videbunt impij, quod amiserint. Glorificabuntur enim iusti, & æterna beatitudine ditabuntur. Sed tamen nihil operum tuorum Domine suis meritis vindicabunt. Confitebuntur tibi opera misericordiæ tuæ, & omne bonum suum tuæ gratiæ deputabunt.* Hæc Prosper, vt huic veritati oppositum huius scriptoris errorem Semipelagianum retunderet, ac reprobaret. Et hæc tam clara vi-

dentur, vt audeam dicere, aut istas tam splendidas collationes meam opinionem fefellisse, aut rem splendidam esse, etiam hoc loco Prosperum, sicut in superioribus egerat, nil intendisse aliud, quam huius Authoris Semipelagiani opusculum refutare, in rebus etiam quibusdam diffusius, quas in responsione ad obiectiones Vincentianas se breuius transegisse sciebat, in qua responsione priori ex proposito magis Prædestinianos errores sibi impositos refellebat, vti ex præfatione præsertim ad easdem Vincentianas obiectiones iam vidimus.

§. NONVS.

Hinc eruitur Auctorem huius operis Prædestinati fuisse quendam Semipelagianum nomine Vincentium, *non quidem Lerinensem, sed alterutrum ex alijs duobus Vincentijs, quos eadem ætate fuisse, & Semipelagianis fauisse, aliunde cognoscimus.*

CVm itaque ex illa præfatione Prosperi ad Vincentianas obiectiones opportunissima in singulas circumstantias rei (quam pertractamus) satis dilucide habeamus, in ea responsione ad sexdecim obiectiones Vincentianas (vt Prosper appellat) responsum fuisse directe ad hoc idem opusculum Prædestinati inscriptum aduersus eundem Prosperum & Hilarium, non operosum nunc erit exinde simul deducere nomen Authoris, qui eo tempore apposite hoc prædestinati opusculum exarauit, scilicet hunc absque dubio Authorem fuisse nomine Vincentium, ex quo per denominationis originem *Vincentianæ* obiectiones in titulo ab eodem Prospero appellatæ sunt. Et cum aliunde ex scriptis à nobis lib. 5. qu. 3. art. 3. §. 8. constiterit hunc Lerinensem Vincentium non fuisse, alterutrum fuisse relinquitur ex duobus alijs Vincentijs, quos eo tempore floruisse, & Semipelagianos fuisse, ex eiusdem ætatis monumentis didicimus. Alter scilicet est Vincentius ille agnitus Gennadio vt distinctus à Lerinensi Vincentio, (quem mox ante idem Gennadius eodē libro de scriptoribus nominarat) & legitur adhuc descriptus ab eodem his verbis. *Vincentius Presbyter & ipse natione Gallus in diuinis scripturis exercitatus linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam: commentatus est in psalmos; cuius operis aliqua le-*

git

git Sancto homini Dei Cannato me audiente &c: Videlicet(vt plures hæc verba intelligunt) vterque Cannatus & Gennadius Massilienses, dum iuvenes essent, & *auditores* huius Vincentii Galli, audiuerunt eum Massiliæ legentem in sua matura ætate ad annum circiter 434, quo constat apposite hoc etiam Prædestinati opusculum scriptum esse; nec consequenter huic chronologię, vel ætati Vincentii obstare potest(vt quidam in oppositum supponebant) quod vel Gennadius peruenerit ad annum 486, vel Cannatus legatur postea institutus Episcopus Massiliensis ad annum 480. Vtique enim vterque, cum iuvenes essent ad hunc annum 434, in prouecta postea ætate peruenire potuerunt ad annum 486 & 480 quinquaginta solum post annos à sua ante supposita iuventute, in qua vterque istius Vincentii(longe ætate maioris) auditores fuerant, vt ex Gennadii verbis infertur, nec alioquin inuerisimile est Gennadii Semipelagiani præceptorem Massiliæ & amicum(eo præsertim tempore, quo Massiliæ & in Gallia vigere incipiebat hæc hæresis) pro Semipelagianis eisdem aut Massiliensibus substitisse. Alter est & huic tempori congruens Semipelagianus Vincentius, scilicet Vincentius Victor, qui longe antea in iuventute scripserat etiam aduersus Augustinum, & contra quem eo tempore iuvenem idem Augustinus ferme iam senex reposuit quatuor libros suos *de origine animæ* inscriptos, vt dubitari non possit hunc potuisse deinde senem ad hæc tempora peruenire, & hoc opusculum iterum in Augustini discipulos effutire, quemadmodum & alios quosdam de hoc eodem Vincentio vt Auctore Vincentianarum obiectionum id in Gallia opinatos esse recenset Natalis Alexander in seculo 5. p. 1. pag. 233. Hic sane est ille Vincentius Victor alioquin eloquentissimus (vti ex fragmentis eiusdem apud Augustinum recitatis habetur) qui prius ex hæretico Donatista conuersus ad fidem(teste eodem Augustino lib. 3. in eundem ab initio) in tot alios præsertim Pelagianorum errores adhuc iuvenis prolapsus est, vt senex Augustinus contra eundem, & se ipsum iam impugnantem, anno 420 scribere, ac respondere coactus fuerit prædictos quatuor libros *de origine animæ*, vt narrat ipse Augustinus lib. 2. retractationum cap. 56. inter alia sic dicens. *Multos errores atque prauitates præsumptionis eius ostendi. Quem tamen iuvenem non praepropere detestandum, sed adhuc docendum, quanta potui lenitate tractaui, & ab eo rescripta correctionis eius accepi.* Quoniam autem fuerint hi tam multi eiusdem errores, non-

obscure colligitur ex eodem Augustino libro 1. contra ipsum de origine animæ cap. 4. afferente verba eiusdem errantis circa animam & Spiritum,& cap. 6. de originali peccato, & cap. 9. *de promisso ab eodem ne dum Paradiso sed regno Cælorum ipsis animabus infantium sine baptismo obeuntium ante vsum rationis*, qui erat putentissimus error Pelagij peior etiam errore Iuliani Pelagiani promittentis eisdem solam vitam æternam, sed extra regnum Cælorum &c. licet contra Pelagium hic Vincentius admitteret originale peccatum, sed in prædictis infantibus dicebat, *tunc solui originale peccatum sine baptismo Christi*, vt ibidem refert, & damnat adhuc vt Pelagianum errorem Augustinus subiungens: *hoc eis etiam hæresis Pelagiana promisit*, vt videas hunc Vincentium fuisse iuvenem eo adhuc tempore posteriori, post quam Pelagiana hæresis eodem Augustino vrgente iam sene damnata erat, nec inde mireris, si paulo post Augustini obitum ad annum 434 eundem hunc Vincentium Victorem adhuc viguisse superstitem supponamus. Omissis autem innumeris aliis eiusdem erroribus (quos in subsequentibus ibidem libris Augustinus examinat, ac refellit) præter errorem Pelagianum expensum mox ante, qui ad nostrum institutum sufficeret, propius adhuc accedit, quod idem hic Vincentius (vt loquitur Augustinus eodem lib. 1. cap. 7.) *de præscientia Dei liberare se nitebatur*, & rursus, vt habet cap. 12. idem Augustinus de eodem, *respondit iniustum Deum futurum fuisse, si non perfectis propria hominis voluntatis operibus, vellet hominem iudicare non natum*, quæ apposite Semipelagianorum saltem perpetua aduersus Augustini doctrinam ac veritatem obiectio erat: Et demum libro 3. cap. 10. eiusdem hoc dictum refert: *quos Dominus Prædestinauit ad baptismum, Prædestinationi eius eripi posse*, quem Semipelagianum, vel etiam Pelagianum, errorem postea cap. 15. in epilogo vndecim errorum eiusdem repetit Augustinus in ordine *septimum*. Et si igitur Augustinus libro 2. citato retractationum cap. 56. *se ab eo rescripta sua correctionis recepisse* testetur, cum tamen tot simul & tanti fuerint errores eiusdem in iuventute, quid mirum si depositis solum crassioribus erroribus Pelagianis & huiusmodi, Semipelagianismum tunc non ita damnatum, vel agnitum, velut priorum errorum reliquias, in mente retinuit? quem auctum postea à Massiliensibus ac enutritum in hoc dato opere contra Augustini discipulos evulgauit. Quid mirum & hunc Semipelagianum prius natum in Aphrica (vbi & ante

exor-

exortos Massiliensium tumultus Adrumeti hæc hæresis Semipelagiana enata erat) postea forsan etiam ex Aphrica transfretasse in Galliam, quando à Massiliensibus eadem hæresis promota fuit? quemadmodum & Arnobius Iunior origine Aphricanus creditur à Sixto Senensi, & tamen eodem tempore aduenisse in Gallias compertum est, cum suos commentarios in psalmos Leontio Arelatensi & Rustico Narbonensi in præfatione sacrarit, & aliàs etiam hic auctor Prædestinati aliquibus videri potest se origine Aphricanum indicare libro 1. in hæresi 44 & 69, dum quæ scribit, homini in Aphrica nato conuenire videntur. Quid mirum tandem & Prosperum in responsione ad eundem Vincentium (dum Vincentianas obiectiones refelleret) *non ei obiecisse petulantiam & audaciam, cuius specimen iam dederat iunior iste aduersus Augustinum scribens, nec obiecisse errores eiusdem à S. Augustino confutatos, nec obiecisse simulationem correctionis, vel relapsum in nouos errores, nec demum obiecisse veterem in S. Augustinum æmulationem ex incredibili superbia profectam?* (vt contra hanc, quam approbamus, aliorum etiam hypothesim, opponendo discurrit Natalis Alexander in p. 1. seculi 5. p. 234.) Quid mirum, inquam, hæc omnia Prosperum dimisisse, qui adeo solitus erat modestissime sola dogmata improbare, vel argumenta dissoluere, non dogmatum Auctores, aut personas diffamare, vt ideo reprobaturus etiam tertiamdecimam hæreticam Cassiani Collationem, eiusdem Cassiani nomen suppresserit, solumque suam lucubrationem in Collatorem inscripserit, neque in solutione ad Gallorum capitula, neque in hac ipsa responsione ad Vincentianas obiectiones, de personis in particulari quid tangat, vel scribat, & si optime sciret, quinam iste *Vincentius* esset, à quo eædem Vincentianæ obiectiones (vt vocat) sine dubio prodijssent? patet igitur his non obstantibus huius operis Prædestinati scriptorem Semipelagianum nomine Vincentium fuisse, alterutrum scilicet ex duobus prædescriptis Vincentijs, vt præmissum est.

S. DE

§. DECIMVS.

Deducitur ex præmissorum hactenus serie huius editionem operis suspecta fidei non videri, idque aliunde ex recognitione eiusdem operis in extantibus libris Arnobij Iunioris (qui extitit eodem seculo quinto) conuincitur.

COncludimus hinc ad præcipuam quæstionem nostram pro responsione sententiam, scilicet non videri vllo modo suspectam nouam hanc huius denuo reperti operis editionem, cum iam constet à Prospero agnitum opus istud eo tempore, ac repercussum, vt vidimus. Quod vltro tamen aliunde non minus vrgente aut valida possumus ratiocinatione firmare. Cum enim hoc opus Prædestinati primitus scriptum supponatur ad annum circiter 434 post Cælestini Epistolam decretalem ad Episcopos Galliæ (quæ data fuit anno 432) atque post Cælestini obitum, quem ideo hic Auctor *Beatissimæ Memoriæ* nuncupat in præfatione, antequam hæresis Eutichiana oriretur, ac sub Leone damnaretur, & antequam etiam responderet Prosper ad huius eiusdem operis obiectiones Vincentianas vulgatas statim contra eundem Prosperum, & Hilarium ab Auctore furente, ob impetratam ab eodem Prospero simul & Hilario epistolam decretalem aduersus Gallos, cum, inquam, ex his omnibus liqueat hoc Prædestinati opus ad annum circiter 434 consarcinatum fuisse, si postea reperiamus huius fragmenta operis inseri aut recognosci in posterioribus Arnobii Iunioris operibus, quem constat postea floruisse ad annum ad minus 460, dum Leonis velut viuentis adhuc epistolas decretales ad Flauianum, & alias Orientales Ecclesias in Conflictu cum Serapione recenset. & alioquin scimus Leonem Pontificem diem clausisse extremum tertio Kalendas Nouembris anno 461, si, inquam, in libris extantibus huius Arnobii Iunioris reperiamus transcripta, recognitaque fragmenta alterius istius opusculi Prædestinati, cuius Auctorem antea per bene triginta annos præcessisse necesse est, vt istud opusculum scriberet aduersus Hilarium & Prosperum ad annum, vt vidimus, 434, hoc agnito certe non poterit amplius aliquis hæsitare de legitima huius eiusdem operis antiquitate, quinimo concedet, vt notum, hoc opus eodem illo seculo 5. (vt ad nos postea per Hincmarrum ad seculum

lum 9, & per Sirmundum hoc seculo deueniret) extitisse. Vt verò hoc ipsum (quod hoc loco probandum proponimus) agnoscatur, ac niteat, vnum tantum præmittendum, scilicet in hoc opere aduersus errores Prædestinianos, sed à Scriptore Semipelagiano conscripto, vt iam omnes cognoscunt, duplicis generis discursus secernendos esse. Primi sunt, in quibus hic Auctor non male ostendit absurdos esse Prædestinianorum errores, dum assererent nec Deum velle omnes homines saluos fieri, nec Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, sed imo Deum Auctorem esse peccatorum in nobis, & per Prædestinationem & gratiam impedire vel lædere libertatem nostram, quæ singula errata sunt absque dubio absurdissima. Secundi generis sunt illi discursus, in quibus iste, dum prædictos errores non immerito auersatur, non bene deinde, sed absurde non minus, & ipse dilabitur in aliam extreme contrariam hæresim Semipelagianam negantem Deum secundum consilium voluntatis suæ libere eligentis Prædestinasse ab æterno, reprobasseve homines, & in tempore, non per gratiam solum excitantem, sed etiam operantem, ac vitricem, illos iustificare, quos Prædestinauit, & glorificare, quos iustificauit, in quibus negatis ab isto Auctore operis Prædestinati integra hæresis Semipelagiana consistit. Propterea primi illi discursus ('ablegatis secundis, vt sępe faciunt ætate nostra & Theologi ex malis alioquin libris hauriendo illud reliquũ, quod boni habent) primi, inquam, illi discursus, qui destruebant hæresim Prædestinianam, licet non secundi, qui fundabant alteram Semipelagianam Massiliensium, à posterioribus deinde Catholicis mutuari iure merito potuerunt, & sic Arnobium Iuniorem præstitisse re ipsa mox statim subiungimus, & conferendo probamus. Nec sic exscripsisse fragmenta, aut mutuatum esse, mirandum est, cum ne dum de Ambrosio plurima exscribente ex Basilio in hexameron, & de alijs id testetur Hieronymus in epistola ad Pammachium, & de se ipso fateatur ipse Hieronymus prologo in Michęam, vti & Theodoretus de se præfatione in Cantica, & plusquam triginta alij Patres adhoc nominatim recenseantur apud Sherlogum tomo 1. in Cantica anteloquio 11. Sec. 2. p. 491; verum etiam (quod opportunius esse videtur, & euidentius) id non insolitum huic Arnobio Iuniori aliunde fuisse sciamus, ex eiusdem Conflictu cum Serapione, in quo & prolixissimum Augustini fragmentum ex epistola 95. Augustini ad Innocentium transferebat, & alterum integrum

eius-

eiusdem Augustini Sermonem de Natiuitate Domini, & integram pariter Damasi Papæ epistolam ad Paulinum Antiochenum, & integras alibi aliorum doctorum periodos, vt per otium alii me peritiores melius conferre valebunt. Nos enim tantummodo conferre pro re nostra hoc loco intendimus ea, quæ Iunior Arnobius ex scriptore seniore huius operis Prædestinati transcripsit, dum vellet & ipse Arnobius Prædestinianam hæresim refutare, vti & fecerat antea Augustinus in duabus epistolis duobusque libellis ad Adrumetinos iam supra perpensis, & post eum Prosper in lib. 2. de vocatione gentium, & cum ipso Fulgentius ad Monimum, cæterique post ipsos. Auctor igitur Prædestinati (vt iam ad collationem veniamus) vt probet concupiscentiam non esse malam, sed in se bonam, licet excessus eiusdem nobis malus sit (vbi supponebat Prædestinianos dicere esse in se naturam malam) ita discurrit in fine sui libri 3. *Vultis nosse bonam hanc esse concupiscentiam? Misterijs eam comparabo diuinis. Non enim solum adpetita mala, sed etiam bona præsumpta condemnant. Pone aliquem ante baptismatis illuminationem Corpus Domini præsumpsisse, numquid non iste de boni præsumptione damnabitur? Similiter si vsurpet laicus Sacerdotium, vel si Sacrificium offerre præsumat, numquid non iste de non concessa sibi potestate damnandus est? quod si de tam Sanctis rebus præsumptio reum facit, non actio, quanto magis in concupiscentia, non actio suum ordinem tenens, sed extra ordinem vadens, vocatur in crimine, & facit maledictum extra ordinem euntem, quem benedictum Creator in suo ordine conuocauit?* Audi nunc Arnobium Iuniorem in psalmum 139 contra Manichæos probare volentem nullam in se esse naturam malam, *nec diabolum ipsum per creationem malum esse*, licet vna natura in se bona comparatiue possit esse alteri mala (vti & probat Augustinus lib. 1. & 2. de libero arbitrio) audi, inquam, quomodo post multa hanc etiam fere exscribat adhibitam antea ab Auctore Prædestinati probationem. *Et omne opus*, inquit, *etiam Sanctum præsumptione crimen est, etiam si misterijs ipsis videatur aptatum. Quid enim tam Sanctum quam communionem Christi percipere? & quid tam iniquum quam si nō baptizatus eandem sumat? aut quid tam magnificum quam Sacramenta diuina conferre? & quid tam perniciosum, quam si ea is conficiat vel conferat, qui nullum officij gradum accepit?* & cætera huiusmodi, quæ ibidem prosequitur in eodem legenda.

Auctor

Auctor Prædestinati post medium sui libri 3. vt probet remanere adhuc, non tolli, per Prædestinationem vel gratiam, libertatem in nobis etiam ad bonum (quod verissimum est, nec à veris Augustini discipulis negabatur) ad hoc probandum sic arguit. *Si potest homo velle, & facere, quod Deus non vult, scilicet malum, quanto magis potest & velle & facere quod Deus vult? &c. Si potest homo nolente Deo delinquere, quanto magis potest Deo volente delictis finem imponere? Si potest homo velle quod Deus non vult, quanto magis potest homo velle quod Deus vult? Si potest homo Deo nolente perire, quanto magis potest Deo volente saluari?* & plurima ibidem similia per contortas antitheses vsque ad bene sexdecim versus prosequitur, & infra iterum post integram paginam repetit dicens. *Per prauaricationem primi hominis manifestata est libertas arbitrij, quæ potuit hominem facere velle, quod Deus non vult &c. Aliunde non sumus peccatores, nisi quia volumus, quod Deus non vult, & nolumus quod Deus vult &c.* Arnobius Iunior similiter in psalmum 138 vt hæresim Nouatianam refelleret negantem peccatores amplius posse per pænitentiam reuocari ad salutem, sic adaptat hunc eundem ex opere Prædestinati discursum dicens. *Quomodo credimus nobis possibilitatem ad diabolum eundi concessam, & reuertendi ad Dominum denegatam? certe hominem per peccatum à se recedere Deus non vult, & peccatorem ad se venire vult. Si illud potuit fieri, quod Deus non vult, quanto magis hoc poterit fieri, quod Deus vult?* Auctor Prædestinati paulo post initium libri 3. hac phrasi vtitur. *nota tibi Prædestinatè quid dicat &c.* Eadem hac ipsa phrasi omnino vtitur Arnobius Iunior in psalmum 146 repetens. *Nota tibi Prædestinatè, quod loquor &c.*

Auctor Prædestinati eodem lib. 3. infra ita discurrit. *Maior quidem est gratia Dei quam voluntas hominis: Sed prior est voluntas hominis hoc loco quam gratia. Illa merito præcedit, hæc ordine. Scio hoc loco quas nebulas soleatis ignorantibus excitare, & calumniosæ calliditatis ingenio in hac voce garrire (ecce dicunt. Prior est voluntas quam gratia). Nos in his duobus locis dicimus priorem voluntatem quam gratiam, in baptismatis consecutione & in pænitentia conuersione, vt non vestro consilio ducti homines incipiant declinare cor suum ad excusandas excusationes in peccatis, dum vnus dicit. Si vult Deus, veniet ad me indulgentia peccatorum: & si voluerit Christus me in numero gregis sui addere, fiet. Huic nisi volueris ex toto crede-*

re, non ad te veniet indulgentia, neque gratia hæc, vt gregis diuini particeps fias. Et prosequitur partim bene contra Prædestinianos ostendens correquiri simul cooperationem nostri liberi arbitrij ad effectum pænitentiæ, & baptismi in adultis, partim autem male vt Semipelagianus contendens hunc liberum actum liberi arbitrij præueniri solum à gratia excitante, non operante vt velimus, vnde sic pergit. *In his ergo duabus causis dicimus, antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Hanc ipsam rursus voluntatem hominis dicimus quomodo antecedit gratia Dei: quia non haberet hoc ipsum velle, nisi Vnigenitus nobis de cælo veniens omnibus officinam suæ gratiæ reserasset. Ergo hoc ordine præcedit gratia Dei voluntatem hominis &c. sic fit prior voluntas hominis quam gratia, fit & prior Dei gratia quam voluntas hominis. Non enim nos iuimus ad Sanctum peccatores, Sanctus aduenit. Nec nos rogauimus vt veniret &c.* (vbi mox ante præmiserat post Christi aduentum bene nos petere vt adueniat in nos gratia Christi, quia, inquit, *non dixit Dominus accipite prius & sic petite, sed dixit, petite & dabitur vobis &c.*) *Sed tunc non rogatus aduenit &c. Hoc loco eum, qui dicit, antecedit voluntas hominis gratiam Dei, execramur vehementer. Sic tamen execramur, vt dicamus iam ex tempore passionis &c. vt qui non cucurrerit ad ista tanta dona Dei, & ipse non vadens ad Ecclesiam expectet vt ad ipsum veniat Ecclesia Dei, dicimus hunc insanum.* & ibi, & infra, non semel, dum non male Prædestinianismum explodit correquirendo cooperationem nostram, absurde prolabitur in Semipelagianismum non agnoscens nisi gratiam excitantem, vt videri potest etiam in editione Bibliothecæ fol. 570. à lit. c. vsque ad secundam columnam fol. 571. Arnobius inde Iunior in psalmum 146 (vt mihi videtur) non approbans quidem Semipelagiani scriptoris verba quo ad secundum, sed quo ad primum tantum, vt Prædestinianum errorem excludat & ipse, sic videtur hoc fragmentum exscribere dicens. *Si arbitrium in te non fuerit bonæ voluntatis, non erit tecum pax Dei. In terra enim pax Dei cum hominibus bonæ voluntatis. Obijcitur huic loco. Nos hoc ita dicere, vt videamur hominis voluntatem ostendere, quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter age & non calumniose, & vide gratiam Dei generalem* (vti & appellat Prosper in lib. 2. de vocatione gentium cap. 31.) *Super omne hominum effusam genus. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffusa. Descendit enim de Cælo Deus homine non volente;* & percurrens singula, quæ fecit

Chri-

Christus Dominus pro nobis nascendo, ac moriendo pro nostra salute, vti & Auctor Prædestinati eadem omnino percurrit, postea subdit Arnobius. *Nota tibi calumniose quod dico* (scilicet hæc omnia à Christo facta ad hominis salutem) *quod dico ad salutem hominis non volentis, neque currentis. Quid est ergo quod legimus? Ostendimus tibi gratiam Dei generalem antecedentem omnium hominum bonam voluntatem. Nota tibi Prædestinate quod loquor: Omnium generaliter bonam voluntatem gratia Christi hoc ordine, quo diximus, antecedit, si tamen pro omnibus natus, si tamen pro omnibus passus, si non negas pro omnibus mortuum, si cum Apostolo asseris, quod omnes homines vult saluos fieri. Age nunc tolle te à gratia generali* (quæ & sine nostra cooperatione confertur) *ad specialem accede* (scilicet ad cooperantem gratiam Dei) *ad specialem accede, & similiter cum Apostolo clama: Non omnis generaliter homo saluus erit, sed omnis homo quicumque inuocauerit nomen Domini hic saluus erit. Vade ergo ad officinam medici, qui vltro venit ad Ciuitatem nostram; Non vtique nobis rogantibus, omnibus nobis medicus superuenit. Officinam aperuit, & vocem emisit, qua ac si præco exclamans dixit: venite ad me omnes. Iam modo post hanc vocem voluntas antecedit gratiam*, scilicet gratiam subsequentem, post gratiam præuenientem, vt velimus medicinam, quæ voluntas antecedit vtique aliam voluntatem, qua volumus bene operari &c. (*Si enim volueritis, inquit Dominus, & audieritis, quæ bona sunt terræ comedetis: Si autem nolueritis, gladius vos comedet. Sicut ergo antecessit gratia voluntatem hominis in ostensione sui & in adapertione veritatis, ita antecedit voluntas hominis gratiam Dei &c.* Sic itaque Arnobius vt Prædestinianum errorem excluderet, præcipue memorauit explicite solam gratiam excitantem, non exclusit tamen operantem, sed præscindendo ab eadem pro causa, de qua agebat, inculcauit gratiam excitantem, quemadmodum & Tridentinum Sess: 6. cap. 5. hanc præsertim expressit vocans *illuminationem & inspirationem, quam homo recipiens & illam abijcere potest*, vt Prædestinianam similiter Caluini hæresim eradicaret, qui Caluinus non agnoscens, vel perpendens, vt debebat, hanc excitantem gratiam intellectus (in quo radix libertatis consistit) perperam cum Prædestinianis inferebat per gratiam operantem tolli indifferentiam, seu libertatem, quam operantem gratiam hoc non obstante idem Concilium aliti i expressit,& docuit, & definiuit, vt omnes modo Catho-

lici & agnoscunt, & credunt. Solum ergo & Arnobius ex Auctore anteriori operis Prædestinati exscripsit eam doctrinam, quatenus deseruiebat ad explodendum Prædestinianum errorem, non vero quatenus Auctor Prædestinati eadem doctrina vtebatur vt Semipelagianam hæresim promoueret.

Demum (ne prolixior sim in hac collatione inter vtrumque anteriorem operis Prædestinati scriptorem, & Iuniorem Arnobium) Auctor Prædestinati in eodem suo libro 3. excludere volens ea Prædestiniani verba, *non esse ædificationem hominis certam sed vanam ex illo psalmi 126. Nisi Dominus ædificauerit Domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam*: ex quo postea idem Prædestinianus perperam deducebat. *Voluntatem exclusam esse &c.* vt hanc falsam vtique interpretationem excludat, fuse explicat, cuius nam ciuitatis ædificatio hic intelligatur dicens: [Nos hoc loco ædificationem verbi Dei intelligimus. Verbum autem Dei in toto orbe terrarum à Dei Sacerdotibus ad ædificationem Dei Ecclesijs exhibetur. Et si est vana ædificatio huius operis, vt quid ab Apostolo imperatur? inquit enim Apostolus Paulus, ædificate alterutrum, omnia vestra ad ædificationem fiant. & iterum, vt sapiens architectus fundamentum posuit, si quis super ædificat super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides prætiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Et Dominus in Euangelio laudat virum sapientem, qui ædificat domum suam supra petram, quæ nec ventorum, nec fluminum deijciatur impulsu. Ergo ne in vanum ædificant Sacerdotes Ecclesiam? &c. Quotidie clamat per prophetam Dominus. Ædificate vobis Domos, non luteas, quæ à vento moueantur, sed quæ maneant in soliditatem petræ. Sed vobis ista omnia, quæ diximus, inania videntur, & vana.] Et postea subdit omnes Sanctos Patriarcas ab initio *ædificationem hanc mentibus contulisse*, sed inquit *dici in vanum laborasse* ante aduentum Christi, *quia*, inquit, [nisi Dominus Iesus Christus venisset, & ipse ædificasset Domum hanc, in qua illi laborauerunt, in vanum laborassent qui ædificarant &c. Vnde etiam sequitur. Vanum est vobis ante lucem surgere. Lux enim Christus esse & à Prophetis, & ab Euangelistis, & ab Apostolis declaratur. Prophetæ ergo omnes ante lucem surrexerunt, idest ante Natiuitatem Christi. His in vanum fuit ante lucem surgere, non enim poterant noctem patientibus veritatem ostendere. Sed venit lux, & manifestauit oc-

culta

custra tenebrarum, & tunc demum laus cæpit esse vnicuique à Deo &c. Nunc ergo quia venit, & ædificauit domum, iam non in vanum laborant, qui ædificant eam &c. & quia panis lætitiæ de Cælo descendit, iam non manducamus panem doloris &c.] Hæc tota istius Auctoris Prædestinati in hunc psalmum interpretatio est.

Legamus nunc Arnobium Iuniorem, & videamus, an eandem sibi adaptauerit eiusdem psalmi interpretationem (simul vt à Prospero in eundem psalmum emendatam, vt supra expendimus) quatenus aduersus Prædestinianos adhibebatur, imo & indicarit expresse à se visam integram eiusdem huius Auctoris *laciniosam disputationem*, vt ipse vocat Arnobius, in diuersas scilicet partes velut lacinias minutatim diuisam, quatenus in eodem opere Auctor Prædestinati, & veros habebat discursus aduersus Prædestinianum errorem, & pro sua fundanda hæresi Semipelagiana falsos simul discursus permiscebat. Hæc sunt Arnobii verba in eundem psalmum 126. *Multi istius psalmi male explicantes principia* (inter quos cum Prædestinianis Euodius in sua epistola male adaptans huius psalmi verba) *Multi istius psalmi male explicantes principia, otium prædicant pro labore. aiunt namque, casso certamine Sanctos homines studio occupari. Sed & vana spe suis aliquid hominem nisibus impetrare: & sic ex medicamento vulnus faciunt hoc modo dicentes. Nisi Dominus ædificauerit invanum ædificas. Nisi Dominus custodierit, in vanum vigilas. Poteram &c.* (scilicet & ego potuissem, vel possem agere, quod alter egit, scilicet Auctor Prædestinati) *Poteram laciniosa disputatione ædificationis huius & fundamenta, & parietes, & tecta, & mænia demonstrare: Sed alio proposito res agitur*, idest ad alium finem ab alio id actum est, scilicet ad explodendam hæresim Prædestinianam, & suam Semipelagianam fundandam, iam ab Auctore Prædestinati id factum erat: Inde arripiens Arnobius solum ea, quæ deseruiebant ad suum proprium finem ab initio psalmorum expressum, atque promissum, explicandi moraliter psalmos, adhunc finem sibi adaptat eam Auctoris Prædestinati explicationem, sic pergens, *Ab initio seculi quicumque Sancti vixerunt, Ciuitatem Domino construxerunt. Siquidem Ciuitatis futuræ mænia Sancti erant. Ædificauit Abel, Enoc* (vti & Auctor Prædestinati percurrerat nominatim singulos, licet omiserimus exscribere verba) [Noè, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moises, Iesus Naue, & omnes Sancti ædificauerant domum, & custodierant Ciuitatem. Sed nisi Dominus,

minus,

"minus, idest Dei filius, veniens ædificasset omnia, quæ illi ædifica-"uerant, in vanum laborauissent. Prolata est enim vox eius dicen-"tis. Non veni soluere sed adimplere. Si, inquàm, illis fundamen-"ta mittentibus,& parietes ædificantibus non venisset, qui tecta con-"strueret, & omnia intus ornaret, illi in vanum laborauerant ædifi-"cantes domum &c. Quid ergo ædificatis Iudęi? quid Hæretici vi-"gilatis? Sine causa hæc facitis, quia vobiscum nec ædificat, nec vi-"gilat Dominus. Vos autem orthodoxi Christum in incorruptione "amantes, nolite timere, securi ædificate, quia vobiscum ædificat "Dominus. Dei enim estis ædificatio, Dei cultura estis (id ex Prospero in eundem psalmum mutuatus est) vigilate, quia non solum "vobiscum vigilat, sed dormientes excitat dicens. Vigilate mecum "vigilate, & orate ne intretis in tentationem. Tale est, quale si dicat: "in vanum vigilaretis, si ego non vigilarem vobiscum. Nunc autem "satis iniquum est, vt me vigilante vobiscum vos somno occupemi-"ni, unde & Apostolus clamat. Ædificate alterutrum. Vana ergo "esset ædificatio, si Dominus non ædificaret. Vanæ vigiliæ, si Do-"minus non custodiret. Dominus custodit, & vanæ non sunt. In "vanum est vobis ante lucem surgere, idest lux Christus est, & vos, "qui ante eum surgitis, vanum est vobis ante eum surgere, qui man-"ducatis panem doloris. Nisi enim venerit, qui panem gaudij tribuat, vos in vanum surrexistis &c.] Sic Arnobius partim vtique adhibet Auctoris Prædestinati expositionem, quatenus contra Prędestinianum errorem aptabatur, sed partim emendat eandem ex Prosperi interpretatione, ne Semipelagianam hæresim ipse approbaret, imo destrueret. Vnde adhoc expresse cauendum idem Arnobius in psalmum 117. contra Semipelagianos aiebat. *Noli confidere in te, noli dicere, sic te liberum arbitrium habere, vt tu tibi in te confidas. habes quidem liberum arbitrium, sed noli de eo præsumere, de Deo præsume* (en Catholicam omnino cum Augustino senten-"tiam) [de Deo præsume, quia vinci non potest Deus, liberum ar-"bitrium vinci potest. Ideo bonum est confidere in Domino, quam "confidere in homine. Attende etiam in auxilio positis quid acci-"dat. impulsus sum, inquit Psaltes, versatus sum vt caderem, sed "Dominus suscepit me. & subiungat homo si potest: fortitudo & laus "mea libertas arbitrij: Et ipsa facta est mihi in salutem. Hoc si non "potest dicere, imo quia non potest iuste dicere, dicat se à Domino "suscipi, & fortitudinem omnem auxilijs diuinis adscribat. eius enim

dex-

dextera fecit virtutem, si quam in nobis habemus &c. Nunc forte](hic præuenit contra se de Prædestinianismo obiectionem, quę hic statim Semipelagiani Augustini discipulis opponebant, & inquit,) *Nunc forte audiet me Prædestinationem docens, & infringens arbitrium hominum, putat me libertatem arbitrij ita excludere, vt peccantes existimem Dei abiectione peccare* (idest Deo abiiciente & impellente in peccata peccantes) *Quod peccamus nostrij arbitrij docebitur, quod contemnimus gratiam,* idest quia *possumus eam abijcere* illuminationem, & inspirationem, qua gratia excitat homines, vt loquitur etiam Tridentinum, *quod ergo malum facimus per libertatem inuenimus, quia non dignatur Deus coacta seruitia. Si vero aliquid boni fecerimus, imputabimus largitori, quia bona omnia ad se confugientibus præstat, secundum illud, omnis qui petit accipit, & pulsanti aperietur. Pulsemus ergo, & cum Propheta in psalmo Cantemus. Aperite mihi portas &c.* & ne quis putaret Arnobium saltem cum Semipelagianis admittere hoc nostrum *petere* in nobis non esse à gratia, quæ faciat vt petamus, idcirco subiungit statim. *Hæc nos clamamus adminiculis auxilijsque diuinis &c. Hæc porta, quam pulsatis, non est homini libertate concessa, sed est in Domini auxilio constituta &c.* Sic profecto mihi videtur Arnobius hic, & vbique, caute perstitisse in medio veluti veritatis, inter vtramque Semipelagianam hæresim (vt & infra probauimus) & hæresim Prædestinianam, quam secundam vtique non semel refutabat expresse, vti & in psalmum 108. ad illa verba psalmi. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo,* ita subiungit Arnobius. *Nota ex arbitrio euenire, vt nollet, propter hæresim, quæ dicit Deum alios prædestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionom* (scilicet ad malum peccati, vt alibi explicat) *hic enim ex dilectione sua maledictionem habere probatur, & nolentem suam benedictionem præmium non habere.* Et adhuc tantum finem excludendi hæresim Prædestinianam (vt non male quo adhoc etiam ab Auctore Prædestinati præcludebatur) non semel, vt vidimus, ex eodem Prædestinati opere plura illius operis fragmenta mutuatus est; & consequenter hoc opus Prædestinati, vt antea editum ad annum 434, huic eidem Arnobio Iuniori notum fuit.

§. VN.

§. VNDECIMVS.

Idem vltro conuincitur ex libro 6. Hypognosticon edito à quodam altero discipulo Augustini, paulo post mortem eiusdem, respondente directè huic eidem Auctori Prædestinati.

QVid si tandem, præter respondentem Prosperum ad obiectiones Vincentianas, ostendam alterum etiam Diui Augustini discipulum eodem ferme tempore respondisse eidem huic operi Prædestinati? Profectò si id ostenderim, res vndequaque confecta erit. Accipe igitur, quæ nunc mihi in mentem venerunt, tuque ipse arbiter esto. Inter opera Augustini in tomo 7. legitur adhuc insertum opusculum vulgo inscriptum *Hypognosticon* sub nomine Augustini, sed falso, quo ad vtrumque. Cum enim vox *Hypognosticon*, & Latinis auribus, & Græcis ignota vox videatur (vt iam diù obseruauit S. Remigius in libro edito sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis de tribus epistolis capite 35) legi debet *Hypomnesticon*, quo vocabulo, inquit, *Græci nominant, quod Latini interpretantur memoratiuum*, scilicet per deriuationem a voce Græca *Hypomnema*, quæ significat monumentum ad memoriam refricandam, vel per deriuationem ab altera simili voce Græca *Hypomnesis*, quæ idem est ac *commonefactio*, cum aliquid suggeritur in memoriam, ne in obliuionem veniat. Falsò non minus hoc opusculum adscribi Augustino, certoque esse alicuius alterius vtique Augustini discipuli, & interpretis, post eius mortem ferè immediate scribentis, omnes ferè Doctores conueniunt. Præter enim Erasmum id obseruantem in censura præfixa eidem libro (quem neque inter Doctores nomino, nec solum audire) id expresse admonuit Cardinalis Bellarminus de scriptoribus pag. 110 dicens. *Libri, qui inscribuntur Hypognosticon, eruditi sunt, & vtiles, & vetusti authoris, sed phrasim non habent Augustini, neque à Possidio, vel Beda, vel alio vetere citantur sub nomine Augustini.* Idem omnino repetit noster magister Lemos tom. 2. tract. 3. cap. 29. numero 452 addens numero 454 se de hoc libro, & de aliis similibus falso insertis inter eiusdem opera, *hoc probasse in congregationibus, cum ex istis libris ab aliquibus quædam proponebantur &c. etiam prius quam Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis scriberet*, conuenere deinde

Ioan-

Ioannes Garnerius è Societate, Natalis Alexander, & quotquot legerim recentiores, & quod caput est, ante hos omnes id præmonebat seculo 9. Ecclesia Lugdunensis cum Diuo Remigio prælaudato capite 35. concludens, *à quodam alio, post Augustini obitum, scriptum esse magna ex parte iuxta modum & formam sensuum Augustini, contra Pelagianos & Calestinianos hareticos de illis quinque periculosioribus eorum quastionibus breuiter collectum &c.* (iuxta quarum quinque quæstionum numerum quinque libri digesti sunt, sextus autem, vt mox dicemus, & notauit Hincmarrus ibidem relatus, postmodum *ab eodem suptadditus est*). Neque rationes desunt id asserendi indicatæ plerunque ab eisdem, tum quia dum iste Auctor Hypognosticon, seu Hypomnesticon lib. 6. de reprobis ait (*cæteros autem ideo punit, quia quod essent futuri puniendi præsciuit, non tamen ipse fecit puniendos* (& infra) *præsciuit tantum vitio proprio perituros, non vt perirent prædestinauit, non praordinauit*, dum loquitur de præordinatione ad pænam (licet non ad culpam) non videtur hæc phrasis Augustino conformis, qui libro de perfectione iustitiæ cap. 13. & lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 25 & tractatu 48 in Ioannem admittit præordinationem ad pænam, vt ibidem Ecclesia Lugdunensis intendit (licet vt dicam ingenue, & modo plerique extra nostram scholam,& etiam nostri,concedant præordinationem ad pænam sub ratione pęnę non antecedere præuisionem demeritorum, & consequenter ad minus hic Auctor Catholicè loquutus est) tum quia hic Auctor centies & fere ad singulas lineas ad sibi aduersantem ait (*Dic hæretice, attende demens hæretice*) & huiusmodi asperioribus phrasibus vtitur,quę non redolent modestissimum modum loquendi Augustini, tum quia econuerso initio libri primi seu in prologo hic Auctor, Pelagianos impugnans in re iam certa, inquit (*si qua vero sunt, in quibus nolentes errauimus, Deo iudice corrigat &c.*) & libro 3. circa medium de fide, quod sit donum Dei, post recitata ex Apostolo testimonia, veluti non sibi fidens, subdit (*Ista interim à maioribus Ecclesia Catholica tractatoribus dicta vel exposita sunt*) qui modus loquendi, vti bene Augustini discipulo conuęnit, ita Augustini, qui plus cæteris in hac re laborauit, grauitatem non redolet, tum quia hic Auctor vtitur translatione Hieronymi, Augustinus vero solitus fuit adhibere translationem 70 interpretum, quæ in vsu erat antequam altera Hieronymi Romæ & postea alibi cæperit adhiberi, tum quia, cum Augustinus tot alios

I ante-

anteriores libros emisisset contra Pelagium, Cælestium, & Iulianum, non addidisset hunc alterum posteriorem absque noua occasione vel causa, & expressa, vt solet, in prologo, quod ibi non fit; tum quia huius operis, si Augustini fuisset, mentio adesset, si non in libris retractationum, saltem apud Possidium, vel Prosperum (qui indiculos librorum eiusdem ediderunt) vel apud Fulgentium, vel Bedam, apud quos tamen de hoc altum silentium est, tum quia & liber de Prædestinatione & gratia, & alter liber de Prædestinatione Dei, inserti sunt operibus Augustini, quos certum est Augustini non esse, & idem dicas de tot alijs, de quibus agit Natalis Alexander seculo 5. tum propter alias rationes, quas idem S. Remigius Lugdunensis loco citato prosequebatur, ex quibus non immerito modo communis consensus est, hoc opus Hypomnesticon Augustini non esse, sed alicuius eiusdem discipuli, qui paulo post mortem eiusdem ex editis iam ab Augustino operibus eam epitomen fecit, vt profitetur idem ipse Auctor in prologo dicens (*tanquam Hypomnesticon abbreuiatum hunc facere libellum decreui*). colligendo scilicet in vnum breue commonitorium, quæ sparsim ab Augustino præsertim aduersus Iulianum Pelagianum, cæterosque Pelagianos, tot voluminibus antea ediderat. Nec tamen prætereundum est, quod Hincmarus aiebat (neque quo adhoc ab Ecclesia Lugdunensi refellebatur) opus istud prius, seu primaria Auctoris intentione, in fine quinti libri fuisse completum, & noua postmodum superueniente occasione, vel causa, *Sextum librum superadditum fuisse*, quod sane ex prologo operis eiusdem habetur, dum ibi quinque Auctor proponit tractandos Pelagianorum articulos, (quos & sigillatim examinat) iuxta quinque libros, in quibus re ipsa per ordinem eosdem absoluit, & *contra primum Articulum liber primus* inscribitur, vt ibidem adhuc legimus, *ad Articulum secundum Liber secundus, ad Articulum tertium Liber tertius, ad quartum quartus, & ad quintum quintus*, & in fine quinti per ea verba videtur concludi primitus integrum opus (*Nos Anathematizantes vos, auscultamus Paulum, in quo locutus est Christus Dominus, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*) Sextus igitur, qui appositus legitur, alia occasione ab eodem licet Auctore, superadditus esse videtur sine vllo simili titulo, solum exordiens his verbis (*Licet latius de gratia & libero arbitrio superius disputatum sit*) scilicet libro 3. vt responderet Iuliano, qui quo ad gratiam & liberum arbitrium, vt

alibi

alibi aduertimus ; inchoauerat omnino, & docuerat eosdem Massiliensium, seu Semipelagianorum errores, *tamen addere etiam nonnihil quam maximè huic operi oportet &c.* En velut *appendicem operis* seu *additum operi*, vt ipse loquitur, iam antea completo, noua aliqua superueniens causa, vt id *oporteret*, extorsit. Vis modo hanc causam, vel à me, vel ab eodem operis Auctore audire? Ego quidem (vt dicam, quod sentio, nec me falli eiusdem Auctoris verba permittent) non aliam opinor fuisse causam superuenientem, nisi quod completo iam opere *contra Calestinianos, ac Pelagianos*, paulo post obitum Augustini, continuo ad annum 434 superuenit editum à Semipelagiano scriptore denuo calumniosum in Augustini discipulos hoc opus Prædestinati, in quo eisdem Augustini discipulis singuli errores Prædestinianorum imponebãtur. vt supra vidimus. Id meæ coniecturæ non credis? Audi eiusdem Auctoris Hypomnesticon verba, & meam fidem liberabunt. Iam in exordio libri Sexti dixerat, vt audiuisti, se hunc librum *addere operi* coactum esse; nunc ad quem finem, seu ex qua causa permotus id egerit, exponendo, immediatè sic pergit, *vt & vestra calumnia, per illuminationem gratiæ Saluatoris, reuincatur, imo refutetur, & nostra fidei* (scilicet discipulorum Augustini) *& nostra fidei integritas comprobetur*. Quænam, quæso, hæc calumnia? non alia, respondet ipse, quam quæ toto edita libro Prædestinati, vulgata est. *Credere quippe*, inquit, *nos vel prædicare sugillatis, quia cum lege Dei, & Prophetis, cum Euangelio Christi, eiusque Apostolis, Prædestinationem dicimus, eo quod Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vitam regni Cælorum, vt si noluerint orare, aut ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, dicamus eos omnino perire non posse, nec prorsus debere sui esse sollicitos, quos Deus, quia voluit, semel iam eligẽdo Prædestinauit ad vitam: quosdam vero sic prædestinauerit in gehennæ pænam, vt etiam si credere velint, si ieiunijs, & orationibus, omnique se voluntati diuinæ subiecerint, in his Deum non delectari, & vitam illis æternam in toto dari non posse, sic electione prædestinatos esse, vt pereant; & nos dicere, Deum taliter operantem personarum acceptorem esse*. Hæc ibi, quæ, si totidem verbis ex Auctore Prædestinati, vel in præfatione sui operis, vel in hæresi Prædestinatorum numero 90, exscribere voluissem, nescio an vix aliquod verbum mutandum occurrere potuisset. Et dubitabimus postea hunc Augustini discipulum post obitum Augustini (vt omnes præcitati consentiunt)

scribentem, suique superadditi Sexti libelli causam distinctè adeò proferentem, eidem operi Prædestinati, quatuor tantum ab obitu Augustini annis emisso, respondere, & occurrere, non voluisse? Sed percurramus eiusdem sexti libelli progressũ(quem,cum breuis esset, parum abfuit, quin totum huc transferendum putarem, nisi id tædio Lectori esse timuissem) *Non miramur* (subdit) *Non miramur homines de hominibus, vos de nobis, falsa posse confingere, cum videamus vos sic à diabolo esse fascinatos, vt scripturas sanctas ac veridicas ad voluntatis vestræ intellectum mutare nitamini fidem Christi Apostolorum prædicatione fundatam, falsum dogma vestrum anteponere veritati.* An hæc non respondent calumniæ de falso à discipulis Augustini libello illo *sub nomine Augustino confictо? Prius ergo Prædestinationis nomen, quid indicet, exponamus: deinde esse apud Deum, qui sine personarum acceptione est, Prædestinationem, diuinarum scripturarum authoritate probabimus*, vti robustissime subsequenter id probat concludens, præter peccata, quæ solum *præscit*, inquit, *non prædestinat, quod bonum est præsciĕntia prædestinat, idest priusquam sit in re, præordinat.* An non hæc respondent prolixo sermoni Auctoris Prædestinati libro 3. exprobrantis in sententia discipulorum Augustini, etiam *prædestinari peccata*, & ne id sequatur, subinferentis nullam neque secundum præscientiam dari ęternam Prædestinationem in Deo, *ne qui adhuc non capit viuere, sententiam iam mortis accipiat?* Post ostensum cum Paulo Apostolo ex Prædestinatione libera Dei erga homines ex eadem massa, quosdam præordinandos in vasa honoris, quosdam vt filios iræ in vasa contumeliæ &c, *Quod si adhuc animositati tuæ*, inquit, *quæ contentionis curru raptus per quæstionum campos inanis effereris, hæc minime responsa sufficiunt, audi & alia de altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei &c. Paulus expauit, ipse intrepidus pande*, cur scilicet aliquibus voluerit Deus prædicari, cum aliis prædicatum non sit, *& spiritus spiret vbi vult, & non vbique? Si, vt superius dixi, iactatus curru inanium quæstionum cadis in fluctus vanæ contentionis, & velut nauis deserta gubernaculo, per diuersa & incognita littora volueris, nec prorsus ibi prospere nauigare potes: reuertere, & sede in portu fidei Catholicæ, vbi te nulla possit fluctuosa curiositatis tempestas turbare, vel mergere* (An hæc non refellunt, quod Auctor Prædestinati mox dicebat) *Vnde probatis, quod Deus non omnes vocat ad gratiam? Nec (omnes ergo gentes Deus prædestinauit ad vitam, quia omnes*

gentes

gentes vocauit ad vitam) mox pro ratione aduentus Christi tali tempore id assignat dicens (*hos gentium populos prasciuit, quod filium suum, quem Iudai crucifixuri erant, sincero corde susciperent*) mox ex petitione discrimen assignat subdens (*Deum gratiam suam non petentibus non dare docemur*) mox ex fide dicens (*nos adserimus neminem gratiam Dei consequi, nisi qui ex fide cucurrerit*) mox in discipulos Augustini sibi aduersantes pro quæstione proponit (*Si ita est, quid nunc faciemus de te, qui non petis? Deus te noluit, aut tu noluisti Deum? Ideo te interrogo ò Sanctissimè Pradestinatè; vt vnum è duobus facias. Aut enim fateberis te vinci, aut Deum blasphemare conuinceris*) mox infra repetit, *Vnum hic è duobus censura iudicantis adtendit, aut gratiam recusantem, aut hominem contemnentem. Si enim gratia recusauit hominem, à peccato hominem liberum facit &c.* mox alibi, *Si nullus ex suo merito vocatur, sed ex dono gratia Dei, & alius vocatur, alius recusatur, personarum Deus blasphematur acceptor*: an his, inquam, Auctoris Prædestinati locis, mox contendentis assignare rationem Prædestinationis ac iudiciorum Dei, similesque proponentis quæstiones, non respondet breuiter Auctor Hypomnesticon refundens singula in supremum consilium voluntatis Dei, misericorditer saluantis, quos saluat, & iustè punientis, quos punit, per inscrutabilia iudicia sua iustificata in semet ipsis? *Quod vt probare valeamus* (pergit Auctor Hypomnesticon) *solum reor ad exemplum sufficere Iudam* (& ostenso ex scripturis damnatum fuisse ob mala opera, quæ fecit, subinfert.) *Vbi ergo commemoratio operum eius malorum à Sancto fit Spiritu in psalmis, priusquam esset, prasscitus est, non factus, quod talis aduersus filium Dei futurus esset. Si enim à Deo factus esset, inculpabilis esset &c. Tenenda est igitur inconcusse huius disputationis regula, qua diuinis testimonijs claruit, peccatores in malis proprijs, antequam essent in mundo, prascitos esse tantum, non pradestinatos* (scilicet ad peccatum vt peccatores) *pœnam autem eis esse pradestinatam secundum quod prasciti sunt*, quia scilicet, & si exclusio à gloria sub ratione beneficij indebiti sit ante præuisionem demeritorum, non sic tamen sub ratione pœnæ, quæ dicitur præordinatio ad supplicium. An hæc non respondent ipsis omnibus, quæ Auctor Prædestinati exaggerabat nominatim de Iuda inter alia dicens. *Hoc, quod Iudas cecidit, non putes fuisse impietatis Dei, neque enim Deus voluit esse malignum &c. In peccato Iuda vos ipsos Iudices petimus. Dicite nobis, cui vultis hoc*

crimen adscribi? Ipsi Iudæ traditori, an Deo prædestinanti? Inde Auctor Hypomnesticon refert illud Apostoli ad Ephesios 2. de prædestinatis. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem vt essemus Sancti & immaculati &c.* Et postea subdit. *Taceat ergo humana lingua, nec prorsus in prædestinatione de meritis extollatur. Attende dictum, ante mundi constitutionem. Diuinæ voluntatis est hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum. Denique attende quid sequatur, in quo habemus redemptionem &c. secundum diuitias gratiæ suæ, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo &c. In quo etiam sumus prædestinati secundum consilium voluntatis suæ. Audi secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, idest quæ præuenit nos, inquit, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ. Audi, omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ: Nunquid meæ vel tuæ; aut alterius, vt meritis constet? Absit; sed suæ. Audi in operibus, quæ præparauit Deus. Et si quid te boni posse vides, age gratias præparanti, quas potes, non propriæ voluntati, quia omninò sine illo nihil potes, qui dixit, sine me nihil potestis facere.* An hæc non expugnant omnes errores Semipelagianos de gratia sola excitante, non operante, contentos in opere Prædestinati, præter ea, quæ contra similes Iuliani errores, præmiserat superius libro 3. per totum? *Nolite itaque* (inquit) *putare, quod hæc & huiusmodi dicentes, liberum arbitrium amputemus voluntatis, cum tamen constet ea, quæ loquimur, ex authoritate diuina pendere: vel, vt nobis calumniam obijcitis, quod operari bona, & oportere esse in Dei proposito sollicitos, prohibeamus, quin potius &c.* & postquàm ex scripturis probauit sollicitudinem nostram simul necessariam esse, & vigilantiam, ad quam semper habemus posse per gratiam, dummodo tamen & actu vigilare à gratia faciente vt vigilemus (per Semipelagianos) non separetur. *Sumus enim Prædestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur. Intellige dictum, qui omnia operatur, & crede opus Dei esse opera eorum, qui ambulant secundum propositum Dei &c. Nec dicimus, vt fingitis; & si credere velint, vel bonis operibus Dei vacare, Deum hæc illis nolle præstare, cum huiusmodi velle Dei sit Deum &c.* An hæc non respondent toties repetitis calumnijs Auctoris Prædestinati, mox dicentis. *Si ita est, vt vnusquisque hoc sit, quod prædestinatus est, cessat lex, cessat deuotio populis &c.* (paulo post) *vt putent se ita ad Deum peruenire,*

nire, vt de animis suis tollant studium placendi Deo, & dicant. Non ei placebimus de nostro studio, quid studemus? non ei placebimus de nostro cursu, quid currimus? non ei placebimus de nostra vigilantia, quid vigilamus? & infra [vobis exponentibus discamus, vt cesset voluntas, expectet vt prius gratia veniat, quæ trahat nolentem &c. volutetur homo in cœno &c. sit securus ex vitio. Si enim venerit gratia antecedens, erit homo recedens à crimine] &c. Auctor inde Hypomnesticon, vt excludat aduersarij Semipelagianismum, vti iam Prædestinianismum sibi imputatum excluserat, [Nouimus, inquit, nonnunquam quosdam volentes æternæ vitæ fidem accipere, & eam adipisci, quosdam autem non: Aliquos etiam nolentes consequi, cum eis diuina gratia, aut dederit, aut immutarit voluntatem, aliquos non &c. Quis sapiens & intelliget hæc? Aut quis idoneus erit horum reddere rationem? Dicamus cum Dauid: Iustus Domine in omnibus vijs tuis, & sanctus in operibus tuis, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, & cum Apostolo, ò altitudo &c. Sed si adhuc hac reddita ratione vultis esse contentiosi, nec acquiescere veritati, nobis tamen, eo quod male de Deo iusto ac misericordissimo sentiamus, calumniari desinite: sed ipsum potius Dominum Iesum Christum, cuius Euangelium sequimur, si audetis, arguite &c. qui ait: Multi quidem vocati, pauci vero electi, & nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum &c.] An hæc iterum non repellunt, toties repetita ab Auctore Prædestinati, vt supra retulimus, quod æqualiter Deus *Omnes vocet, omnes prædestinet ad vitam*, & cuicunque de se *petenti Deus det gratiam, non petenti non det? Falsum est ergo,* pergit Auctor Hypomnesticon, [falsum est ergo, inquies, quod ait Apostolus de Deo: qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Omnino non est falsum, quia omne, quod vult Deus facere, potest, nec prorsus humana voluntate, quod vult, præpeditur] & post recitata scripturarum testimonia de voluntate consequente Dei discernente, hoc non obstante, homines, ait. [Dicite igitur, quare Deus, qui personarum acceptor non est, & vult omnes homines saluos fieri, aliquorum corda reserat ad credendum, aliorum non sic &c.? Ecce iã omnes generaliter salui non sunt, cum alijs datur viam nosse salulutis, alijs non datur. Dicite, quæso, qualiter hæc loca Euangeli accipitis, docete, quid hic de Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, sentitis. Hæc itaque cum facit Deus, non personarum acce-

ptione

ptione facit, non iniustitia, sed iustitia inenarrabili,& indebita misericordia.] An hæc non occurrunt Auctori Prædestinati, tum aienti, *novum genus blasphemiæ inducentes dicunt, quod Deus non omnes homines vult saluos fieri*, tum alibi ad nauseam vsque indisciplinatas huiusmodi quæstiones repetendo? An tandem in libri epilogo breui manu toti operi Prædestinati non respondet, dum concludit? [Quapropter omnes, qui saluantur, Dei voluntate saluantur &c. Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breuiter probauimus, immanis blasphemia est &c. Hinc nemo glorietur, nemo desperet. Solus enim Dominus scit, qui sunt eius. Inquantum autem possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli desperationem demus, proinuicem oremus, in conspectu Dei nos humiliemus dicentes: Fiat voluntas tua &c.] Hæc ibi, quæ si simul, vt destruunt Semipelagiani Scriptoris hæresim, ita non vindicant Augustini discipulos ab imputata, per istum, hæresi Prædestinianorum, non video quis alter vnquam potuerit opportunius, robuste simul & breuiter, eidem Auctori operis Prædestinati respondere. Sed audio, pulsas statim, & quæris, quinam iste Auctor sex librorum Hypomnesticon (quem omnes vno ore consentiunt fuisse discipulum Augustini scribentem paulo post mortem eiusdem Augustini) quis, inquam, in singulari hic fuerit, nunc curiose perquiris. Poteram, & ante decreueram, me huic alteri quæstioni non immiscere, dum nostro intento satis erat, hucusque constare hoc opus Prædestinati, ne dum à Prospero (vt supra vidimus) verum etiam ab altero certe Augustini discipulo visum tunc temporis ac repercussum fuisse. Verum vt tibi, Lector, & in hoc morem geram, de hoc in subsequenti paragrapho vltimo adminus verisimiliora perquiram.

§. DVODECIMVS.

Quinam ex discipulis Augustini in singulari fuerit hic Auctor prædictorum sex librorum Hypomnesticon, vel Hypognesticon, qui, ex dictis, Auctori Prædestinati respondit.

IOannes Garnerius illustrator operum seu fragmentorum Marij Mercatoris, quæ in Vaticana Bibliotheca reperta, deinde edita sunt, dum aliud ab eo, quod nos agimus, ageretur, in preambularibus

bus quærens de singulis, qui sæculo 5. Pelagianorum hæresim oppugnarunt, vt inter hos numeraret & Sixtum, qui anno 433 Cælestino in Pontificia sede successit, opinatus est hunc Sixtum mox ante scripsisse *contra Pelagianos & Calestianos*, vt adhuc inscribitur, *Hypognosticon*, seu Hypomnesticon opus, cuius auctorem hic quærimus. Nec inuerisimilis hæc Garnerij coniectura videtur, tum propter rationes, quas paulo post ex eodem subdemus probabiles saltem, & si demonstratiuas haud esse contendamus, nec sane ipse contenderit, tum propter præcedentia Sixti eiusdem gesta aduersus Pelagianos eosdem, quę hic breuiter prætangenda sunt. Sixtus enim sexdecim annis, antequam Summus Pontifex esset, adhuc Præsbiter Romæ sub Innocentio incunte anno 417, cum recepta mox ante ab Innocentio Augustini epistola 95 transmissa ex Aphrica nomine Aurelij, Alipij, Augustini, Euodij, & Possidii Episcoporum, simul cum gestis Synodi Prouincialis Carthaginensis, & Prouinciæ Numidiæ (vt recognoscit Augustinus epist. 47 ad Valentinum) cum, inquam, his mox ante receptis Romæ ab Innocentio disquisitio fieret aduersus Pelagium & Cælestium, rescripsit contra eosdem Innocentius simul cum alio rescripto ad Concilium Carthaginense, & ad Milleuitanum, etiam epistolam 96 ad Aurelium & quatuor alios collegas Episcopos, datam sub die 27 Ianuarii eiusdem anni 417, & nedum Sixtus, quem sibi fauentem Romæ Pelagiani falso iactabant, in consilio fuit ipsi Innocentio, vt contra eosdem hanc decretalem emitteret, verum & eandem ipse ab Innocentio impetratam, & cum sua epistola ad Aurelium transmisit statim, & dum eadem ipsa perquisitio fieret, vel continuo ac Innocentius in iudicium, eidem etiam à Sixto consultum, descendit, idem Sixtus pro suo priuati Doctoris placito seu consulto, primus ac prior in populo, non semel, sed frequentissimè eosdem Pelagianos hæreticos esse pronunciauit, vt fama in Aphricam vsque subsequenter detulit, dum cum prædictis *litteris Apostolica Sedis*, scilicet Innocentij ad Carthaginenses, & ad Aurelium, & quatuor Collegas epistolas, *& Sixti littera ad venerabilem senem Aurelium consequuta sunt*, vt loquitur Augustinus, tum in epistola prolixiori 105 gratulatoria ad eundem Sixtum remissa per Firmum (qui post relictas Hippone litteras aliò diuerterat, & postea regrediens simul regressum Hipponem Augustinum inuenit) tum in epistola 104 breuiori ad eundem Sixtum, quam ante reditum Firmi Augustinus transmiserat

per Albinum Accolithum. Ex vtraque autem dignoscimus Sixtum ab eo tempore incæpisse, nedum verbo, sed scripto, vsque in Aphricam misso, Pelagianos opprimere, dum in priori Epistola 104 Augustinus de epistola ad Aurelium ait, *nobis exposuisti quid de illo perniciosissimo dogmate, vel quid contra de gratia Dei, &c. cui illud est inimicissimum, sentias*, scilicet in altera priori, sed *breuiori* eiusdem Sixti epistola ad eundem *Aurelium per Leonem accolithum directa*, Carthaginem mox ante, & inde de posteriori eiusdem Sixti epistola altera Hipponem ad Augustinū eodem tempore & Alipiū missa. *Quanta*, inquit, *nos putas ista tua prolixiora scripta vel exultatione legisse, vel cura, vt legantur, quibus valuimus, alijs obtulisse, atque adhuc quibus valemus, efferre? Quid enim gratius legi, vel audiri potest, quam gratia Dei tam pulchra defensio à aduersus inimicos eius, ex ore eius, qui eorundem inimicorum magni momenti patronus antea iactabatur?* Et exultare prosequitur, quod tunc *de hac re scriberet ad fratres, apud quos se illi* (Pelagiani) *de eius solerent efferre amicitia*, & rogare non desinit vt *pastoralis diligentia* aduersus etiam occultos imposterum *non cessaret*. Nec minus, sed magis ac fusiùs id repetit Augustinus in subsequēti prolixiori epist. 105 eodem anno 417 paulo post receptas prædictas Innocentii, & Sixti epistolas respectiuè; vel Hippone per Firmum ab Augustino, vel Carthagine per Leonem ab Aurelio, qui Carthaginensi Concilio præsidebat, Roma transmissas, vt diximus, mense Ianuario, *6. Calendas Februarij Honorio XI. & Constantio II. Coss.*, in hac, inquam, inter cætera inquit Augustinus, *primo te priorem anathema eis in populo frequentissimè pronunciasse eadem fama non tacuit. Deinde cum litteris Apostolica sedis de eorum damnatione &c.* dum iamque Innocentius & Africanorum seu Carthaginensium Patrum doctrinam contra Pelagianos, vt Catholicam, iudicarat, & oppositam Pelagianorum, *errorem*, dicebat; & se rescripsisse etiam dicebat *de illorum perfidia* & de Aphricanorum Patrum *sententia, deinde* in hoc sensu de hac etiam epist. 96 Innocentii (sic pergit) *deinde cum litteris Apostolicæ sedis de illorum damnatione ad Aphricam missis tua quoque littera ad venerabilem senem Aurelium consequuta sunt*, & paulo post, *fidelissimum perlatorem voluisti esse apud nos non solum auctorem scriptorum tuorum, verum etiam narratorem testemque factorum*, & rogat iterum vt contra occultos etiam huiusmodi hæreticos Pelagianos *etiam docendo instaret, quibus terrendis satis,*

quan-

quantum comperimus, inquit, *institisti*. Non mirum itaque Sixtum, qui non rogatus id iam ante fecerat anno 417 aduersus tunc exortos Pelagium, atque Cælestium, id rursus postea, vlterius motum Augustini rogatu & instantia, ad annum 430, cum ferocientis Iuliani Pelagiani duo volumina mox ante vulgata perlegerētur, primum in quatuor libros, secundum distributum in octo, quibus postremis eodem anno 429 simul, & ineunte anno sequenti, quò & obiit, Augustinus respondit, non mirum, inquam, tunc Sixtum ex lectis anno sequenti Augustini responsionibus in Iulianum, proficiendo ex eisdem, hos quinque libros *Hypomnesticon aduersus Pelagianos & Calestianos*, vt inscripti leguntur, parauisse, & anno postea 434 (dum Pontifex esset) superueniente opere Prædestinati, *librum sextum*; vt nouam importatam calumniam ab isto Semipelagiano de Prædestinianismo *refutaret*, *eidem operi addisse*, vt Auctor ipse in exordio libri Sexti se explicat, cum alioquin noti sint tot alii Pontifices, qui dum Pontifices essent, etiam sub priuati Doctoris nomine scripta quamplurima ediderunt, vt Leo Magnus, Gregorius Magnus, duo Innocentii, Adrianus, ac cæteri. Iuuant nunc hanc coniecturam Garnerii rationes, tum quia vbi Augustinus suam epistolam 105 ad Sixtum ferè claudebat his verbis: *Hæreticorum inquietudine, vt scripturas vigilantius perscrutemur &c. tanquam de somno ignauia nostra excitatur industria*; ab his ferme eisdem verbis creditus Sixtus exorditur prologum sui operis Hypomnesticon ab initio dicens (*Aduersarij fidei Catholicæ, dum contra regulam veritatis diabolicis armis pugnare nituntur, nos sollicitudine repugnandi faciunt cautiores*) veluti memor esset, nedum instantiæ Augustini, vt imposterum Pelagianis impugnandis insisteret, verum & verborum ad se scriptorum ab eodem, tum quia opus hoc Hypomnesticon Romæ scriptum se prodit, dum adeo vbique translatione scripturarum antea tunc edita à Hieronymo, & primo Romæ in vsu posita, vtitur (quemadmodum conferenti patebit) vt vna vice dumtaxat lib. 5. post medium vsurus Auctor translatione 70. interpretum, cum vtique referat, & distinguat ab altera Hieronymi, quam continuo subiungit *&* *apertiorem* vocat, referens verba Iob. 14, & sic dicens: *Quis mundus à sorde? Ne vnus quidem est, etiam si vnius diei fuerit vita eius super terram &c. Hac secundum septuaginta interpretum editionem, quæ ex Græco in Latinum sermonem versa est, posuimus. Audite apertius ad fugillationem*

vestram id ipsum, qualiter ex Hebræo verbo sit in Latinum translatum. Quis, ait, potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?, quæ secunda translatio, vt notum est, est vulgata Hieronymi; non inuerisimile igitur est etiam ex hoc indicio Auctorem Hypomnesticon tunc Romæ scribentem Sixtum ipsum prius Romæ Presbiterum, postmodum Pontificem ibidem fuisse, tum quia Prosper scribens anno 434 contra Collatorem, fortasse subodoratus vel paratam, vel tunc completam à Sixto hanc scriptionem, tum contra Pelagianum Iulianum in quinque prioribus libris, tum contra Semipelagianos in Sexto libro, in hoc etiam sensu in fine dicebat, *confidimus protectione Dei præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Calestino, operetur in Sixto, & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reseruata] Pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos*, scilicet Semipelagianos præsertim, dum Pelagiani scribere ampliùs non audirentur, vt testatur idem Prosper in Carmine de ingratis præsertim cap. 6. Præterquamquod, cum in quinque libris prioribus Hyppognosticon, seu Hypomnesticon libris directe retunderet hic Auctor Iulianum, & in sexto eiusdem Iuliani asseclam Semipelagianum (qui pro Iuliano simulabat se anathematizare omnes Pelagianos errores in Ephesino Concilio etiam sub Cæelestino iam prædamnatos) idcirco in hoc iterum sensu etiam de Sixto hos evulgante sex libros intelligi potest idem Prosper in Chronico postea edito clarius adhuc hæc scribens: *Hac tempestate Iulianus Athelenensis iactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi Episcopatus* (ob canones Ephesinos sub Cælestino exauthorantes Pelagianos Episcopos) *amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere: Sed his insidijs Sixtus Papa Diaconi etiam Leonis hortatu vigilanter occurrens* (decreto scilicet & commonitorio edito in eundem) *nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: Et ita omnes Catholicos defectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncasset.* Hæc omnia à nobis addita mirum in modum Garnerii sententiam confirmant. Nec obstat quod contra hanc coniecturam obiiciebat Natalis Alexander seculo 5. pag. 215, *nec Prosperum, nec Fulgentium, qui & contra Semipelagianos pugnarunt, citare Sixtum velut Authorem Hypomnesticon, nec Gennadium, qui*

Sixti

Sixti scripta in Cathalogo virorum Illustrium memorat, istius operis meminisse, nec Iulianum fuisse taciturnum si eo tempore à Sixto impugnatus fuisset. Hæc, inquam, non obstant, tum quia nec illi citant aliquem alium discipulum Augustini velut Auctorem Hypomnesticon, & tamen concedit & ipse Natalis infra pag. 493 cum Ecclesia Lugdunensi, certum esse, *aliquem Augustini discipulum post eius mortem hoc opus ex Augustini libris velut compendium confecisse*; tum quia Prosper pleraque fortasse sua præter Chronicon de hac materia iam scripserat, cum postea à Sixto istud opus (fortasse etiam non sub nomine suo) vulgatum fuit, & Fulgentio, qui altero sequenti sæculo floruit, necesse non est vel singulos Auctores librorum aduersus Pelagianos innotuisse, vel singulos ab eodem memoratos esse, præsertim cum septem libri Fulgentij contra Faustum Regiensem, agniti in eius vita, perierint, aut delitescant, ex quibus longe plura, ac clariora, de his rebus testimonia dubio procul haberemus; nec Gennadius, qui Semipelagianis fauebat, libenter Sixti scriptionem aduersus Semipelagianos memorasset, vti certe nec duas eiusdem Sixti epistolas contra Pelagianos, quas scripsisse, & edidisse constat, ex Augustini epistolis 104 & 105, alicubi Gennadius idem Massiliensis nominauit, sed solas eiusdem Sixti Pontificis decretales laudauit aduersus Nestorium &c. Nec mirum tandem Iulianum non reposuisse alios libros, sicut nec post postremos Augustini, nec post editas à Mercatore subnotationes in eundem, aliquos libros reposuit, licet superuixerit, quia Pelagianis silentium, tum ex Pontificum decretis, tum Imperatorum, tum Concilij Ephesini, impositum erat. Hæc igitur satis de ista, & pro ista coniectura Garnerii, nunc aliam nostram addemus, quæ si non magis, saltem non minus verisimilis videri potest, de Mario scilicet Mercatore, de quo prius ad institutum aliqua prælibanda veniunt. De hoc vt Augustini discipulo legimus in eodem Augustino tom. 4. libro vnico ad Dulcitium de octo quæstionibus quæstione 3. hæc verba. *De illis autem, qui rapientur in nubibus, in quadam epistola, quam scripsi ad filium meum nomine Mercatorem, qua incipit (Proculdubio notissimum vobis &c.) cum me consuluisset de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, qui negant mortem esse peccato retributam, quatenus disputauerim, legite*. Hæc Augustinus, ex quibus & laudatum habemus eundem Marium Mercatorem, vt eiusdem Augustini *filium*, idest discipulum, & eundem intentum scriptioni aduersus Pelagianos ab exordiente eorundem

dem hæresi circa præcipuum eorundem errorem, *quod mors non esset retributa peccato*, qui pariter postea ab Auctore Hypomnesticon in prologo operis ponitur primo loco inter quinque numeratos ibidem *Pelagianorum articulos*. Hunc origine Campanum vel Apulum credit prælaudatus Garnerius operum seu fragmentorum eiusdem Mercatoris interpres, ex tam plena notitia rerum etiam familiarium Iuliani Campanensis Pelagiani, alter autem Scholiastes eiusdem Rigibertus Theologus Franco-Germanus opinatur Aphricanum (licet Romæ postea & in Campania versatum) *tum ex eius duriori stilo, tum ex eo quod res & acta Ecclesia Aphricana apprimè nouerit, & horum etiam exemplaria apud se retinuerit*. Certum est anno 439 Florentio & Dionysio Coss. obtulisse Theodosio Imperatori suum primum historicum *Commonitorium super nomine Calestij, Pelagij, & Iuliani, eorumque haresi*, quod extat in recentiori Conciliorum editione Auctore Patre Labè. Alterum pariter certum est postea anno 431 Commonitorium edidisse Dogmaticum, quod extat tomo 27. Bibliothecæ fol. 129 inscriptum, *Commonitorium Lectori aduersus hareses Pelagij & Calestij, vel etiam scripta Iuliani, à Mario Mercatore seruo Christi*, in quo in prologo multa loquens de D. Augustino debellatore Pelagianorum, & Iuliani, eum nominat *Sancta recordationis Episcopum*, consequenter ad minus post annum 430, quo Augustinus obierat, ista scribebat. Hoc secundum porro Commonitorium continet *subnotationes* in quædam Iuliani loca collectas, vt ipse profitetur, ex opere tum priori tum posteriori Augustini in Iulianum eundem, *quod opus vtriusque*, scil. Iuliani opponentis, & Augustini respondentis etiam ad posteriores octo Iuliani libros, quos ibidem præmemorat, inquit, *cum in nostras manus venisset, quia tota summa inepti & magis impij Iuliani laboris, ad vnam prauam redigi videtur sententiam, Adæ videlicet & Eua transgressionem eos non fecisse mortales*, de qua sola appositè quæstione, vt supra retulimus, eundem propterea Augustinum antea consuluerat, *hoc ergo, vt dixi, totum opus cum studiosius perlegissem, breuiter subnotationibus libris eius, scilicet Iuliani, vbi opportunitas exegit, adpositis ego quoque respondi*, & hoc statim, scilicet ad annum 431, se edidisse subiungit, timens tamen, vt addit, *se in maledicta & effranata illius lingua conuicia incursurum, eumque succensurum, accusando ordinem contra se dictorum nullum esse, dum tamen*, inquit, *non vllum aduersus eum condidimus librum*, quia scilicet

cet

cet breuissimæ *subnotationes* istæ erant quatuor circiter paginarum, & in vnum dumtaxat Caput libri primi Iuliani, in tria sola Capita libri secundi, & in vnum alterum Caput libri tertij, relictis intactis tum tot reliquis trium prædictorum librorum Capitibus, tum integris quinque subsequentibus Iuliani libris, vt hæc prior tam breuis, & imperfecta Mercatoris lucubratio, paratura potiùs aut apparatus alteriùs posterioris, quod meditabatur, iusti operis videri posset, quod & postea iustum opus edidisse ipse opinor, & hoc nullũ aliud fuisse arbitror, quam opus ipsum Hypomnesticon, in quo nullus, qui nimis hospes in Augustini Lectione non sit, non videbit, ea singula, quæ Auctor Hypomnesticon habet quinque prioribus libris contra quinque eiusdem Iuliani Pelagiani articulos, ex Augustini opere priori, ac posteriori contra eundem Iulianum, mutuata, ne dicam exscripta, fuisse, vti se iam facturum, vel fecisse etiam in *subnotationibus* breuioribus idem Marius Mercator in prologo earundem iam fatebatur, nec minus fatetur in re & hìc Auctor (quem eundem Mercatorem esse nunc credimus) in libro 3. indigitans Augustinum eundem, dum inquit: *Ista interim à maioribus Ecclesiæ Catholicæ tractatoribus dicta & exposita sunt*, in vulgato scilicet ab Augustino vtroque opere contra Iulianum, in quo vere ea omnia perleguntur. Incipis iam forsan assentiri Lector, sed si adesset, dices, eiusdem Mercatoris attestatio, qua indicaret, se breues illas priores *subnotationes*, instante Pinta Præsbitero, edi permisisse, tantummodo vt Prodromum, seu inchoatam, vt diximus, alterius iusti operis edẽdi postea paraturam, faciliùs de Lectore extorqueretur assensus. Audio, & si hoc vnum desideratur, habeatur & istud, nec aliunde, quam ex verbis eiusdem Marij Mercatoris, post medium suarum earum breuissimarum subnotationum, aientis: *Tibi interim, si vllus pudor est, nunc ista sufficiant. Si autem Deus vitæ commeatum dederit, & ad retractandos hos optimos libros tuos, & illam Epistolam tuam relegendam, tempus indulserit, quando Dominus voluerit, tibi iterum respondebimus.* Audis? Quid remanet igitur, nisi, vt mecum sentias, huius vtique Mercatoris fuisse hoc posterius opus Hypomnesticon, directe contra quinque Iuliani articulos, ex eiusdem Augustini responsionibus ad Iulianum velut in epitomen redactum, pro iusto tamen opere in quinque libros distributo (quod iustum opus, vt audiuisti, idem Mercator pollicebatur) cui iam completo ab anno 431 vsque ad annum 433 iam labentem, superueniente

deinde

deinde ad initium anni 434, altero isto opere Semipelagiani Auctoris Prædestinati, *superaddere* (vt Auctor idem libro 6. ab initio dicebat) alterum hunc librum *Sextum* pro retundenda ea noua Semipelagiani scriptoris Calumnia coactus fuit? Audi nunc eiusdem rei non minus vrgentia indicia aliunde desumpta. In vtroque opere Hypomnesticon (de quo dubitatur) & *subnotationum* in Iulianum, quas certum est Mercatorem origine Aphricanum iam emisisse, eadem in pugnando contra aduersarium Aphricana vtique ferocia inspicitur, nullibi censuras omittens, & sæpe etiam nec probris parcens, vt excurrenti patebit. In vtroque eadem styli asperitas, minus redolens linguam natiuam Latini sermonis, vt de subnotationibus iam obseruauit Rigeberius Scholiastes in easdem, & in libro Hypomnesticon non minus illæ voces ostendunt, *Protoplastus, exulatus, desolatus gratia, refellitus, repedare*, & huiusmodi. Vtriusque in re idem titulus est; *subnotationes* enim hunc habent titulum *Commonitorium aduersus hæresim Pelagij, & Calestij, vel etiam scripta Iuliani*, qui scilicet, vt ibidem in prologo dicitur, *voluit cum Calestio, & Pelagio in damnatione tertium numerari.* in huius alterius operis sic inscribitur titulus (vt legebat Ecclesia Lugdunensis iam diù ad sæculum nonum non Hypognosticon) sed *Hypomnesticon aduersus Pelagianos & Calestinianos*, vt sic potius loquendo, quam aduersus Pelagium & Cælestium, simul Iulianum (quem ideo hic non nominat vt ibi, licet directe respondendo contundat) breuiori titulo comprehenderet, & vbi in subnotationum titulo voce Latina, *Commonitorij*, vsus fuerat, idem Auctor, hic ex Græca lingua (quam Mercatorem calluisse constat ex translatis de Græco in Latinum pluribus epistolis Theodori, & Nestorij extantibus eodem loco Bibliothecæ) vsus hac voce Græca *Hypomnesticon*, quæ per deriuationem ab Hypomnesi idem omnino significat Latinis auribus atque *Commonitorium*: eadem igitur pleraque sunt, & idem exinde Marius Mercator vtriusque lucubrationis Auctor dignosci potest, cum præsertim prima velut initium aduocaret secundam ut complementum, vti & Auctor in prima pollicebatur secundam. Neque obstat Mercatorem vt adeo fidum Augustini discipulum nō fuisse discessurum à phrasi Augustini, vt discedere visus est in modo loquendi Auctor Hypomnesticon *de praordinatione ad supplicium non pracedente* adhuc in intentione *prauisionem demeritorum personarum &c.* Non obstat, inquam, tum quia quidquid sit de modo

loquendi

loquendi, nec in re modo discedunt quamplures Thomistę ab Augustino, dum cum tot alijs dicunt exclusionem à gloria sub ratione beneficij indebiti in reprobis antecedere permissionem subsequentem futurorum peccatorum personalium, & præuisionem eorundem, non sic tamen ante hanc præuisionem præcedere præordinationem positiuam ad supplicium, & pænam, præterquamquod si has leues in modo loquendi diuersitates ab Augustino, tam rigidè spectaremus, abiudicari deberent eidem Mercatori & extantes sub eiusdem nomine *subnotationes* in Iulianum, ob eandem rationem, quia & in his ipsis in subnotatione ad Caput 122 libri primi arguit fraudis Iulianum, quod voce *innouationis* vsus sit, volens eum vti debuisse voce *renouationis*, cum tamen & voce *innouationis* vsus fuerit Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis Cap. 24, & lib. 2. de nuptiis cap. 1. & libro 6. in Iulianum cap. 10, lib. 1. ad Bonifacium cap. 6, & libro 1. operis posterioris in Iulianum cap. 64. Similiter in subnotatione ad caput 67 libri secundi Iuliani, contra eundem Iulianum Mercator de concupiscentia inquit, *diuinæ scripturæ, non vt tui, libidinem solent, sed carnis concupiscentiam nominare*, & tamen Augustinus *de libidine* loquens libro 4. in Iulianum cap. 2. *eam*, inquit, *diuinus sermo appellare consueuit carnis concupiscentiā*. Sicut ergo tu respondere cogeris, & respondebis, hæc in sola quæstione de nomine versantia solui, & quoad rem facillime concordari posse, ita & dicam de mox ante allata diuersitate ex libro 6. Hypomnesticon cap. 2, vel de similibus aliis ex libro 4. quod Genesis verba sic legat, *fecerunt sibi tegumenta*, quam lectionem in Pelagianis impugnat Augustinus lib. 2. de nuptiis cap. 30, libro 3. contra Iulianum cap. 2. & alibi. In re enim non intelligebat Augustini discipulus, nisi quod volebat idem Augustinus alia vtens voce *succinctoriorum*, & ita de alijs diuersis, si quæ sunt huiusmodi, vocibus. Stet ergo huius operis Hypomnesticon auctorem fuisse alterutrum ex prædictis Augustini discipulis, scilicet aut Sixtum etiam ante Pontificium Augustino addictissimum, aut Marium Mercatorem, aut demum (si neuter adhuc placeret) certum esse ab aliquo saltem Augustini discipulo post eius mortem hoc opus conscriptum esse, ac in sexto eiusdem operis libro Auctori Prædestinati respondisse; Nec consequenter hoc opus, quod sæculo 5. bene notum fuit, suspectæ amplius antiquitatis esse posset, quod & melius ex obiectionum solutione (quas ipsi fecimus, & in Articulo 1. proponebamus) iterum euidentius clarescet.

ARTICVLVS TERTIVS.

Prælata in articulo primo obiectiones (iuxta præacceptam sententiam) singula diluuntur, ac totius huius nostra lucubrationis vtilitas subinfertur.

QVoad obiectiones igitur (quibus probari intendebatur commentitium hoc totum opusculum esse) si contra aliquos facerent, & suum intentum habituræ forent, nil aliud illæ probarent, nisi insignem fabulatorem fuisse, vel Hincmarrum Archiepiscopum Rhemensem, qui sęculo 9. agens aduersus consimilem Prædestinianum errorem Gottescalchi, hoc opusculum confinxisset, ad creandam inuidiā miserabili illi Gottescalcho Monacho in tot Europæ regionibus, tot iudicijs, & carceribus diuexato, & attrito (vt huic condolens noster Contenzonius tomo 5. dissertatione 3. Appendice in hanc etiam suspicionem facillime, vti quo ad alia ibidem præstitit, inclinaret); vel si quis nollet in hoc soli attestationi Sirmundi confidere (qui solus testis esse videtur, hoc opusculum inter Hincmarri codices latitasse, nuperque fuisse repertum) deduceret potius ex præadductis dubitandi rationibus, suspicari licere, hoc idem opusculum ab ipso Sirmundo fuisse suppositum, vt Libertum Fromundum, ac cęteros Prędestinianorum Iansenij dogmatum deffensores conuinceret, ac commonstraret iamdiu hanc similem hæresim Prædestinianam natam in orbe fuisse, atque in parientium vtero præfocatam, quam denuo ijdem sub mentito Augustini pallio reuocare conabantur ad auras, ac promouere. Verum cum nos tantos dolos nec de vetere illo Archiepiscopo Rhemensi Hincmarro, nec de recenti pijssimæ Societatis Iesu scriptore Sirmundo, vel suspicari velimus, nec in re iure possemus, vt ex perpensis hucusque haberi potest, idcirco maluimus ad nostra præallata singula argumenta respondere, & ex hoc ipso Semipelagiani scriptoris opusculo, vt præaduertimus, vtique scripto aduersus vere realem hæresim Prædestinianam, sed falso simul & inique veris ac Sanctis Augustini discipulis imputatam, non pauca, quæ infra subdemus, vtilia monita deriuare.

§. PRI-

§. PRIMVS.

Soluitur prima, & Secunda obiectio, & sustinetur opusculum legitimum, non suppositium esse.

AD primam igitur quod attinet obiectionem, & si sciamus ex Fulgentio lib.1.ad Monimum Cap.30, Massilienses, aut Gallos in suis Gallorum capitulis eas obiectiones *non ex veritate sed ex liuore intulisse*: Aliunde tamen non adeo impudenter iniquos scelestosque illos eosdem Massilienses communiter reputamus, vt per immanem infamemq; calumniam ac tantum dolum voluerint prius fingere ipsi libellum sub Augustini nomine inscriptum, vt haberent quem impugnarent, imo quem fictum aliis veris Augustini discipulis imputarent: Cum imo iidem errantes Massilienses vocentur à Prospero in epistola ad Augustinum, *Serui Christi & praclari & valde egregij in omnium virtutum studio meritis atque honoribus clari*, ab Augustino lib. de dono perseuerantiæ Cap. 24 *Nostri*, & libro de Prædestinatione Sanctorum Cap. 1. & 5. *Fratres*, & de dono perseuerantiæ Cap. 17. *Pelagianum nobiscum demolientes errorem*, & demum de eisdem Prosper in libro contra collatorem adhuc scribens post epistolam Cælestini concludat: *Horum dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi, toleranda magis est intentio quam desperanda correctio.* Cum rursus occasionem deceptionis circa eum librum Augustino suppositum iam ostenderimus ortam ex epistola Euodij, quam cum scripsisset Euodius de eadem Augustini doctrina ad Adrumetinos, ex Africa ad Massilienses delatam esse facile quisque credet, qui viderit apud Sirmundum capite 1. de hæresi Prædestiniana, & alteram eiusdem Euodij epistolam ad eosdem in Africa Monachos scriptam, postea in Treuerensi Bibliotheca S. Maximini repertam esse, neque, vt explicuimus, inuerisimile manet aliquos saltem minus prudentes apud Massiliam deceptos sincere primitus existimasse aut minus sub dubio eum librum Augustini fuisse, quemadmodum de Pelagiana epistola ab aliquibus existimata Hieronymi relatum est. Nec demum obstat eiusdem libri vt spurij ac falso suppositi ipsius Augustini nomini apud alios tam altum silentium, adeo vt præter Auctorem operis Prædestinati, neminem alterum reperiamus id explicite saltem meminisse aut me-

morasse; cum certo sciamus,& plures alios fuisse aliis Sanctis Patribus suppositos libros, quorum adulteræ suppositionis non sic antiqua vel extantia testimonia adhæc nostra tempora peruenerunt; & satis sit, tunc Augustinum, vt ab huiusmodi imposturis præcaueret, in duobus libris retractationum texuisse simul suorum operum indicem, quemadmodum fortasse ad hunc finem Hilarius in epistola ad Augustinum eo ipso tempore hos retractationum libros ad se transmitti rogabat, sicque proinde ex hoc indice verorum Augustini librorum, qui prius decepti fuerant, errorem exuere potuerunt, & consequenter de supposito, non per fraudem, sed per deceptionis inaduertentiam,libro eodem,necesse non fuit vel veros Augustini discipulos expostulare, vel nouas cudere apologias: præsertim quia deinde innotuit Cælestinum *in consultantium actione suscepta*, vt loquitur Prosper in Collatorem Cap. 42; *librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum Autheritate sentiri Sancto manifestasse eloquio*, & si rursus in epistola decretali exinde vulgata, dum liberauit à quocumque *vel sinistræ suspicionis rumore*, in suis veris operibus Augustinum, circa imputatum Prædestinianum errorem, exclusisse per consequens videatur Prædestinianum hunc librum ab albo verorum August.librorũ, licet nec approbatorum seu verorum *librorum expressus est titulus*, & dum in hoc Augustini *oblocutoribus* silentium imposuit,& hunc librum per consequens *damnauisse silentio* censeri potest, vt Auctor operis Prædestinati loquebatur: & cum hic Auctor postea Vincentius adminus huius prædicti suppositi libri fictionem refunderet in Prosperum & Hilarium, sufficit sane Prosperum in Præfatione ad obiectiones Vincentianas breuibus, vt par erat, sed grauissimis respondisse verbis, hæc appellando *prodigiosa mendacia*, & demum in fine præfationis eiusdem conclusisse, à se ablegatos errores Prædestinianos in eo libro contentos *in suis Repertoribus debere puniri*, de quibus videlicet *Repertoribus* ipsi cura non erat, dum aliàs Cælestinus illum spurium libellum *silentio damnans* præceperat & respondenti Prospero ad calumnias de eodem libro silere. Ad secundum inde Argumentum, quod à nobis propositum est, non ab aliis, concedimus exinde conuinci impudoratę falsitatis vtique huius impostoris Semipelagiani calumniam, ex sua bile tentatam, aduersus Hilarium & Prosperum, (qui decretalem Cælestini Epistolam impetrarant), quod ipsi vel confinxissent prius hunc librum, vel Cælestino

lestino oblatum, atque ab eodem *damnatum silentio*, iidem postea ausi fuissent eundem libellum clanculo per domos non paucis communicare *legendum in modum simboli ab eisdem credendum*. Hæc plane insignis fuit ac splendida huius impudentissimi Semipelagiani scriptoris calumnia, quæ ex prædicto nostro argumento inconsequentiæ ac repugnantiæ conuincitur. Sed quotæ & quantæ sunt, quæso, in calumniosis aberrantium operibus huiusmodi surfuris contradictiones, dum contra Catholicos volunt sua promouere mendacia? vt harum non breuem indicem texuit aduersus hæreticos doctissimus noster Magister Grauina in tomo 4. præscriptionum aduersus hæreses p. 1. §. 3. in isagoge ibidem præfixa legendus. Sicut ergo non propter hoc tantum negamus hæreticorum libros vere ab hæreticis etiam antiquis exaratos esse, ita nec negare in præsenti debemus, ex hoc solo titulo, hunc librum à Semipelagiano Vincentio antiquitus fuisse vulgatum: imo non obstantibus præallatis obiectionibus in eo persistendum est, vt censeamus hoc Prædestinati opusculum non commentitiæ vel supposititiæ, sed legitimæ ac genuinæ antiquitatis esse.

§. SECVNDVS.

Soluitur tertia obiectio de Hygino, & Arnobio, vt falso creditis huius operis Auctoribus, & suspicio Sirmundi de Arnobio præsertim refutatur.

QVod vero spectat ad tertiam obiectionem, si quid illa argumentatio valeret, probaret etiam tot alia perantiqua opera, quorum adhuc nullus certus est Auctor, imo ea sub Anonimi titulo vulgari solent, & vulgata leguntur etiam in noua editione Bibliothecæ Veterum Patrum, præsertim in tomo 27 ferme per totum, ea omnia vt de recenti supposititia, vel cõmentitia respuenda, reijciendaque esse, non vero vt scripta antiquitus reputanda, suscipiendave esse, quod nemo prudens assereret, vel ab aliis assertum admitteret. Cum ergo de isto (si Sirmundo credamus) non adeo noua ex solo Sirmundo notitia suborta sit, quin vltro iam seculo 9. ab Hincmarro Rhemensi Archiepiscopo idem liber dignosceretur, & haberetur hoc integrum opus inter suos codices, non propter hoc tantum deinde, quod aliqui dubitent, vel alter suspica-

tus

tus sit istius Auctorem Hyginum fuisse, alter modo diuinauerit fuisse Arnobium Iuniorem, & vtriusque sic opinantis deceptio in argumento detecta sit, non propter hoc, inquam, statim inferendum est commentitium, ac fictum de recenti hoc opusculum esse. Cum quo bene concedimus, & habemus vt certum, non fuisse vtique huius parentem operis vel Hyginum, vel Arnobium Iuniorem. Non quidem Hyginum, vt Hincmarri opinionem fefellit nomen Hygini ab Auctore Prædestinati sic positum in limine sui libri primi, *Epitome Ecdisecios*, idest Sindicatus, *Hygini contra Hæresiarchas, & Categoricorum Epiphanij contra sectas, & expositionum Philastrij, qui hos transferens in Latinum sermonem de Græco, cum Ariani damnarentur, edidit.* Sed non attendit Hincmarrus, quod immediate idem Prædestinati Auctor subiungebat. *Prior Hyginus, post hunc Policrates, Africanus, Hesiodus &c.* ex quo successionis ordine aperte colligitur Hyginum initio nominatum omnibus antiquiorem fuisse, nec consequenter potuisse esse hunc Auctorem Prædestinati, qui de eodem vt se antiquiore per plura sæcula loquebatur, & ex cuius dumtaxat Syndicatus libris, vti & *Categoricorum Epiphanij, & expositionum Philastrij se Epitomen* de hæresibus suam confecisse dicebat, non vero ipse Auctor Hyginus nominabatur. Quinam autem Hyginus ille fuerit, ab hoc Auctore nominatus, anterior nedum Iulio Africano (qui ex Hieronymo de Scriptoribus vixit *ætate Marci Aurelij Antonini, qui Macrino successit*) verum etiam Policrate (qui eodem teste Hieronymo *floruit temporibus Seueri Principis, & sub Victore Romano Pontifice*, ad initium tertii sæculi) quinam, inquam, his duobus senior Hyginus fuerit, non adeo res explorata est. Certum tamen videtur tres tantum reperiri Hyginos scriptoribus agnitos. Primus fuit Caius Iulius Hyginus *Augusti Libertus natione Hyspanus, vel Alexandrinus*, vt loquitur Suetonius de Illustribus Grammaticis, vocans *Ouidij*, scilicet poetæ, *familiarissimum*, quem Hyginum nominat & Hieronymus inter scriptores Latinos de aliorum vitis, initio libri de scriptoribus, numerans istum ante eundem Suetonium, huiusque antiquioris Hygini libros, tum de viris Illustribus, tum de Italiæ vrbibus, tum Commentariorum in Virgilium, commemorant Aulus Gellius lib. 1. cap. 6, & 14, lib. 7. cap. 1, libro 10. cap. 16, & 18. lib. 16. cap. 6. Seruius in librum 3. & 7. Æneidum, Macrobius lib. 3. Saturnalium cap. 4. & 8, lib. 5. cap. 18, lib. 6. cap. 9.

&

& alibi alii. Sed hic Hyginus antiquior nequit profectò esse ille, qui *Sindicatum contra Haresiarchas* ediderit ab Auctore Prædestinati relatus, tum quia hic Ethnicus, non Christianus, sub Augusto fuit, & Christi passionem tempore antecessit. Secundus Hyginus ille fuit ad initium seculi secundi post Christum sub finem Imperii Traiani, cuius Hygini nomine extāt adhuc libri Geomoraticorum, seu de limitibus constituendis, agniti etiam Volaterrano lib. 16. Commentariorum, & Populeirio de historia, & plerisque alijs, in quibus Geomoraticis hic secundus Hyginus, de quodā *viro militaris disciplinæ & professionis Geomoraticorū capacissimo* (inquit) *cum in Pannonia agros veteranis ex voluntate & liberalitate Imperatoris Traiani Augusti assignaret, in are, idest formis, non tantum modum, quem assignabat, adscripsit:* hunc igitur vel sub Traiano, quem nominat, vel paulo post Traianum, floruisse necesse est. Et hunc vtique aliquis opinari posset eundem fuisse Hyginum, qui & *Syndicatum contra haresiarchas* scripserit, & fuerit ante Policratem, (vt hic Auctor Prædestinati supponit & refert) quem Policratem diximus ex Hieronymo floruisse postea ad initium sæculi 3. sub Seuero; id, inquam, aliquis opinari poterit, si permittatur hunc Christianum fuisse (vti quo ad tempus sine dubio licuit) & præter eum naturalis disciplinæ librum *de limitibus constituendis*, & sacrum alterum contra hæreticos edidisse. Tertius tandem Hyginus postremus fuit, qui cum Theophilo, & Sergio scripsit vitam Macarij Romani, vt leguntur etiam sub eius Hygini nomine Acta hæc in vitis Patrum, & à Baronio agnita ad Martyrologium (si bene memini) ad 28 Februarij, & cum Macarii, qui & Martyr Romæ cum Theophilo occubuit, ætas hactenus ignota remaneat, eique hic Hyginus in eisdem Actis contemporaneus supponatur, ex hoc Auctore Prædestinati crediderim censeri posse fuisse vtrumque circa medium sæculi secundi, vt sic iste Hyginus (qui iam Christianus & sacros libros sine dubio scripsit) si & Sindicatum contra Hęresiarchas scripserit, sustineatur vtique hoc modo *Priòr Policrate*, quem ad finem sæculi eiusdem secundi seu ad initium tertii vixisse iam certum est, prætterquamquod (si permitteretur & secundum Hyginum post Traianum Imperatorem fuisse Christianum) hic 3. cum eodem secundo coincidere posset, & iterum adhuc nostrum intentum seruaretur, vt ex hoc Hygino iam agnito, & ex Policrate post ipsum, & Africano post vtrumque, & subsequentibus, posset hic Auctor dicere se

suam

ſuam Epitomen hæreſum confeciſſe; vt clarius iterum idem Auctor Prædeſtinati profitetur lib. 1. infra in hæreſi 83. de Arabibus ſeu Arabitis negantibus animæ immortalitatem, ab Origene conuictis anno 247. & 49, vbi ſe dicit legiſſe id in ſolo Euſebio (ſcilicet libro 6. hiſtoriæ cap. 38) *quam tamen hæreſim*, inquit, *nec memorauit alicubi Epiphanius, nec Policrates, nec Africanus, nec Heſiodus, qui Græco ſermone vniuerſas hæreſes deſcribentes volumina multorum condidere librorum*: hic vero non nominat Hyginum, nec eum de hoc ſilere miratur, quia eum ſciebat ad medium ſæculi ſuperioris fuiſſe, nec conſequenter de hac hæreſi nata poſt initium poſterioris tertii ſeculi loqui vel ſcribere potuiſſe. Maneat ergo Auctorem Prædeſtinati non potuiſſe Hyginum eſſe, ex cuius Hygini Sindicatu in Hæreſiarchas ſuam de Hęreſibus Epitomen reſtrinxiſſe ſeu compilaſſe (quemadmodum etiam ex Policrate, Africano, Heſiodo, Epiphanio, & Philaſtrio poſt Hyginum ſcribentibus) hic longe omnibus poſterior Auctor Prædeſtinati in ſui operis limine profitebatur. Et hæc de Hygino contra Hincmarrum iam ſatis. Nunc contra Sirmundum neque Arnobium Iuniorem fuiſſe parentem huius eiuſdem Operis Prædeſtinati probandum eſt, nec minus efficaciter in primis oſtenditur, tum quia dicendi ſtilus in hoc Opere Prædeſtinati videtur omni oratoris arte elaboratus, periodorum rotundatus numeris, verborum ac ſententiarum figuris ornatus, elocutione nitens, ac ſplendidus, phraſibus expolitus, acrioribus inſperſus ſalibus, conuitiiſque non minus permixtus, & vt verbo dicam, vehemens ſimul & excultiſſimus, qualis profecto non eſt ſtilus Arnobii Iunioris in eiuſdem indubitatis operibus; tum quia Auctor Prædeſtinati, quemadmodum ſuperius vidimus, à Proſpero, in reſponſione ad Vincentianas obiectiones, Vincentius nuncupatus eſt, non nominatus Arnobius; tum quia Auctor ille huius Operis Prædeſtinati per bene triginta annos anterius floruit, ac ſcripſit, antequam floreret hic Iunior Arnobius, vt ex duplici motiuo à nobis adducto in tertia eadem obiectione Articuli primi colligebatur, iterumque probauimus Articulo 2. §. 10; tum quia vbi Auctor ille Prædeſtinati putidiſſimus, ac rigidiſſimus, Semipelagianus fuit, (ni forſan & totus Pelagianus cum Pelagiano Iuliano) Arnobius hic Iunior nec quidem Semipelagiana rubigine inſperſus extitit, vt in ſequenti immediate paragrapho defenſuri ſumus. Propter hæc igitur ſingula res conſtans eſſe videtur Prædeſtinati Au-

ctorem

ctorem non fuisse Iuniorem Arnobium. Præter quæ tamen omnia adhuc (vt magis hæc veritas niteat) idipsum modo ex repugnantia inter quamplura asserta ab Authore Prædestinati & asserta ab Arnobio Iuniori in suis, quæ extant, operibus (quod ineluctabile sane argumentum censemus) aduersus eandem Sirmundi *diuinationem* demonstrandum est. Auctor enim Prædestinati in suo lib. 3. refert hoc dictum Euodii: *Per prauaricationem primi hominis periÿt ab hominibus libertas arbitriÿ*, & statim refellit hæc verba subiungens. *Nos autem dicimus. Per prauaricationem primi hominis manifestata est libertas arbitriÿ, qua potuit hominem facere velle quod Deus non vult*: & in hoc solum subdit nostram libertatem in hoc statu lapso post Adam differre à primæua illa libertate Adæ in statu innocentiæ, quod, vt ipse loquitur, *ita infirmata est in nobis vt etiam ipsum Deum possit contemnere, à quo ipsa libertas est data*. Egregia differentia pro nostræ libertatis infirmitate præ sanitate libertatis in Adam, ac si etiam libertas Adæ in statu innocentiæ non potuisset permittente Deo Deum contemnere prolabendo in peccatum, vti re ipsa peccauit, imo ac si etiam posteri Adæ si non peccante Adam nati fuissent in statu innocentiæ, per libertatem & ipsi non potuissent peccando contemnere Deum, vti & Adam ipse licet in innocentia creatus postea peccando contempsit. Sed de hoc alibi, redeamus ad pensum. Ex Aduerso Arnobius Iunior in vero sensu Augustiniano, ac Catholico loquens de vulnerata nostra voluntate ex originali peccato in ordine ad bonum, sic habet expresse in suo Conflictu cum Serapione tomo 8. Bibliothecæ fol. 232. *Serapion dixit: & si non potest homo sine peccato esse, peccatum ipsum non ei imputabitur à Deo. Arnobius dixit: Hoc, quod illum à peccato facere liberum potuit, in primi hominis prauaricatione periÿt: Vnde creaturam suam creator ad hanc* libertatis *recuperationem præuenire potuit, vt quia iam suis viribus liberari à peccato non poterat, Dei gratia liberaretur*; quæ phrasis Arnobii, aut explicatio ex Augustino ipso libro primo contra duas epistolas Pelagianorum Cap. 2. & lib. 2. Cap. 5. fere verbatim desumpta est. Author Prædestinati nullam aliam Prædestinationem vel reprobationem ab æterno cognoscit in Deo, præter eam veluti suspensam voluntatem saluandi omnes, qui saluari voluerint, & puniendi seu damnandi illos, qui noluerint recte agere, nullam vero firmam sententiam ab æterno & absolutam adhuc ex præuisis meritis vel demeritis agnoscit lib. 3.

vbi hanc imo velut ab absurdo refellit dicens; *Iam ergo tunc egit iudicium mundi, antequam ipsum mundum statuerit, vt iam post finem sæculi non inueniat quem puniat. Laborem sibi forte voluit tollere, & ne non occurreret post facta sua homines iudicare, antea eos prædestinauit ad mortem, quam crearentur ad vitam. Et tamen si ipse creauit, quos prædestinauit ad pœnas, præuenit meritum occidendi, & qui adhuc non cœpit viuere, sententiam iam æternæ mortis accepit. Hoc Deus noster numquam fecit, si vester est aliquis alius, ipsi istas irrogate blasphemias.* Et paulo ante in exordio eiusdem libri 3. loquens de sola ea voluntate veluti suspensa Dei & conditionata glorificandi aliquos si voluerint recte agere, & aliquos damnandi si noluerint recte operari, inquiebat: *hoc propositum Dei prædestinatum confitemur & fixum*; & infra iterum circa medium libri 3. sic repetit. *Et nos vobiscum dicimus: non vocantur nisi prædestinati. Nam qui iussit discipulis suis vt vocarent omnes gentes dicens (euntes baptizate omnes gentes) omnes ipse ante aduentum suum prædestinauit. Omnes ergo gentes prædestinauit ad vitam, qui omnes gentes vocauit ad vitam.* Sic ille negans vere æternam prædestinationem distinctam à reprobatione ab æterno, etiam ex præuisis meritis gratiæ, vel demeritis peccatorum, quam tamen modo vt de fide certam nemo Catholicorum est, cuiuscumque scholæ sit, qui non agnoscat, ac credat. Ex aduerso omnino contra hunc Authoris Prædestinati errorem absurdum, Arnobius Iunior in Psalmum 91 pro certa de fide agnoscens æternam prædestinationem ac reprobationem in Deo, monuit solum nimis curiosos abstinere debere à difficilioribus alijs quæstionibus ingruentibus circa motivum, vel causam prædestinationis æternæ & reprobationis, sic dicens, *in hac re nimis profunda factæ sunt cogitationes eius, scilicet Dei, quas vir insipiens non cognoscit, & stultus non intelligit hæc. Nobis autem bonum est si confiteamur peccata nostra quotidie, & psallamus nomini eius altissimo, si annunciemus mane misericordiam eius, & dum venerit nobis nox quæstionum, nequaquam ad libitum, quæ nescimus, vsurpando loquamur. Ea ergo, quæ lucida sunt in scripturis Sanctis, præiudicium ab obscuris locis pati non debent.* Et prosequitur in hac re ibidem pro exemplo afferre eam antiquam quæstionem, seu difficultatem circa eandem æternam prædestinationem, *an Deus videatur acceptor personarum* ex illo Rom. 9. *Iacob dilexi Esau autem odio habui*, quam difficultatem præuiderat Apostolus ibi ac referebat,

bat; nec sane dissonat hæc prudens ac cauta Arnobii admonitio à repetita Augustini regula ad illa verba, *O altitudo diuitiarum &c.* vt postea prosecuti sunt Prosper in epistola ad Rufioum, Fulgentius ad Monimum, & cæteri passim. Nec minus iterum Arnobius idem legi potest in Psalmum 138, vbi supponens vtique, & bene, peccata nostra futura non præuideri ab æterno à Deo, nisi vt primo incipientia à nostra peccabili voluntate vt prima causa defectiua; indeque si Deus permittat, & habeat decretum permissivum æternum, tunc certo præsciri ab æterno vt futura postea infallibiliter in tempore. Idcirco inducens Diuum Petrum per verba illius psalmi loquentem ad Deum, postquam dixerat Christo, *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, sic Catholicè omnino ac Theologicè eundem Petrum Arnobius repræsentat loquentem. *Tu cognouisti omnes cogitationes meas à longe; semitam meam & defectionem meam inuestigasti, & omnes vias meas prauidisti &c. Tu formasti me & posuisti super me manum tuam. firmasti me de tua præscientia, quod essem negaturus, & posuisti super me manum tuam, vt peccatum lachrimæ sequerentur. Mirabilis facta est præscientia tua ex me: ex me confortata est, & nonpotero ad eam. Conatus sum non negare, promisi me etiam magis eligere mori, quam negantis crimen incurrere. Sed præscientia tua ita confortata est, vt non potuerim ad eam &c.* Hæc Arnobius, in quibus non solum æterna Dei decreta fixa ac stabilia, quæ ab Auctore Prædestinati negabantur, statuuntur, verum etiam principia radicitus Semipelagianæ hæresis euelluntur; viderique potest pro hoc Arnobij discursu Augustinus etiam lib. de correptione & gratia Cap. 8. vbi de futura eadem Petri negatione pertractat.

Rursus Auctor Prædestinati eodem suo lib. 3. illud psalmi 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam*, intelligi vult solum de antiquis Patriarchis ante aduentum Christi, quibus inquit, *vanum erat ante lucem surgere, scilicet ante Christum, qui lux est &c.* non autem id intelligi permittit simul de Ecclesia præsenti, & de nobis post Christi aduentum, *quia*, inquit, *lux venit in Mundum & lucet in tenebris, iam non in vanum ante lucem surgimus, & quia panis lætitiæ de Cælo descendit, iam non manducamus panem doloris &c.* E contra Arnobius in eundem psalmum 126. id intelligi ostendit de tota Ecclesia etiam nunc præsenti, & de nobis etiam post Christi Aduentum, indigentibus quotidie auxilio

M 2 gratiæ

gratiæ Christi, quemadmodum eiusdem Arnobii verba iam supra retulimus, vti conformia Prospero in eundem psalmum, & difformia ac repugnantia prædictæ interpretationi Auctoris Prædestinati.

Præterea Auctor Prædestinati versus finem sui libri 3. acerrime cum Iuliano Pelagiano conueniens contendit concupiscentiam in nobis adhuc post originale peccatum non esse dicendam *malam sed bonam*, nec malam dici posse, nisi *ex vsus excessu*, vti & per omnia dicebat Iulianus ab Augustino in vtroque opere impugnatus; ideoque inquit hic Author. *Nos concupiscentiam dicimus esse rem naturalis certaminis &c. Si concupiscentia mala est, quæ materia generationis ostenditur, constat secundum vos à Deo musiere non ad adiutorium boni sed ad occasionem factam esse peccati &c. Et miror qua fronte concupiscentiam istam, per quam coniugia celebrantur, dicatis à diabolo esse humano generi inflictam.* (Vti & hæc imputatio Iuliani contra Augustinum pariter legitur recitata ab eodem Augustino ac refutata passim in vtroque opere contra Iulianum.) *Si enim à Deo est data, bona esse dignoscitur, si autem mala est, constat à diabolo infusam esse &c. Vnum vobis eligite de duobus: aut bona est generatio hominis, & bona est concupiscentia; aut malæ sunt nuptiæ, si iniqua concupiscentia est &c. O quam infelix impietas est à prædestinatis inuenta, vt ex prauaricatione hominis euenisse dicatur, quod est ex benedictione creatoris insertum! Hanc vos dicitis legem peccati, sed hanc nos legem generis comprobamus: & hanc nos dicimus causam esse virtutum; quam vos vultis ostendere materiam vitiorum &c. Quale hoc, rogo, malum est, quod duplicis boni causa esse monstratur? quod alios in generationis gaudio exhibet, alios in triumpho virtutis; Alij enim per eam licite operantur, alij per eam dimicant gloriose*: Et plura alia prosequitur exscribens omnia vtique argumenta Iuliani de hac re aduersus sanctam, vt explicatam à Theologis, ac modo de fide certam (ex decreto Tridentini de originali peccato sess. 5. num. 5) doctrinam. Non sic profecto approbauit, imo penitus repulit, has iactantissimas prædicti Auctoris Prædestinati assertiones ex Iuliano Pelagiano transcriptas, noster Arnobius Iunior, tum alibi sæpe in commentariis in psalmos, vt mox infra aliqua loca recenseo, tum prælertim *in adnotationibus in Euangelia*, quæ leguntur tomo 8. Bibliothecæ, vbi fol. 231. in Cap. 6. sic habet. *Aduersarium, quod Euangelium dixit, exteriorem hominem demonstrat, hoc est Carnalem,*

nalem, cum quo iter facimus, & expressius Cap. 10. *Arbor*, inquit, *mala vetus homo est, qui malos fructus facit, hoc est peccata, libidines, & Auaritiam &c.* vti & Augustinus contra Iulianum ex hac ipsa phrasi, quod arbor bona non potest malos fructus facere, frequentissime probat concupiscentiam non esse arborem bonam sed malam, quia vt fomes peccati malos fructus facit, quem Augustini discursum & hic Arnobius imitabatur. Similiter in psalmum 118. ad illa verba: *plena est terra misericordia tua*, hinc ait Arnobius: *Medicamentum quando vulneribus immittitur, nisi impleuerit vulnera, non curantur. Terra ergo corpus nostrum est, quod per omnia membra vulnera spiritualia contrahendo opus habuit Saluatorem*, & in psalmum 54 ad illa verba psalmi, *si inimicus meus maledixisset mihi &c. tu vero homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c.* Hæc de malitia concupiscentiæ in existentis nobiscum sic explicat Arnobius. *Nunc vero tu vnanimis dux meus & notus meus, idest homo meus, exterior homo vtique corporalis, qui simul mecum dulces communicas cibos in mensa mysterij, tu contra me agis, tu cum inimicis meis delectaris &c.* In psalmum 41. hinc ait. *Sicut ceruus serpentinis carnibus pastus, veneno exæstuans festinat ad fontes, ita serpentis antiqui pastus consilio festinat anima mea ad te Deus*; in psalmum 40. *Nam & homo pacis meæ in quo speraui, idest homo meus exterior ampliauit aduersum me supplantationem, consentiens suggestionibus demonum. Qui edebat mecum panem vitæ, ipse consensit eis, & accepit ab eis. vt Iudas accepit argenteos & prodidit Dominum. Ita hic accepit ab eis, & prodidit me.* Et alia similia non semel in alios psalmos habet, quæ non vacat vltro congerere.

Demum (ne nos nimis hæc satis prolixa comparatio detineat) Author Prædestinati mox ante finem sui libri 3. adeo contendit baptismum omnia peccata delere in renatis, vt nec remaneat in ipsis in hac vita *fomes peccati*, negatque proinde illud, quod modo omnes Theologi post Tridentinum, imo post damnatam antiquitus Pelagii hæresim, certum de fide habuerunt, scilicet in hac vita omnes adhuc renatos & ordinario modo iustificatos (vt excipiatur Deipara) in aliqua peccata venialia labi, neminemque eorum dicere posse *se sine peccato esse*, donec completus baptismi effectus in altera vita obtineatur, vbi ab hoc malo etiam concupiscentiæ corporalis erimus liberati perfecte; hoc, inquam, negat Auctor Præ-

desti-

destinati, tum in fine sui libri 3. tum paulo ante explicans illud Apostoli. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio*, veluti ab Apostolo dictum, non in sua persona, sed in persona Gentilium, qui per baptismum adhuc renati non erant, vti explicabat etiam Pelagius, apud Augustinum lib. 1. Retractationum cap. 23. & libris ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum, hincque demum velut ad absurdum deducens contra Catholicos Author Prædestinati concludit. *Hinc ergo exinanitis baptismatis Sacrosancta misteria, quia concupiscentia, vt ipsi dicitis, lex peccati est, & ipsa sibi iterum vindicat baptizatum*. Arnobius vero non sic negat sed approbat sanam ac sanctam Augustini doctrinam in epistola 95 (quam exscribit & approbat in conflictu cum Serapione) approbatam etiam ab Innocentio epistola 96 apud Augustinum, & inde in omnibus concilijs definitam vsque ad Tridentinum sess. 5. in decreto de originali peccato sic habens. *Manere in baptizatis concupiscentiam vel fomitem hac Sancta Synodus fatetur ac sentit &c. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*; vti & Augustinus explicarat respondens præallatis ex Iuliano obiectionibus lib. 1. ad Bonifacium cap. 13. & alibi sæpe, & iterum idem Tridentinum sess. 6. Cap. 11. hinc aiebat: *licet enim in hac mortali vita quantumuis Sancti & iusti in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti, nam iustorum illa vox est & humilis. Dimitte nobis debita nostra*; & demum eandem doctrinam deffinit idem Tridentinum in eadem sess. 6. Can. 23. Hanc igitur contra Auctorem Prædestinati doctrinam plane approbauit Arnobius, tum in locis præallatis mox ante quæ repetere superfluum esset, tum clarius adhuc in psalmum 135 scribens. *Peccauimus negare non possumus, habemus multa peccata. Aliter eis non carebimus, nisi quotidie, vt nobis dimittantur Dominum exoremus: Siquidem eius doctrina est. Dimitte nobis debita nostra. Confiteamur nos debitores debitori, nam & nos debitores sumus Deo, & Deus est nobis debitor* (scilicet dum deberet & ipse adhuc pro peccatis venialibus, & quandoque de non completa satisfactione iam remissorum mortalium, irrogare semel iustificatis longæuam iterum in purgatorio pænam; *Rogemus ne exigamur quod debemus*.

mus. Rogemus ne reddat ipse quod debet. Væ nobis si quod debemus exegerit; & vt omittam, quæ ad hoc idem institutum habet in Psalmum 136, in Psalmum 108, in Psalmum 106, in Psalmum 82, in Psalmum 55, in Psalmum 37, ac passim in alios Psalmos, sat est eundem audire in suo conflictu cum Serapione tomo 8. Bibliothecæ fol. 231, vbi plane explicans hæc vulnera naturæ nostræ infirmæ, ac vulneratæ ex originali peccato, inquit; *Hinc etiam infirmitates nostræ saluatoris nomen domino imposuerunt, captiuitas nostra Redemptoris, seruitus Liberatoris &c. Ergo miserum te confitere, vt misericordiam consequaris: ad quam rem audi clamantem Apostolum: miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Vbi nota incidenter Arnobium hæc verba Apostoli intelligere etiam vt dicta ab Apostolo in persona sua, ne dum in persona gentilium, vt perperam cum Pelagio Auctor Prædestinati intelligebat, vt supra retulimus, Nunc pergit Arnobius. *Collige ergo rationem & vide, quia si potes sine peccato esse, miserum te esse confiteri non poteris &c. Nam & si habere te aliquid forte existimare valeas & docere, clamat ad te Apostolus: Quid enim habes quod non accepisti? aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? deinde quomodo potes Saluatorem tuum Dominũ credere, nisi te infirmum agnoscas? &c. Vnde vnum è duobus est, & permitte te dare responsum: vt aut miserum te fatearis aut fortem, aut infirmum aut sanum, vt audias vocem Domini dicentis: non indigent, qui sunt sani, medico.* Non poterat vel magis repetitis vicibus vel euidentioribus argumentis explodere Auctoris operis Prædestinati errorem contrarium, qui ex eodem recitatus est ante. Nec credo amplius aliquis poterit hæsitare, an in Arnobij libris refutata non sint Pelagiana illius Auctoris asserta, nequis eundem Arnobium cum eodem illo Auctore vltro confunderet. vt satis mirari non possim, non dicam de Sirmundo, qui *ob doctrinæ affinitatem*, vt ipse loquebatur, suspicatus erat vnum eundemque Auctorem esse, sed de nostro Vincentio Contenzonio, qui tomo 5 suorum operum disertatione 3. in Appendice §. 1. hæc sibi excidere verba permisit. *Arnobius*, inquit, *Iunior suam cum Pelagio consensionem in psalmum 50, vbi dari peccatum originale pernegat, satis superque prodit*. Hæc, inquam, nostri Contenzonij verba satis mirari non possum, cum & obstent tot ante adducta ex eodem Arnobio supponentia non solum originale peccatum, verum & explicata eiusdem vulnera in hoc statu

naturæ

naturæ lapsæ, & rursus originale peccatum in nos transfusum idem Arnobius asseruerit, tum in psalmum 12, tum in psalmum 118. his conceptissimis verbis. *In hac oratione, Memento Domine David &c. omne genus hominum deplorabat. Perierat enim omne genus hominum in prauaricatione Adæ &c.* Quid euidentius? neque vnquam oppositum huius vel alibi vel in psalmum 50 à Contenzonio citatum Arnobius ipse somniauit, dum in psalmum 50 solum habet hæc verba, quæ forsan Contenzonio fucum fecerunt, *Quia*, inquit, *omne peccatum corde concipitur & opere consummatur. Hic autem, qui nascitur, sententiam Adæ habet, peccatum vero suum non habet.* Hæc tantum Arnobius, in quibus negat vtique in nascente *peccatum suum*, idest sua propria voluntate patratum, quod & personale vel actuale à Theologis nuncupatur, non vero vnquam negat in eodem nascente originale peccatum, quod voluntate in Capite voluntarium est, & contra ly *suum peccatum* in hoc sensu distinctum est, vt recte distinxit ac vidit antea etiam Augustinus, lib. 3. operis prioris contra Iulianum Cap. 5. & libro 6. Cap. 9. & alibi frequentissime, & ex ipsismet verbis Arnobii iam recitatis intelligitur, simul & ex contextu antecedente, & consequente, hic splendidus ac manifestus eiusdem sensus habetur, dum in antecedenti periodo aiebat: *omnis, qui sub iudicio viuit, cum delinquit, peccat Deo, peccat & legibus Mundi*, quæ verba nemo profecto intelligeret nisi de personali seu actuali peccato, & in contextu subsequenti subiungit de Dauidis adulterio, & homicidio, quæ pariter non nisi actualia seu personalia peccata fuerunt, vt stultus sim ego qui diutius huic repellendæ tam falsæ imputationi in Arnobium insudem, satisque putare iam possim demonstratum, ita Arnobium Iuniorem in suis operibus fuisse contrarium Auctori operis Prædestinati, vt si hæc Sirmundus vidisset, nec forsan suspicatus fuisset, Arnobium nostrum eundem fuisse ac Pelagianum illum vel saltem rigidissimum Semipelagianum Auctorem operis Prædestinati, in qua vtique sua suspitione Sirmundus, quo ad id saltem veritatem attigisse videtur quod suam appellarit *diuinationem incertam*, eandemque vt subdebat *in qua fucum pati ac facere promptum est, aliorum maluerit solertia iudicioque permitti*, vt idem ipse in hoc ingenuus loquebatur Sirmundus.

§. TER

§. TERTIVS.

Occasione eiusdem tertiæ obiectionis ostenditur Arnobium Iuniorem nec Semipelagiani erroris fuisse rubigine tinctum, contra Natalem Alexandrum & quosdam paucos indicatos ab eodem.

AN vero saltem Arnobius hic Iunior Semipelagiani erroris fuligine tinctus fuerit, vt his eisdem verbis fidenter admodum asserit Natalis Alexander in p. 1. sçculi 5. pag. 639. duodecim dumtaxat de hoc Arnobio lineas scribens, & nullis alijs adductis causis aut argumentis, nisi quod subdat *id viros eruditos iam dudum obseruauisse*, nec eosdem nominans eruditos viros, qui ex falsa fortasse & mendosa Arnobii editione decepti sunt; Nos ab hac dubitatione præscindere in re proposita valeremus, quia gratis data quacumq; in hoc suspicandi licentia, ad nostrum intentum sufficeret, saltem Arnobium hunc nō ita rigidum Semipelagianum fuisse, qualis Auctor ille operis Prædestinati dignoscitur, neque idcirco conuenisse cum eodem in pluribus Pelagianis assertis (vt iam singillatim contulimus) imo eadem repulisse, ac reprobasse, nec consequenter eundem cum illo esse posse. Quia tamen si id etiam obtineamus, scilicet neque Semipelagianorum colore, vel tabe inspersum fuisse, aut deformatum, iuvabit maxime intentum nostrum, ac promouebit, ideo pupugit animum hic & huius discussio quæstiunculæ, in qua nec quidem dissimulare cogitamus ea omnia, quæ licet non viderimus ab aliis adducta, poterunt tamen ab aliquo forsan vestigari, & adduci, nec consequenter tacenda dissimulandave hoc loco putauimus; *Valde enim bonum est* (vt Augustinus præmonebat libro 4. de doctrina Christiana Cap. 20.) *vt quidquid contradici potest, si occurrerit, refutetur, ne ibi postea occurrat, vbi non erit, qui respondeat, aut presenti quidem sed tacenti occurrat, & minus Lector satiatus abscedat.*

Primus ergo ex Arnobio locus aliquam patiens obscuritatem ille esse potest in Conflictu cum Serapione (pro vt legitur saltem in editione Bibliothecæ Veterum Patrum) vbi fol. 233. hæc habet verba. *Inquirens in diuinis scripturis, quid sit gratia, vtrum liberum arbitrium esset gratia, siue gratiam esse peccatorum, siue gratiam esse*

legis præcepta, & nihil eorum cognoui, quæ per administrationem Spiritus Sancti pertineant ad concupiscentias, tentationesque vincendas &c. Si igitur hæc vera editio est, Arnobius dicit, se *in diuinis scripturis &c. nihil eorum cognouisse, quæ per administrationem Spiritus Sancti pertineant ad concupiscentias, tentationesque vincendas*, nec consequenter agnouit aliquam gratiam necessariam esse ad vincendas concupiscentias & tentationes, vt plane tenuit etiam Iulianus Pelagianus apud Augustinum opere posteriori in Iulianum libro 1. fol. 105. & opere priori in eundem lib. 5. cap. 6. vbi Augustinus aiebat: *Ambo voluptatem carnis & debere & posse vinci dicimus &c. sed tu viribus proprijs, ego gratia Saluatoris.*

Secundus locus est in eodem Conflictu cum Serapione folio antecedenti 232, vbi Serapion interrogabat. *Quid ergo habebit libertas arbitrij? Arnobius dixit: vt si non vis ita credere, non ita credas, & auxilio te diuino suspendas. Si vis vero credere, ita ab his, quæ tibi imminent, faciente Dei auxilio libereris & misericordia.* Constat autem gratiam victricem, quam Augustinus asserebat, vocari ab eodem *potentissimã, efficacissimam, insuperabilem, indeclinabilem*, cui per consequens *non se suspendit homo*, nec humana libertas, imo infallibiliter gratiæ præoperanti homo cooperatur &c. ergo Arnobius non agnouit victricem gratiam, quam contra Semipelagianos Augustinus asseruit, vt patet in libris de gratia & libero arbitrio, de correptione & gratia, de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ, quos aduersus eosdem Semipelagianos conscripsit. Arnobius igitur Semipelagianus fuisse videtur.

Tertius locus est & difficilior in psalmum 147. vbi inquit Arnobius. *Sicut ergo antecessit gratia voluntatem hominis in ostensione sui & in adapertione veritatis, ita antecedit voluntas hominis gratiam. Non enim prius baptizaris, & sic velle incipis credere: sed prius voluntatem tuam perfectam exhibes Sacerdoti, & confessionem tuis labijs pandis, & ita demum, vt consequaris, attingis. Quam consecutus confiteberis, quia omnia Dei dona credendo & desiderando consecutus es.* Et in psalmum 90. explicans illa verba psalmi (*cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis*) *Latus hoc*, inquit, *sinistrum, quod noluit nominare, liberum arbitrium est, contra quod minor pugna laxatur* (scilicet mille solum cadentium hostium) *in dextera autem Dei auxilium est* (vnde scilicet cadunt decem millia hostium) *& ideo prius nominatur latus, quia in arbitrio est, vt cre-*

aas

das prius, vt dum credideris gratiam consequaris. Et inuenias tam multiplicem virtutum cuneum auxiliorum in dextera. Ipsa (hic in margine à Collectore Bibliothecæ notatur *libertas arbitrij* veluti intellecta ab Arnobio per ly ipsa). *Ipsa armat trophæo Crucis frontem, ipsa loricam mysteriorum assumit, ipsa suscipit salutis remedia, ipsa loquentis exprimit signa.* Intendit igitur Arnobius fidem in arbitrio esse, nec consequenter sic esse donum Dei, vt sunt alij actus supernaturales subsequentes eliciti per vlteriorem gratiam post fidem. Dicere autem fidem non esse donum Dei per gratiam habitum, sicut sunt alii actus supernaturales subsequentes, error fuit Semipelagianorum, in quo aliquando se fuisse ante Episcopatum & Augustinus ipse fatetur libro de prædestinatione Sanctorum cap. 3. & 4; & in quo (ex epistolis Hilarii, & Prosperi ad eundem Augustinum) fuerunt postea Massilienses, vt notat etiam, eosque refellit, Augustinus ibidem, ergo iam Arnobius Semipelagianus visus est, vel fuisse videtur.

Quartus tandem locus est in psalmum 91, vbi volens explicare, quid certum sit de prædestinatione diuina, & quale dubium circa eandem omittendum sit, inquit; *Habes in lucido positum, non esse personarum acceptionem apud Deum: Hoc Petrus, hoc Paulus, hoc omnia Euangelia testantur &c. quid nunc?* Audi post hoc certum suppositum, quomodo de alia suboriente quæstione discurrat. *Contra hanc*, inquit, *in obscuro nascitur quæstio: Iacob dilexi, Esau odio habui: & cui vult miseretur, & quem vult indurat, & multa similia* (quæ scilicet Augustinus adhibere solebat aduersus Semipelagianos) [In his positus in noctem deuenisti. Non potes luci diei huius noctis caliginem tradere, & diei medio vim tenebrarum inferre. Si est tibi sermo, annuncia veritatem in nocte, sin aliàs, sit digitus tuus super os tuum. Si enim mille tales quæstiones inuenias, nunquam probabis Dominum per electionem personæ vnum velle, recusare alium &c. Sed rumpamus moras alieni operis, & in psalterio decem chordarum delectet nos Dominus in factura sua, & in operibus manuum eius, quos expandit in Cruce, in his, inquam, operibus exultemus]. Hæc Arnobius, in quibus de suboriente quæstione, ex illis verbis *Iacob dilexi Esau autem odio habui*, vel taceri vult, vel pro certo retinendum prædestinationem in Deo non fieri *per electionem personæ, vnum volendo recusando alium*, ne destrueretur suppositum de fide certum, quod Deus non sit acce-

ptor personarum. Sic inquam Arnobius hic, quod pariter totum, & nihil aliud, voluisse videntur Massilienses allati in epistolis Prosperi, & Hilarii ad Augustinum hinc abhorrentes illud *propositum, quo dicitur facta discretio secundum quod placuit Creatori*, vti & postea prosecutus est Faustus lib. 1. Cap. 3. ideoque silendam potius Augustini sententiam asserebant, & vt refert Hilarius, *etiam si vera esset non promendam*. Ergo Arnobius, qui hæc eadem fere cum Massiliensibus repetebat, cum Semipelagianis & ipse conspirasse censendus est.

Opinabuntur hic quidam (vt reor) me recessurum ab ea sententia absoluente Arnobium, quam præindicabam breuius lib. 6. q. 5. ar. 2. velut nullus modo aditus supersit respondendi ad præallatas ex me, non ab aliis, quos viderim, tot simul ac tantas eiusdem Arnobij accusationes. Verum qui sic de me censent, vellem prius vt ad ea, quæ subiungo in oppositum ex eodem Arnobio testimonia, responderent, vt & ipse perpensis melius, tum pro mea, tum pro aliena sententia probationibus, auditisque vtrinque responsionibus, quod probabilius postea videretur, eligerem. Interea, vt pro se ipsis iam habent a me præadducta motiua, habeant & ista pro me ipso argumenta.

Primo & si concedamus & istum Semipelagianum Auctorem operis Prædestinati sic oppugnasse discipulos D. Augustini vt directe saltem non tangeret, sed commendaret, Augustinum eundem velut *Doctorem Orthodoxum*, vt ipse loquitur, certum est tamen neminem Semipelagianorum, aut Massiliensium, eo tempore dicturum fuisse Augustinum in hac materia de prædestinatione & gratia *vniuersas ambiguitates eliminasse*, vel se *Augustini assertiones ita probatas habere, vt ore suo hæreticum se detegeret, qui putaret Augustinum in aliquo reprehendendum eloquio*, alioquin, cum noti iam essent tot Augustini libri aduersus Semipelagianos directe & ex instituto conscripti de gratia & libero arbitrio, de Prædestinatione Sanctorum, de dono perseuerantiæ, & huiusmodi, in quibus Massiliensium errores vel ut Pelagianorum reliquiæ ex proposito refellebantur, iste Semipelagianus hæc loquens, verba sua contra seipsum manifeste proferret, ac suam propriam vocem ignoraret, vt constat, cum imo ijdem Semipelagiani Massilienses idcirco in epistola Prosperi ad Augustinum quo adhoc se eximerent, ac sequestrarent, à sequela Augustinianæ doctrinæ, *admiratores alioquin*

secta-

Jectatoresque in alijs omnibus doctrinæ eiusdem, & de hoc, quod in querelam trahebat, contrarium putantes Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid in suis libris de vocatione electorum secundum propositum disputauerat: seu, vt Hilarius refert, ac loquitur, in epistola pariter ad Augustinum, *dicentes se Augustinum, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari &c.* Sed Arnobius noster in Conflictu cum Serapione tomo 8. Bibliothecæ fol. 233, de hac ipsa materia loquens de gratia, vt totum contextum immediate antecedentem consulenti patebit, nullo omnino excepto, & in hoc ipso omnes Augustini assertiones se tenere & credere tenacissime profitebatur, & longe maiora & ampliora pro defensione eiusdem Augustinianæ doctrinæ, vt mox subiungimus, proferebat. Ergo (si ingenue ac prudenter sentire velimus) nullo modo Arnobius hic Iunior ab aliquo potuit in ea Semipelagianorum turba supponi, aut collocari. Accipe nunc Arnobij verba cum Serapione assentientis ibidem. *Serapion dixit: testor Deum, quia sollicitudini meæ vniuersas ambiguitates eliminas, si de his* (quæ scilicet immediate antea præmissa erant de gratia & libero arbitrio) [si de his eius mihi de- « finita proferas, & de omnibus, quæ transacta sunt, euidentia eius « adferas documenta. Fateor enim me eius assertiones ita probatas « habere, vt se ipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum « putauerit in aliquo reprehendendum eloquio. Arnobius dixit: « meo sensu locutus es: Nam ea, quæ eius nunc profero, ac si sacra « tissima Apostolorum scripta, sic credo, & teneo, & defendo]. Hæc « Arnobius exscribens deinde bene longum fragmentum ex epistola 95. Augustini eiusdem ad Innocentium. Ita ne igitur Semipelagianorum aliquis in hac eadem materia, in qua se ab Augustini sequela Semipelagiani eximebant, imo Augustinum reprehendebant *velut contrarium opinioni Patrum, & Ecclesiastico sensui*, vt relatum est, ita ne postea vniuersim de Augustino locutus esset? ita ne de hac ipsa materia Augustini scripta *se credere, tenere, ac deffendere tanquam sacratissima Apostolorum scripta* dixisset, si cum Massiliensibus *contraria Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui* reputasset? adeo ne excelsum (ne dicam apparenter excedens, quod nemo alter etiam sinceriorum discipulorum Augustini protulerat, vel postea protulisse nunc legitur) si contra sinceros Augustini discipulos cum Massiliensibus conspirasset, pangere potuisset elogium, vel *hæreticum* denunciare, *qui putaret Augustinum in aliquo reprehen-*

dens

dendum eloquio, si idem ipse inter eosdem Augustini reprehensores, quales erant Semipelagiani, numeratus adesset? hæc igitur esto prima (qua & alibi conuictus fui, & quæ vna, si alia cuncta deessent, me quidem consule, satis esset) pro mea in Arnobij patrocinium opinione probatio.

Secundo nemo est, qui non sciat Massilienses, vel Semipelagianos ex eo præcipue ab Augustino in hoc puncto recessisse, quod Augustinus prædestinationem reuocaret atque reduceret velut in radicem & causam in liberam voluntatem Dei eligentis, & in supremam potestatem eiusdem, seu in diuinam omnipotentiam; quod totum vt ipsi refugerent, reducebant potius in præuisionem meritorum etiam sub conditione gratiæ excitantis futurorum in nobis, vt constat ex duabus eisdem epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, & ex Fausto lib. 1. & 2. de libero arbitrio, & ex Fulgentio ad Monimum, & passim ex alijs. Sed Arnobius Iunior reducebat & ipse prædestinationem, vt in radicem & causam, in liberam voluntatem Dei & omnipotentiam eiusdem, vt constat ex eiusdem Arnobii verbis in psalmum 61, vbi pōderans opportunissime, quod psaltes ibidem aiebat: *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine Misericordia*: Hæc omnino ad Deum prædestinantem adaptat, & inquit. *Hoc solum, quod semel locutus est, diligenter ausculta, quia potestas Dei est, & Dei arbitratu* (nota «Lector id quæso) [& Dei arbitratu consequimur misericordiam. «Quia ipse reddet vnicuique secundum opera sua. Vbi autem hæc «ipse Dominus locutus sit, si forte requiris, agnosce. In Deutero«nomio canitur. Quoniam ego Deus, ego occidam, & viuere fa«ciam, percutiam, & ego sanabo, & non est, qui eripiat de manu «mea:] Vti & hanc authoritatem pro explicanda prædestinationis causa secundum consilium voluntatis Dei, eiusque supremam, & indeclinabilem potestatem, Augustinus sæpissime adhibebat. Arnobius igitur cum Augustini potius explicatione stetit aduersus Semipelagianos, & in hoc ipso prædestinationis puncto cum Augustino consentiebat, de quo præsertim, si non vnice, dissensio excitata iam erat à Semipelagianis in vrbe Massiliēsi, & in Gallijs.

Tertio. Exploratissimum pariter est Augustinum aduersus Massilienses intendisse defendere ac sustinere *præter gratiam excitantem Dei etiam gratiam victricem, inuictam, & insuperabilem à creata voluntate*, & consequenter, facientem infallibiliter vt agamus, & veli-

velimus, vbi Massilienses, & Semipelagiani agnoscebant solam gratiam excitantem, non autem victricem, inuictam, vel indeclinabilem, & insuperabilem, & infallibiliter facientem vt operemur, & velimus, vt plane colligitur ex Augustino de coreptione & gratia, Cap. 11, & 12, vbi vtraque hæc gratia ab Augustino diuidebatur, eaque diuisio præsertim Massiliensibus maxime displicebat, *moleste enim ferunt* (aiebat de eisdem Hilarius in epistola) *ita diuidi gratiam*. Sed Arnobius noster, præter gratiam excitantem, *cui non semel homo se suspendit*, vt ipse Arnobius in Conflictu cum Serapione loquebatur, agnouit vltro & auxilium gratiæ indeclinabile, inuincibile, & insuperabile, tum in psalmum 90 manifeste dicens: *Auxilium non vincitur Dei, sed nostra libertas arbitrij superatur*: tum in psalmum 117 hæc verba repetens: *Habes quidem liberum arbitrium, sed noli de eo præsumere: de Deo præsume, quia vinci non potest, nam liberum arbitrium vinci potest*. Ergo Arnobius sincere in omnibus cum Augustino consensit, & à Massiliensibus se distinxit, aut separauit.

Quarto Massilienses, & Semipelagiani inculcabant semper illa verba (vti & inculcat hic Auctor Prædestinati) *petite, & accipietis*, *parate viam Domini, parate cor vestrum*, & huiusmodi, vt inde inferrent nostri arbitrii esse se præparare gratiæ Dei, & pulsare, & petere, vt per orationem & petitionem veluti cor præparetur ad recipiendam petitam à Deo gratiam, vti eorundem testimonia retulimus lib. 5. q. 3, ar. 3. §. 4; contra quos Augustinus è contra repetebat frequentissime illud Salamonis: *præparatur voluntas à Domino &c.* Sed Arnobius Iunior in psalmum 107, & hanc ipsam cordis præparationem à Deo præparante, & ab eius auxilio gratiæ esse dicebat, & non solum à libero arbitrio sine gratia, dum ad ea verba psalmi: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* Ita subiungit: [Paratum Deo allaudat in psalmo & in verbo conge" minat. Quid est enim dicere: paratum cor meum: nisi hoc, vt di" cat ei: veni Domine para tu cor meum, & in rem tibi præparatam" ingredere, vt cantem & psallam in gloria mea. Quam autem suam" gloriam memoret adiunxit: (ne forte suspiceris eum in se quo ad" hoc non in Domino gloriari) Exurge ait. Gloria mea in psalterio" & in cithara, vt in ipsam gloriam exurgam diluculo, mox vt mihi" auxilium tuum fulgescens, tenebras à me meorum excluserit pec" catorum &c.] Ergo & in hoc sanæ doctrinæ principio Arnobius"

cum Augustino; non cum Semipelagianis, consensit; nec consequenter Semipelagianus fuit.

Quinto. Nam iuxta Augustinum aduersus Semipelagianos & Massilienses adeo quæcumque futura infallibiliter sunt infallibiliter futura dumtaxat ex proposito seu decreto Dei, vt & ipse noster dissensus à gratia excitante, licet præuideretur vt primo incepturus à libera nostra voluntate tanquam à prima causa defectiua, tamen non esset infallibiliter futurus, nisi post diuinum decretum prius permissivum malitiæ, & deformitatis eiusdem, & secundario solum (ex dicta præsuppositione priori saltem in istanti à quo) influxiuum deinde in entitatem actus eiusdem in quantum actus est (quemadmodum ad hoc expressas Augustini auctoritates attulimus lib. 6. q. 2. ar. 2. num. 35. per totum) vbi Massilienses omnia futura, siue absoluta, siue conditionata dicebant infallibiliter à Deo præcognosci vt futura, quia illa prius in se obiectiue infallibiliter futura erant; non vero ideo esse infallibiliter futura, quia sic præscirentur à Deo, vt iam alibi de hoc Massiliensium principio tractauimus, & communiter tractari solet in materia de præscientia. Sed Arnobius totum illud, quod Augustinus de hoc ipso allatum mox ante asserebat, & ipse Arnobius asseruit in psalmum 138. Sic Petrum Apostolum dissensurum gratiæ excitanti, ac negaturum inducens loquentem ad "Deum his verbis. [Tu cognouisti omnes cogitationes meas à lon- "ge, & omnes vias meas præuidisti; & probasti, quia non erat do- "lus in lingua mea, cum dicerem: etiam si me oporteret mori tecum, "non te negabo. Tu autem formasti me, & posuisti super me ma- "num tuam, firmasti me de tua præscientia, quod essem negaturus: "& posuisti manum tuam super me, vt peccatum postea lacrimæ se- "querentur. Mirabilis facta est præscientia tua ex me, confortata "est, non potero ad eam: conatus sum non negare, promisi me etiam "eligere magis mori, quam negantis crimen incurrere; sed præscien- "tia tua ita confortata est, vt non potuissem ad eam,] idest post tuum decretum permissivum malitiæ peccati, ac inde influxurum in materiale peccati, vt actus est &c. Ergo Arnobius in hoc ipso velut à radice revulsit præscientiam mediam Massiliensium velut præexistentem in Deo, ante diuina decreta, & cum Augustino approbauit præscientiam solum *innixam proposito* seu decreto diuino, vt veri ac sinceri Augustini discipuli docuerunt, & ibidem late discussimus, ac tutati sumus.

Sex-

Sexto, nam qui dicit liberum arbitrium sub gratia se habere vt equum sub sessore, tantum abest vt existimetur Semipelagianis diminuentibus gratiam adhærere, quod imo timeri posset, ne hæresi prædestinianæ neganti indifferentiam libertatis sub gratia manus porrigere videretur (nisi aliunde sciamus eundem expresse alibi Prædestinianam hæresim refutasse) quemadmodum & Lutherus & eiusdem sectarij veterem Prædestinianam hæresim exsuscitantes eademomnino similitudine vsi sunt de equo sub sessore, vt notum est. Sed Arnobius Iunior apposite inquit & explicat liberum arbitrium nostrum sub gratia se habere vt equum sub sessore, vt mox eiusdem verba recenseo. Ergo tantum abest vt de Arnobio vereamur, ne Semipelagianis adhæserit extenuantibus gratiam, quod imo magis timeri posset, ne Prædestinianis negantibus libertatem arbitrij manus dare videretur, nisi aliunde certo sciremus eundem (vt exploratum est) ex proposito alibi Prædestinianam hæresim præclusisse. En tibi modo Arnobij verba in psalmum 146, ad illum versiculum psalmi (*qui non in viribus equi voluntatem habebit &c.* Sic addentis & aientis. [Non enim virtute terrena vinci" potest, qui contra nos non terrena virtute pugnat: Vires ergo equi" sunt vires terrenæ, quas Deus non in sua voluit excellentia gloria" ri, sed de sua pietate sperare permisit. Siue ergo in cursu equi con" fidentem, siue in suis tibiis præsumentem, contemnit Dominus." Quod nos latius dicimus: qui confidit in libertate arbitrii, quod" per hanc fugiat, hic persequentem incurrit, qui confidit in virtute" cursus sui spiritualis, quod posit stans in tibiis suis immobilis per-" manere, non permanet. Nec ista dicens excludo, ne coneris stare;" sed moneo, ne te putes per liberum solum arbitrium stare vel fuge-" re. Currat equus: sit paratus ad bellum. Sic enim scriptum est." Prouerb. 21. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salu-" tem tribuit. Tamen, dum curris, dicito: Deus virtutum tribuit" equo meo, vt curreret. Deus dedit tibiis meis perseuerantiam, vt" starem. Nunc ergo putes, quod se libertas arbitrii tua ita habeat," quasi nauis, per quam vis euadere Barbaros de litore, per quam" vis euadere fluctibus pelagi, per quamvis ad patriam, quam desi-" deras, peruenire. Sed si Dominus imperauerit ventis prosperis," & aduersis flatibus silentium dederit, si latentes vadus demonstra-" uerit, & somnum tulerit gubernantibus nautis, & absque læsione" portum ingredi fecerit, ages post hæc gratias Deo, non naui. Nec"

"ista dicentes excludimus nauem & nautas, sed magis & nauem
"ornamus & nautas, quibus Deum præsulem confitemur. Si enim
"nauis non fuisset, vtique res, quam Dominus gubernaret, non es-
"set. Si nautæ non essent, illi, quos Dominus excitaret, non essent.
"Si vela non essent, non essent, quibus daret prospera flabra vento-
"rum. Ita ergo si arbitrium in te non esset &c.] Et prosequitur alia, quæ à nobis alibi recitata sunt. Confer modo, quæ hic Arnobius dicit de similitudine liberi arbitrii sub gratia, & equi vel iumenti sub sessore, cum similibus dictis in libro 3. Hypognosticon post medium, & videbis an Scholæ Augustinianæ Arnobius hic fuerit.

Septimo. Nam *propter eos* (vt loquitur Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio Cap. 1.) *propter eos, qui sic prædicant, & deffendunt liberum hominis arbitrium, vt Dei gratiam negare audeant, & conentur auferre*, scilicet propter Semipelagianos, & propter alios quosdam Prædestinianos, *qui sic deffendunt gratiam Dei, vt negent hominis liberum arbitrium &c*, ideo in medio sistentes inter hos duos extremos errores, vt pergit eodem libro Cap. 4, *Sicut superioribus testimonijs Sanctarum Scripturarum probauimus ad bene viuendum, & recte agendum, esse in homine liberum voluntatis arbitrium, sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quæ sint diuina testimonia, videndum est*, vt ibi explicare prosequitur, & post refutatum Prædestinianum errorem, refellere pergit simul & Semipelagianum, quorum error vterque (vt ex hoc loco huius libri ad Adrumetinos conscripti etiam supra deduximus) in Adrumetino Cœnobio exortus erat; Consequenter Arnobius non poterat melius probare se ipsum vt sincerum Augustini discipulum, nisi hanc ipsam præfixam ab Augustino methodum prosequendo, sustinendo scilicet aduersus Prædestinianos libertatem arbitrij, & simul aduersus Semipelagianos gratiæ necessitatem. Sed hanc ipsam apposite methodum idem Arnobius vbique prosecutus est. Ergo re ipsa sincerum se Augustini discipulum comprobauit; nec consequenter inter eiusdem hostes aut æmulos, quales erant Massilienses, vel per suspicionem reponendus est. Pro subsumpta propositione nunc repete, quæ supra §. 10. versus finem exscripsimus ex eodem verba in Psalmum 117, ne in his repetendis iterum immoremur, & videbis ibidem Arnobium refutantem, tum Semipelagianum, tum Prædestinianum errorem in veritatis medio vtique perstitisse. Lege & in Psalmum 90: *Multi*, inquit, *putant libertatem arbitrij sibi posse*

sufficere, vt se per ipsam libertatem ab hostibus inuisibilibus eruere posse confidant. Libertatem autem arbitrij & negare periculum est, & nudare peccatum est (vt scilicet negant Prædestiniani libertatem, nudant autem gratia Semipelagiani). *Si enim negaueris, omnibus frana laxasti: Si nudaueris, decepisti. Iam negas si dixeris: Deus si vult bonus sum, si non vult bonus non sum* ((vt dicebat Monachus ille Prædestinianus apud Augustinum libro de dono perseuerantiæ Cap. 15. descriptus) *cum constet Deum velle omnes homines saluos fieri, & vnusquisque suo sit iniquus arbitrio. Nudas autem, cum tantum ipsi arbitrio dederis, vt eum viribus diuini adiutorij denudaueris. Nam qui habitat in adiutorio Altissimi, & dicit Domino susceptor meus es tu &c, si ita dixeris, tum demum in scapulis suis obumbrabit te, & sub pennis eius sperabis &c.* Hæc Arnobius fortasse alludens consimili phrasi non semel adhibitæ ab Augustino in vtroque opere contra Iulianum, simul & à Prospero in carmine de ingratis præsertim Cap. 29. canentis.

Non igitur quisquis terreni veste parentis
Exueris, priscum natura perdis honorem,
Sed recipis, sic adquirens quibus ante carebas.

Scilicet gratiæ stolam denuo recipis, quam in Adam perdideras, non autem amittis libertatem, quam habebas in Adam, sed in eodem vulneratam, quæque nunc sanatur, & ornatur per gratiam. Bene ergo tum contra Prædestinianos, tum contra Semipelagianos aiebat Arnobius nos non debere vel *negare libertatem* cum primis, vel gratia *denudare eandem* cum secundis. Lege rursus (vt alia dimittam) eundem Arnobium in Conflictu cum Serapione, vbi Serapion audita ex Arnobio contra Semipelagianos necessitate gratiæ, adhoc vt peccata vitemus, *dixit Serapion. Ergo non est liberum arbitrium. Arnobius respondit* (simul Prædestinianum & Semipelagianum errorem explodens) *liberum arbitrium & defendo & teneo, sed intra metas suas clausum, & finibus suis limitibusque distinctum*: quæ verba nunc rogo vt conferas cum Augustini verbis eximentis se ipsum ab errore Prædestiniano sibi imputato à Iuliano; & refutantis simul errorem Semipelagianum, in libro 3. contra Iulianum eundem operis posterioris Cap. 105. dicendo. *Vos inimici & defensores, liberum arbitrium defendendo perimitis, quia ad suos reuocari limites, omnipotentis & veri defensores bonitatis non vultis.*

Octauo. Nam ficuti quædam alia apparenter contraria præducta à nobis Arnobij loca fubobfcura cenfentur velut primo intuitu indicare, fic libertatem arbitrij defenfatam, vt gratiæ victricis vis ác energia negetur;ita & proportionaliter non defunt aliqua in facra pagina teftimonia, quæ fubobfcura videntur ac primo intuitu potius pro libertate, quam pro gratia victrice procedere. Sed non obftante hoc fecundo (fi cum proportione, non cum æqualitate, argumentari fic liceat) quia alia adfunt in facris paginis teftimonia afferentia victricis gratiæ neceffitatem aduerfus Semipelagianos, ideo illa priora loca obfcuriora ex his alijs clarioribus fic recte intelliguntur & explicantur, vt ex primis dumtaxat deprehendamus excludi hærefim Prædeftinianam, ex fecundis vero Semipelagianam, vt mox obferuatum ab Auguftino, eiufque difcipulis recenfebo. Ergo proportionaliter hic de Arnobio, non obftante primo, cum adfint tot alia loca eiufdem Arnobij Semipelagianis contraria, ex his fecundis & illa prima in recto fenfu intelligenda funt, & explicanda, vt cenfeatur in primis Arnobius folum excludere errorem Prædeftinianum, Semipelagianum verò in fecundis, quod eft vtique in medio veritatis atque in fincera Auguftini doctrina manfiffe. En modo de fcripturis id ab Auguftino obferuatum in libro de gratia & libero arbitrio, vbi poftquam in Cap. 2. & 3. adduxerat plurima ex Sacra pagina teftimonia pro aftruenda libertate arbitrij contra Prædeftinianum errorem, ne illa à Semipelagianis in extraneum fenfum abnegandi gratiam detorquerentur, ideo exorditur Cap. 4. his verbis. *Sed metuendum eft, ne ifta omnia diuina teftimonia, & quæcumque alia, quæ fine dubitatione funt plurima, in defenfione liberi arbitrij fic intelligantur, vt ad vitam piam &c. adiutorio & gratiæ locus non relinquatur.* Sic poft Auguftinum & Profper in epiftola ad Rufinum, de Semipelagianis aftruentibus fuos etiam ex facra pagina errores, fic inquit. *Afferunt quidem hæc quibufdam Sanctarum Scripturarum teftimonijs fed non rationabiliter adfumptis. Ad defenfionem enim alicuius deffinitionis ea promenda funt, quæ alteri intellectui, à quo videtur deffinitio diffonare, non cedant, & eam regulam, cui funt aptata, non deferant.* Sic poft Profperum & Fulgentius in libro 1. ad Monimum per plura capita, & libro 2. de veritate Prædeftinationis à Capite 4. & poft Fulgentium & Anfelmus in lib. concordiæ Cap. 3. & cæteri paffim Auguftini difcipuli obferuarunt, & in re fimili etiā

de

& Sanctorum Patrum dictis pluribus productis exemplis ostendebat Facundus Hermianacensis lib. 9. cap. 5. & libro 10. cap. 5. & 6. diffusius.

Nono demum, quia sicuti modo ex præadductis Arnobij dictis non ita clare exprimentibus cum libertate & gratiam victricem, ab aliquibus attribuitur Arnobio cum Semipelagianis consensus, ita etiam ex quibusdam eiusdem Augustini scriptis mox ante editis non ita explicite denotantibus eandem victricem gratiam eidem pariter Augustino Massilienses attribuebant suum proprium Massiliensem errorem, & sensum, vt testatur Hilarius in epistola ad Augustinum dicens: *Hoc non solum aliorum Catholicorum testimonijs, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur &c. vt est illud quod dixit tua Sanctitas in quæstionibus contra Porphirium &c.* Sed non obstante hoc secundo, cum alibi Augustinus expresserit victricem gratiam, ideo pro se ipso idem Augustinus ad hanc obiectionem facillime respondebat, tum libro de dono perseuerantiæ Cap, 9. 11, & 21, tum libro de Prædestinatione Sanctorum Cap 9. se ea prima dicta scripsisse dicẽs, *sine praiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum, & quæ conuincendæ tunc aduersariorum infidelitati sufficere viderentur*, alibi vero aduersus Semipelagianos conuincendos *operosiorem & diligentiorem disputationem* habuisse &c. Ergo & non obstante primo hic noster Arnobius respondere valeret, se in primis illis dictis, dum Prædestinianum errorem impeteret, ea dixisse, quæ ibi eidem conuincendo sufficerent, *sine praiudicio aliarum causarum &c.* alibi vero postea, vbi contra Semipelagianos agebat, expressisse simul magis explicitè, tum firmitatem diuinæ prædestinationis, ex omnipotentia & arbitratu Dei, tum vim gratiæ victricis ex inuincibilitate eiusdem, vti & de his eisdem phrasibus Arnobii iam loca signauimus, ac verba transcripsimus. Cur ergo non sic poterit, ac benigne debebit exponi Arnobius in prioribus illis dictis, ita vt per hæc posteriora, & clariora, & ea intellecta subsistant? Cur hic non valebit, pro excusandis aliquibus, qui de Arnobio in re proposita suspicati sunt, opportunissima illa pro se ipso & pro aliis admonitio Augustini lib. 1. de gratia Christi Cap. 47. & pro nostro omnino instituto dicentis? *ista quæstio, vbi de arbitrio voluntatis & de gratia Dei disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium* (aduersus Prædestinianos, hinc cum Semipelagianis)

nega-

negari Dei gratia videatur; quando autem aßeritur Dei gratia (aduersus Semipelagianos, hinc cum Prædestinianis) *liberum arbitrium putetur auferri &c.* & ratione primi fortasse aliqui Arnobium, dum Prædestinianos improbaret, velut Semipelagianum habuere suspectum.

Ad primam igitur obiectionem desumptam ex editione, (prout legitur etiam nunc in tomo 8. Bibliothecæ Patrum) ex qua fucum fortasse in hoc aliqui, nobis aduersi, vel fecerunt alijs vel ipsi passi sunt, constantissime dico, eam editionem mendosam ac corruptam esse. Nec me id ad arbitrium dicere putes: nam si in ea editione sistamus, quis, quæso, erui aut construi potest ibidem extantium verborum sensus? cum quo verbo iunguntur illi duo accusandi casus *siue gratiam esse peccatorum, siue gratiam esse legis præceptum?* Vbi nam gratia remissionis peccatorum legitur appellata *gratia peccatorum*, ut in hac editione vocatur? quomodo integra ea periodus prima, quæ iuxta hanc editionem Augustino tribuitur, & penitus Pelagiana est, potest cum subsequenti contextu aduersus Pelagianos congruere, aut conuenire? Dicam igitur ipse, quomodo res ista se habeat, & quomodo manifestissime deprauata hæc editio, ex loco ipso Augustini, ex quo Arnobius transcribebat hæc verba, emendanda sit. Arnobius igitur iuxta id, quod Serapioni promiserat, se allaturum *ita docentem Augustinum, & mira eius verba prolaturum*, antequam eiusdem verba recenseat, sic de eodem Augustino proludit. *Ait enim inquirens in diuinis scripturis, quid sit gratia, & vtrum liberum arbitrium esset gratia,* nempe Augustinus id apposite inquirens in epistola 95 ad Innocentium, in qua & de hoc vtique inquirit, & ex qua (vt mox apparebit, nec Collectores Bibliothecæ obseruarunt) subsequentia deinde omnia Augustini verba per bene quadraginta versus Arnobius exscribit. In ipsa vtique epistola 95 Augustinus, vt recte Arnobius proludendo indicabat, de hac etiam quæstione inquirebat, dum in eadem epistola inquit. *Et si quadam non improbanda ratione dicatur gratia Dei, qua creati sumus &c. vt homines essemus, viueremus, sentiremus, intelligeremus, & de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debeamus &c; alia est tamen gratia, qua prædestinati vocamur &c. Illam vero gratiam, qua creati homines sumus, etiam si ita appellandam non immeritò intelligamus, mirum est tamen, si ita appellatam in vllis legitimis propheticis, Euangelicis, Apostolicisque*

lit

litteris legimus. Ex hac itaque epistola 95 Augustini volens Arnobius proferre subsequentia, quæ promiserat ipsi Serapioni, eiusdem Augustini verba, recte exordiebatur per præambularem illam recitatam periodum. *Ait enim inquirens in diuinis scripturis, quid sit gratia, & vtrum liberum arbitrium esset gratia*, & hæc veluti ab Arnobio præmissa verba per interiectionem duorum punctorum separanda sunt à subsequentibus proprijs Augustini verbis, non autem confundenda sunt cum eisdem, vt in editione Bibliothecæ præstitum est, in qua ly *ait enim*: per duo puncta à subsequentibus separantur, & postea velut subsequentia omnia Augustini essent, sic altera distincta periodus inchoatur. *Inquirens in diuinis scripturis &c.* & Pelagiana periodus efformatur, reluctante ac renitente dilucide eadem Augustini epistola, ex qua integra verba, quæ verus Arnobius exscribebat, incipientia à ly *Siue gratiam &c.* hæc leguntur, & sunt. *Siue gratiam dixerit* (scilicet Pelagius) *Siue gratiam dixerit esse liberum arbitrium, Siue gratiam esse remissionem peccatorum, Siue gratiam esse legis præceptum, nihil eorum dixit, quod per subministrationem Spiritus Sancti pertineat ad concupiscentias, tentationesque vincendas, quam ditissime effudit in nos, qui ascendit in cœlum, & captiuans captiuitatem dedit dona hominibus. Hinc & oramus, vt peccatorum tentationes superare possimus &c. Qui autem orat, & dicit, Ne nos inducas in tentationem, non vtique id orat, vt homo sit, quod natura est; neque id orat, vt habeat liberum arbitrium, quod iam accepit cum crearetur ipsa natura, neque orat peccatorum remissionem, quia hoc superius dicitur. Dimitte nobis debita nostra*, & post aliqua alia exscripta ad institutum Arnobii, sic pergit idem Augustinus ab eodem Arnobio ibidem exscriptus. *Vnde satis apparet, quia ad non peccandum, idest ad non male faciendum, quamuis esse non dubitetur liberum voluntatis arbitrium, tamen eius potestas non sufficit, nisi adiuvetur infirmitas. Ipsa igitur oratio est clarissima gratiæ testificatio*. Hæc omnia transfert ex Augustino, & exscribit Arnobius, & plura alia in eo integro fragmento legenda, & mutuata de verbo ad verbum ex prædicta eadem epistola 95 Augustini. Hinc igitur vides, an cum Arnobius in his etiam postremis verbis constanter agnoscat gratiam necessariam ad tentationes vincendas, sic postea loqui potuerit, incontrarium omnino, in illis aliis impositis eidem verbis per fœdam adeo eiusdem operis editionem: & hinc iam patet luce clarior ad primam obiectionem responsio.

Ad

Ad secundam, nemo est, qui non sciat, & Tridentinum Concilium sess. 6. Cap. 5. Sic explicare seruatam sub gratia libertatem nostram, *ita vt*, inquit, *Deo tangente cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui & ipsam abÿcere potest*, vti & Canone 4. ait. *posse dissentire si velit*; & tamen simul in hoc est concors omnium vtriusque Scholæ Theologorum consensus, Tridentinum, tum eodem Canone 4, tum alibi sæpe, contra Semipelagianos, agnouisse *gratiam operantem* & facientem vt assentiamus & operemur, non vero absolute in suspensione manentem, vel *cui se suspendat humana voluntas* (quocumque modo postea Catholicè hæc efficacia explicetur) consequenter certum est illa verba, *quippe qui & ipsam inspirationem seu illuminationem recipiens abÿcere potest*, intelligi vtique de gratia excitante, vti intelligit similia scribens & Augustinus libro de Spiritu & littera Cap. 33. non vero simul de operante, quæ licet seruet potentiam proximam & expeditam ad faciendum oppositum, tamen in nullorum Catholicorum sententia simul stat vnquam de facto cum dissensu componi; quemadmodum & Sanctus Prosper agnoscens vtique contra Pelagianos hanc gratiæ operantis efficaciam cum Augustino, hoc non obstante & ipse de gratia excitante intellexit, dum contra Collatorem Cap. 3. hanc *Catholicissimam* phrasim laudauit; *posse hominem se auertere ab Auxilio Dei*. De quo pariter auxilio sufficiente, non efficaci, Dei loquens idem Prosper in responsione ad obiectiones Vincentianas ad 16. nuncupabat *generalem vocationem*. Cur ergo in hoc pariter sensu Catholico & ea priora similia Arnobij verba (*vt si non vis ita credere, non ita credas, & auxilio diuino te suspendas*) non poterant vel debebant exponi, potius quam in hæreticum sensum Massiliensium vel Semipelagianorum deflecti aut detorqueri? præsertim, cum præter alia contra Semipelagianos præadducta ex eodem Arnobio, hunc etiam Catholicum sensum ostendant subiuncta immediate ibidem ab Arnobio verba, *si vis vero credere, ita ab his, quæ tibi imminent, faciente* (id quæso diligenter aduertas) *faciente Dei auxilio & misericordia libereris*. Cur cum Prosper Sanctus præter iam ante adducta similibus iterum vteretur verbis pro gratia excitante in libro secundo de vocatione gentium Cap. 29. *Quod multi amantes tenebras suas splendorem non recipiunt veritatis, & multi, qui illuminati fuerant, tenebrescunt*; ex hoc tamen non attribui-

tribuimus Prospero negatum cum Massiliensibus illud, quod continuo de gratia victrice idem Prosper ibidem affirmat, quod *quos Pater filio dedit, filius non amittit, neque quisquam potest de manu eius eripere, quod accepit?* Cur similiter ex subiunctis ab Arnobio subsequentibus verbis, cæterisque tot alibi repetitis dilucide aduersus Semipelagianos, priora illa subobscura verba de gratia excitante non intelligimus, non explicamus?

Ad tertiam, quæ difficilior esse videbatur, ad id tamen tota illa difficultas restringitur, quod Arnobius indicarit actum credendi vel fidem non esse donum Dei per gratiam, eo quod credere attribuerit libero voluntatis arbitrio, & sic in Massiliensium errorem quo ad fidem inciderit. Verum, cum præter alia iam præadducta, sciamus eundem Arnobium in Conflictu cum Serapione ex Epist. 95 Augustini, & ea verba exscripsisse, & velut *Sacratissima Apostolorum scripta* tenacissime commẽdasse; vbi ait, *iubetur vt habeamus intellectum, vbi dicitur, nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; & tamen oramus vt habeamus intellectum, dum dicitur, da mihi intellectum &c.* & hinc infert & recte, intelligere, quod per orationem petitur, haberi per gratiam, quia *oratio est clarissima gratiæ testificatio*: quomodo postea, si Arnobius concessit & docuit, ipsum actum intelligendi, qui sane quid minus est quam actus credendi, donari per gratiam, dubitari potest an à fortiori concesserit actum credendi, qui est longe quid maius, sine gratia non esse? Cum in eodem Conflictu cum Serapione vniuersim dixisset: *& si habere te aliquid forte existimare valeas & docere, clamat ad te Apostolus: Quid enim habes, quod non accepisti? aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* tam magnum postea fidei bonum existimasse Arnobium non esse donum à Deo acceptum per gratiam, vel timebimus vel dicemus? Cum ab hac Apostolica regula, *quid habes quod non accepisti*, nihil Arnobius omnino vel minimum excepisse se dicat, eum ex ijs esse dicemus, qui apud Hilarium in epistola ad Augustinum, præter alia, asserebant, *nec de fide posse dici, quid habes quod non accepisti?* Et qui e conuerso nil excipiendo, sed vniuersim de omnibus, quæ habemus, concessit, alienus à Semipelagianorum errore non erit, à quo se reuocatum per hanc eandem Auctoritatem Apostoli Augustinus ipse fatetur in libro de prędestinatione Sanctorum Cap. 4, & Prosper in carmine de ingratis hanc regulam valde contra Semipelagianos commendans aiebat.

Et tua simul sunt, si collatis vtare modeste,
Et quod habes hoc te acceptum fatearis habere.

An hoc dictum Arnobij de singulari prærogatiua fidei in ordine ad alia subsequentia diuina dona, ante quę vtique fides prærequiritur, vt baptizentur adulti, non poterit in eo Catholico sensu intelligi ac explicari, quod, vt loquitur Tridentinum sessione 6. Cap. 8. *Per fidem ideo iustificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua est impossibile placere Deo, & ad consortium filiorum eius peruenire?* An quod postea etiam fidem in humanæ simul voluntatis arbitrium refundebat, id explicari non poterit iuxta pulcherrimam illam ac generalem Augustini regulam, iuxta quam & sibi oppositam à Pelagianis ex suis consimilibus verbis obiectionem soluebat, suaque verba explicabat in eo sensu Catholico, vt dum fidei actus in nostra arbitrij libertate reponitur, gratia tamen simul correquisita neutiquam excludatur? Sic vtique libro 1. retractationum Cap. 9, post plures consimiles omnino tunc sibi ex suis libris à Pelagio obiectas authoritates, *quibus*, inquit, *in quodam suo libro Pelagius vsus est. Huic libro cum respondissem titulum libri mei esse volui de natura & gratia. In his atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, ac qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est, qua & peccatur & recte viuitur, quod his verbis egimus* (ne Prædestiniani inducerentur errores) *Voluntas vero ipsa nisi Dei gratia liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuvetur, recte pieque viui à mortalibus non potest. Et hoc diuinum beneficium, quo liberatur, nisi eam voluntatem prauenirct, iam meritis eius daretur, & non esset gratia, qua vtique gratis datur. Quod in alijs opusculis nostris satis egimus istos inimicos huius gratiæ nouos hæreticos refellentes.* Sic eodem lib. 1. retractationum Cap. 23. & libro de Prædestinatione Sanctorum Cap. 3. recensens à se scriptam hanc omnino cum Arnobio propositionem: *quod credimus nostrum est, quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum: nostrum enim est credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris*, in Catholico iterum sensu contra Semipelagianos adhuc tuetur, exponit, & subdit: *&*

hoc

hoc quidem verum est, sed eadem regula, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis &c. Quod ideo ibi non esse expressum, aut explicatum, aiebat: *quia adhuc quærendum erat, vtrum & meritum fidei misericordiam Dei præueniret, idest vtrum ista misericordia ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis est, an etiam facta fuerit vt fidelis esset. Legimus enim dicente Apostolo. Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem: non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem Misericordia, sed etiam data est vt esset fidelis; quamuis minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractauerim*: idest non ita explicite, quia (& sic Arnobius responderet) ibi potissimum contra Manichæos vel Prædestinianos tractabatur, non contra Semipelagianos, contra quos postea alibi pertractatum est; vti omnino respondet fere verbatim idem Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum Cap. 9; se similia in quæstionibus contra Porphirium dixisse, vt pro tunc Paganis responderet, non vero vt Semipelagianos refelleret; & libro de dono perseuerantiæ Cap. 11. se ait similia scripsisse in tribus libris de libero arbitrio, vt Manichæos refutaret, non vt Pelagianos, vel Semipelagianos, tunc impugnaret, vt postea alibi præstitit. Hinc igitur soluta manet & tertia obiectio, quę alioquin difficillima videbatur: præter quæ addi potest, eam marginalem notam in editione Bibliothecæ minus aptè, ne dicam ineptè, adponi ad ea Arnobij verba (*ipsa armat tropbæo crucis frontem &c.*) velut his verbis *libertatem arbitrij* intellexisset Arnobius; cum imo immediate in præcedenti periodo nominasset *auxiliorum dexteram*, & consequenter & *fidem*, & de hac diuinorum auxiliorum *dextera* vel *fide* ipsa prosequendo intelligit, cum subiungit Arnobius. *Ipsa armat tropbæo crucis frontem, ipsa loricam Misteriorum assumit &c.* alludens his verbis illi allegoriæ Apostoli de eadem fide dicentis ad Ephesios 6. *Induite vos armaturam Dei &c. accipite armaturam Dei &c. state succincti lumbos vestros &c. & induti loricam iustitiæ &c, in omnibus sumentes scutum fidei &c. & galeam salutis assumite & gladium spiritus.* Cur ergo, cum plane possent, ac deberent, hæc Arnobij verba intelligi de dono fidei per gratiam, sic adeo præpostere de sola ista libertate arbitrij, contra Arnobii intentum, atque contextum, non explicantur quidem in nota marginali, sed confunduntur, ac detorquentur in sensum alienum de hæresi Semipe-

lagiana desumptum, vt forsan neothericorum quorundam firmaretur suspicio de Arnobio velut huius operis Prædestinati Auctore (quod adhuc ex supra perpensis non obtinerent) fundareturque ex Arnobio, aut confirmaretur, hæresis Massiliensium? Si hoc intentum fuisset notam apponentium in margine, hoc sane esset, vt aiebat Gregorius Magnus epistola 16, *hæreses non purgare sed facere*: nisi mallemus dicere, aut suspicari, has similes notas, vel potius adulterationes doctrinæ Patrum, antiquitus prodiisse ab ipsis Pelagianis, vel Semipelagianis post illos, quos etiam corrupisse alicubi libros Gregorij Nisseni, Ambrosij, Hieronymi, imo & Augustini, Bellarminus frequentissime admonebat in libro de Scriptoribus, adeout & Pelagianam sententiam Sixto Pontifici licet Pelagianorum damnatori adscripserint, vt notat Baronius tomo 5. ad annum 440, nec minus Gelasio Pontifici imputauisse similia prænotauit Cassiodorus lib. de diuinis lectionibus Cap. 8. ac demum de eorundem Pelagianorum imposturis lamentabatur Gregorius Magnus lib. 5. regist. epistola 14. & libro 6. epistola 31. & libro 7. epistola 48.

Ad quartam tandem (quæ ex adulterata editione textus Arnobii totum corrumpente sensum, per vnum mutatum verbulum, vt mox patebit, minus difficilis solutionis est) pro responsione capienda vna sola distinctio præmittenda est, scilicet multiplicem esse electionem vnius personæ præ alia: altera electio est sine vlla vel apparenti iniustitia, vt quando vna persona ad aliquod bonum præ alia eligitur, quod tamen bonum neutri vllo modo debebatur, imo vtraque ex peccati demerito idem bonum demerebatur, quemadmodum in electiua diuina prædestinatione hominum ad gloriam contingit, quam omnes homines *vt filij iræ* ex Adæ peccato demerebantur, eorumque nulli eadem gloria debebatur. Altera est vel cogitari potest electio cum aliqua iniustitia, vt si Deus de facto eligeret ad gloriam peccatorem, cui ex peccati demerito non debebatur, & postea non eligeret ad eandem gloriam alium innocentem aut iustum, cui aliquo modo eadem gloria debita reputaretur, & hæc vtique secunda electio dici posset *acceptio personarum*, quam negat dari in Deo & Augustinus expresse lib. de correptione & gratia Cap. 13. cum Apostolo, & lib. de dono perseuerantiæ Cap. 8. & 12. de prædestinatione infantium, qui baptizantur quandoque & si orti ex infidelibus sint, & de reprobatione aliorum infantium nascen-

centium etiam ex parentibus fidelibus, dicens: *Hic certe ostenditur quod personarum apud Deum acceptio non sit, alioquin cultorum suorum potius quam inimicorum filios liberaret.* An vero saltem de potentia extraordinaria & absoluta sic potuisset Deus ab æterno decernere, & in tempore exequi (præscindendo à suæ fidelitatis decreto, seu promissione de reddendo præmio vel supplicio vnicuique iuxta opera sua) an, inquam, super hunc ordinem potuisset vel morienti in peccato lethali post mortem condonare peccatum, & infundere gratiam, eumque introducere in gloriam, aut morientem in gratia post mortem adhuc ex suo supremo dominio non admittere ad gloriam, sed eundem excludere, & sic dari possit in Deo altera tertia electio vnius personæ præ alia cum aliquali saltem apparente iniustitia, licet non adhuc cum reali iniustitia &c; de hoc altero puncto alia longe distincta quæstio est de possibili, in qua acriter negat Iansenius libro 3. de statu naturæ puræ Cap. 5. & Cap. 21. quidam autem alii inter antiquos scholasticos affirmauerunt id fieri posse de potentia absoluta ex supremo dominio Dei, ex quo inter Deum & creaturam rationalem nullum proprie dari potest debitum ex iustitia, sed solum ex fidelitate, vt in re proposita discurrunt & tenent Gregorius Ariminensis in primo dist. 40. q. vnica ar. 2. versus finem, Cameracensis in 1. q. 12. ar. 2. littera 1, Medina Codice de oratione q. 6, & è Societate approbarunt Serarius in Caput 7. Iosue q. 39, & Lorinus in Cap. 12. Sapientiæ ad versum 12, quibus suffragari videntur loquendo de possibili Chrysostomus lib. 2. de compunctione cordis sub finem, D. Macarius Homil. 15. & Augustinus in principio Concionis in psalmo 70. & creditus Fulgentius libro de prædestinatione & gratia Dei Cap. 26. Sed, vt dixi, hæc quæstio de absoluta & extraordinaria potentia procedens ad nostrum hoc institutum non attinet, vbi de electione prædestinatiua Dei, quæ de facto in Deo fuit ab æterno, & iuxta legem ordinariam executioni mandatur in tempore, nunc sermo est, quidquid sit de ea altera quæstione spectante absolutam & extraordinariam potentiam Dei, quam vtique distinctam ac difficiliorem quæstionem satius existimo silentio premendam, quam vulgari disputationi promendam, quemadmodum apposite monebat Arnobius in obiectione illa recitatus, pro qua soluenda nunc laboramus, scilicet in commentario ad psalmum 91 ipse dicebat. *In hac re nimis profunda facta sunt cogitationes Dei, quas vir insipiens non cognoscit,*

&

& stultus non intelligit eas. Nobis autem bonum est, si confiteamur peccata nostra quotidie, & psallamus nomini eius altissimo, si annunciemus mane, à tenebris peccatorum exuti, misericordiam eius, & dum venerit nobis nox quæstionum, ne quidquam adlibitum, quæ nescimus, vsurpando loquamur. De Deo enim loqui etiam vera, quia periculosum est, timeamus. Ea ergo, quæ lucida sunt in scripturis Sanctis; præiudicium ab obscuris locis (vti post Augustinum de prædestinatione Sanctorum & de verbis Apostoli, & Prosper etiam dicebat in epistola ad Ruffinum) *præiudicium ab obscuris locis pati non debent; vtpote proferamus aliquid breuiter, ex quo vniuersa noscantur*, scilicet velut pro exemplo subiicit statim, & prosequitur dicere, quod ex scripturis euangelicis & Apostolicis certum est & lucidum, *in Deo non dari acceptionem personarum*, vt dixerat etiam locis mox ante relatis Augustinus, & tamen inquit contra hæc certa & lucida loca scripturæ suboriri quæstionem ex alio loco subobscuro scripturæ scilicet ex illo Malachiæ 1. & Romanorum 9. *Iacob dilexi Esaü autem odio habui*, quam difficultatem & Augustinus cum Apostolo sæpissime pertractabat, præsertim tractatu 53 in Ioannem legendus. Cum ergo, in psalmum 61 iam idem Arnobius reuocauisset diuinam hominum prædestinationem, velut in causam, in omnipotentiæ *potestatem & diuinæ voluntatis arbitratum*, vt ibi loquebatur Arnobius, certum est vtique eundem agnouisse electionem in Deo primo modo mox ante explicatam, sine vlla vel apparenti iniustitia in Deo. Secundo certum est vtique eundem Arnobium negauisse in Deo *electionem personæ vel personarum* secundo modo acceptam, quam mox ante in contextu Arnobius recte appellauerat *acceptionem personarum*, quam vtique in Deo non dari de facto, præter testimonia Euangelica & Apostolica, etiam Augustinus constantissime, & frequentissime prædocebat, vt patet tum in locis à nobis adductis, tum in alijs pluribus, quæ Iansenius etiam loco citato congessit. Tertio certum etiam videtur Arnobium in eundem psalmum 91 negauisse hanc electionem secundo modo acceptam etiam de potentia absoluta in Deo possibilem esse, & adeo tenaciter in hanc negatiuam inclinasse, vt contra tenentes affirmatiuam sententiam voluerit etiam eos monere potius silentio comprimere, etiam si vera esset, quam in publicum promulgare. Hic integer est Arnobij sensus, quem modo accipe ex verbis eiusdem. *Si mille*, inquit, *tales quæstiones inuenias, numquam probabis Do-*

minum per electionem personæ vnũ velle, recusare alium. *Hoc est* (nota hic, quæso, & attende hic se explicantem Arnobium de electione accepta solum secundo modo, sic enim legi debet, non deprauatè, vt alicubi legitur, ponendo pro ly *hoc* vel *istud* aliam particulam aduersatiuam, seu discriminatiuam, *aliud est*, per quam particulam & totus sensus disrumperetur, nihil connectendo ad rem; & sequentia verba inconnexa, ac sine vllo iudicantis Arnobij sensu suspensa omnino manerent, vt expendenti patebit) *Hoc est*, inquit, seu, *istud est*, *si doceas Esaũ bonum fuisse in operibus suis, & iniquo odio habitum, aut Iacob malorum operum reum iniuste dilectum*. Hæc igitur ex Arnobio est ea *electio personæ*, quam negat in Deo de facto dari, aut de potentia absoluta dari posse, quæ sane est electio secundo modo explicata cum aliquali iniustitia, quæ & *acceptio personarum* nominatur. Hæc est sola electio secundo modo vel tertio *cum acceptione personarum*, quam vtique nec male inficiatur Arnobius in Deo, nunquam vero inficiatus est electionem personæ primo modo acceptam sine vlla apparenti iniustitia, vt aliqui perperam ex adulterata fortasse Arnobij editione decepti sunt, quam imo primam electionem in psalmum 61 & alibi idem Arnobius manifestissime astruebat. In nullo igitur Arnobius ab Augustino discessit, vti nec se vnquam discessurum esse iam dudum in Conflictu cum Serapione constantissime pollicebatur, *Deumque testando*, verbis amplissimis protestabatur, cuius protestationi, si quis adhuc adhærere recuset, concludam ipse sententiam meam simul & defensionem Arnobii, cum magno Gregorio lib. 5. regist. epistola 15. *Si fideliter confitenti credi despicitur, cunctorum fides in dubium adduceretur*.

§. QVARTVS.

Occuritur quarta & quintæ obiectioni, quæ in primo Articulo afferebantur, circa verum Auctorem operis Prædestinati, & incidens altera obiectio contra nostram hipothesim prauenitur.

AD quartam principalem articuli primi obiectionem, de Vincentio Lerinensi &c; sicut mox ante §. 2. de Hygino & Arnobio Iuniori concessimus eorum neutrum huius operis Auctorem fuisse,

fuisse, ita & nunc ad hanc quartam obiectionem de Lerinensi Vincentio, vtique pariter obiectionis intentum admittendum est, Vincentium scilicet Lerinensem non fuisse scriptorem huius operis Prædestinati; quemadmodum satis in eadem obiectione à nobis facta probabatur præsertim additis iis omnibus, quæ à nobis allata sunt lib. 5. q. 3. ar. 3. §. 8. & sequentibus. Quibus nunc addi potest & illud, quod simili modo pro Arnobio excludendo à scriptione eiusdem operis prætangebamus. Nimirum data quacumque paucorum quorundam suspicione de Lerinensi, an ex Contubernio cum Fausto similiter Lerinensi, tinctus & ipse timeri potuerit aliquo saltem propensionis colore in aliquem errorem eiusdem Fausti Semipelagiani; attamen nemo vsque adhuc, nec ipse Noris, qui eam habuit suspicionem, dixit vnquam nec dicere potuit, Vincentium eundem Lerinensem peiorem Semipelagianum fuisse, quam fuerit ipsemet Faustus Rhegensis Episcopus, cum Faustum omnes sciant appellari solere Semipelagianorum Choriphæum, ideoque eiusdem libros, ne dum à Gelasio fuisse proscriptos, verum etiam à Fulgentio septem libris refutatos (vt patet ex vita Fulgentii) & à Patribus Aphricanis in Sardinia exulantibus in sua epistola Synodica condemnatos, & ab aliis Patribus Scithis ex Vrbe Constantinopolitana in epistola ad Hormisdam Pontificem iterum expostulatos, vt eorundem reciteraretur damnatio, & ita de aliis notis, quas sane nemo in Vincentio Lerinensi hactenus suspicatus est. At si Lerinensis Vincentius huius operis Prædestinati Auctor extitisset, ipse vtique longe peior & impudentior Semipelagianus fuisset, quam fuisset vel Faustus Monachus prius Lerinensis, & postea Rhegensis Episcopus, vt mox ostendo. Ergo ne inauditum & consequenter intollerabile hoc absurdum sequatur, pro certo tenendum est Vincentium Lerinensem huius Authorem operis non fuisse. Audi nunc probatam sequelam absurdi. Faustus enim adminus non negauit adhuc in baptizatis vel iustificatis manere malum concupiscentiæ vt peccati fomitem, qui *ex peccato est & ad peccatum inclinat*, vt iuxta Augustini doctrinam approbat & loquitur Tridentinum in decreto de peccato originali, hoc, inquam, malum concupiscentiæ, quod Iulianus Pelagianus negabat impugnatus vtique ab Augustino in vtroque opere contra Iulianum, saltem Faustus non negauit, imo confessus est lib. 1. de libero arbitrio Cap. 2. vbi sic refert contra hanc veritatem, & postea refellit, hanc Pelagianorum

obie-

obiectionem dicens: *Sed dicit Pelagius, ideo non esse originale peccatum, quia ipsa concupiscentia generationis ex Deo sit.* & statim refellit subiungens. *vnde autem veniat nexus iste, qui per posteros trahitur, si requiras? Sine dubio per incentivum maledicta generationis ardorem, & per illecebrosum vtriusque parentis amplexum. Nam cum illum solum videas ab originali immunem esse contagione, qui non carne sed spiritu, nec erubescenda passione, sed stupenda benedictione conceptus est, agnosce causam mali originalis de oblectamento natum, conceptionis & de vitio voluptatis &c. Cum illo animo, vt Deus esset, gustum cibi lethalis appetijt* (scilicet primus homo) *& damnandam cupiditatem in ambitum maiestatis extendit immemor legis & mandatorum legis, rebellis mulctatur in impugnatione membrorum. Et dum aqualitatem Domini sui prasumit, corporis sui perdidit potestatem. De superbia namque nata est incontinentia. Nam quid in eo percussum esset, ostendit, quando verecunda contexit. Pracessit elatio, secuta cõfusio est. Diuinitatis ambitiosus, libidinis capit esse captivus. Sed forsitan dicis: dum hac asseris, nuptias damnare deprehenderis. Non ita est. Ordinatio nuptialis ex benedictione capit: generatio corruptionis ex transgressione capit &c. Quidquid praceptio diuina constituit, hoc laudo, quidquid humana praeuaricatio adiecit, hoc reprobo &c. Futura erat indubitanter casta & sincera generatio, si non intercessisset inimica transgressio. Sed immaculatos thoros caro maledictioni addicta maculauit &c.* Hæc Faustus, quæ sicut, quoad malum concupiscentiæ à Iuliano negatum, assertum autem ab Augustino, directe Iuliani Pelagiani obiectionibus respondent, ita doctrinam Augustini & Catholicam imitantur; non sic autem præstitisset Lerinensis Vincentius, si hoc opus Prædestinati ipse scripsisset, in quo imo eędem & obiectiones & phrases contra hanc etiam Augustini doctrinam de malo concupiscentiæ, ex eodem Iuliano Pelagiano & repetuntur & exscribuntur, & pertinacissime negatur in renatis remanere vel malum concupiscentiæ vel fomitem peccati, adeo vt etiam in obiectione quinta ar. 1. ex eisdem Iuliani & huius Auctoris consimilibus sententijs, ac verbis, proponeretur non leuis ratio suspicandi, quod huius operis Auctor fuerit idem ipse Iulianus, de quo mox ad eandem quintam obiectionem dicemus. Pro nunc autem vidisse sat sit, quod si Vincentius Lerinensis exarasset hoc opus Prædestinati, vtique peior ipse Semipelagianus censeri debuisset, quam ipse Faustus omnium Semipelagianorum Primicerius

rius ac Choriphæus. Maneat ergo vtique quendam Vincentium Semipelagianum extitisse huius parentem operis, non tamen Lerinensem, sed alterutrum ex duobus aliis Vincentiis, quos §. 9. eadem ætate fuisse & pro Semipelagianis stetisse, præostensum est.

Ad quintam tandem principalem obiectionem eiusdem articuli I, & si ex illo argumento aliquis suspicaturus fortasse sit hunc librum editum ad annum 434 statim post obitum Cælestini, potuisse etiam à Iuliano Pelagiano (suo tacito nomine) divulgari, quem Iulianum adhuc sub Sixto successore Cælestini vsque saltem ad annum 439 superuixisse cognoscimus ex Prospero in Chronico ad eundem annum 439: vt & supra retulimus, quod huic suspicioni fauere posset. Attamen huius operis stilus, cum sit satis spontaneus ac nitidus, non consonat cum obstrusiore ac violentiore stilo Iuliani, nec laus Augustini in hoc opere conuenire potest Iuliano Pelagiano ferocienti semper & atrociter in Augustinum eundem, nec deffinita dogmata fidei aduersus hæresim Pelagianorum (quam hic Auctor, ante Nestorianam, vt damnatam recenset ac reprobat) eidem pertinacissimo Pelagiano Iuliano adeo congruere possunt, nec obiectiones huius operis, (ad quas, vt vidimus, Sanctus Prosper respondebat) appellatæ ab eodem Prospero *Vincentianæ*, alterum possunt Auctorem admittere præter alterutrum ex duobus Vincentijs, quos prædescripsimus; nec demum obiectio in argumento intentata conuincit. Ideo sistendo in præallata expositione hucusque defensa responderi potest, vtique veteres ac rigidiores Semipelagianos concessisse contra Pelagium transfusionem originalis peccati, sic tamen negauisse ex originali peccato vulneratam mansisse humani arbitrii voluntatem, vt ne dum saltem ad differentiam molliorum & mitiorum quorundam negarent in baptizatis manere malum concupiscentiæ vt peccati fomitem (vt apposite ex efficacia baptismi auferentis omnia peccata vrget hic Auctor Prædestinati in fine sui libri 3.) verum etiam ex hoc ipso principio, per consequentias illatas à Prospero, visi sint iidem rigidiores Semipelagiani nec vere concessisse originale peccatum transfusum in animos nascentium posterorum, vt probat Lemos in tomo 1. par. 1. tract. 5. Cap. 6. per totum ex eodem Prospero in epistola ad Demetriadem, & in libro contra Collatorem Cap. 17. in carmine de ingratis, vti in eodem Lemos transcripta verba leguntur, præterquamquod certum est etiam Massilienses (licet in omnibus cum

Iuliano

Iuliano Pelagiano non conuenirent, vt nos lib. 5. q. 3. ar. 3. explicuimus) repetiuisse tamen aduersus Augustini doctrinam plerasque eiusdem Iuliani obiectiones, vt notat idem Prosper contra Collatorem Cap. 41. dicens: *Non enim alia possunt dicere, quam quæ damnatorum querelis & procacissimi Iuliani sunt vulgata conuitijs; paria sunt vnius germinis semina &c*; & in epistola ad Augustinum de eisdem Massiliensibus inquit: *quidquid etiam in libris contra Iulianum ab ipso sub hac quæstione obiectum potentissime debellasti, hoc totum ab istis contentiosissime conclamatur*. Et demum in eadem ipsa responsione ad Vincentianas obiectiones (in qua, vt vidimus, Prosper huic eidem Auctori Prædestinati respondebat) ad quintam obiectionem opportunissime id obseruauit dicens: *Huius quoque obiectionis vanitas de illa procedit Schola, in qua natura humana immunis à peccato Adæ, & illæsa defenditur*. Stat ergo adhuc huius Auctorem operis, non purum Pelagianum, sed Semipelagianum vtique rigidiorem ac procaciorem (non vero ex illis mitioribus Semipelagianis, quos q. 3. mox citata distinximus ar. 3. §. 2.) extitisse, & manent singulæ dubitandi rationes allatæ in articulo 1. iam facillimè enodatę atque revulsæ, iuxta præsuppositam integram huius nostræ hipothesis seriem. Contra quam tamen occurrit hic modo altera obiectio, quam dissimulare non debeo, aduersus illud nostrum suppositum in ar. 2. §. 3. præmissum, pluribusque probatum, Euodium scilicet Vzalensem Episcopum in Prædestinianismum inclinasse. Contra hoc, inquam, incidenter occurrit mihi, ingruitque non contemnenda hæc altera obiectio, quod in epistola 95. ab Augustino vtique scripta ad Innocentium, in titulo tamen habente quinque nominatim Episcopos, Aurelium, Alipium, Augustinum, Euodium, & Possidium, quorum omnium nomine ea epist. cadente anno 416 ad Innocentium transmissa fuit, vt testatur idem ipse Augustinus in alia epistola 47 ad Valentinum inter ea, quæ à Patribus Africanis contra Pelagium conscripta erant, numerans & ea, *quæ aliquanto diligentius à quinque Episcopis*, scilicet conscripta fuerant. Modo in hac eadem epistola 95 hæc præsertim periodus legitur, quæ satis esse videtur ad vindicandum Euodium à quacumque suspicione de Prædestinianismo. *Satis*, inquit, *apparet, quod ad non peccandum, idest ad non male faciendum, quamuis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius potestas non sufficit, nisi adiuvetur infirmitas*. Hæc ibi. Si igitur etiam nomine Euodij hæc

epistola missa fuit, iam etiam Euodius ab hac suspicione de Prædestinianismo negante veram libertatem liberatus est. Fateor difficilem obiectionem esse, nec dolerem quidem, sed gauderem, etiam Euodium, qui contra Pelagium stetit (licet in Concilio Carthaginensi subscriptus non legatur) ab hac vltro suspicione liberari, nisi tot vltro in contrarium testimonia clamarent ex ipso Augustino desumpta, & §. illo 3. transcripta, quæ vellem posse cum hac à nobis facta obiectione componi; Vt tamen, quod modo occurrit, discutiendum maturius ab aliis proponam, certum in primis existimo, eam epistolam 95, licet nomine quinque illorum Episcoporum transmissam ad Innocentium, à solo tamen Augustino de eorundem placito fuisse exaratam, vt in eius epistolæ titulo etiam legitur obseruatum; vnde, licet omnia, quæ ibi Augustinus conscripsit, verissima sint (vti & ab Innocentio in epistola subsequenti 96 approbata sunt), & licet singula verba ab eodem Augustino in recto sensu, tum contra Pelagianos, tum contra Prædestinianos, intellecta sine dubio fuerint, non tamen forsan necesse est in eodem omnino & explicito sensu Augustini ea singula ibidem verba etiam sigillatim ab Euodio intellecta fuisse, dum intentum ibidem erat Pelagianum errorem præcipue refutare; adeo vt in fine illius eiusdem epistolæ ab altera quadam incidente quæstione de possibili, dum intendebat rem solum de facto decernere, maluerit & Augustinus præscindere dicens: *Sed quoquo modo se habeat ista quæstio: quia, & si non inuenitur homo in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adiutorium gratiæ & Spiritus Dei: quod vt fiat, conandum atque poscendum est: tolerabiliter in id quisque fallitur, nec diabolica impietas, sed error humanus est, elaboranda & optanda affirmare, etiam si quia affirmat non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certe laudabile est velle: nobis autem sufficit, quod nullus fidelium in Ecclesia Dei reperitur in quolibet profectu, excellentia, atque iustitia, qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis Dominicæ, Dimitte nobis debita nostra, & dicat, se non habere peccatum &c.* Quid si Euodius ea paucissima verba, & incidenter inserta, in eo sensu approbauit, quod in nobis vtique inueniatur collatum à Deo & *voluntatis arbitrium*, in actu primo vtique potens in vtramque contradictionis partem, vt sine dubio agnoscebat & idem Euodius apud Augustinum in fine libri 2. de libero arbitrio, & ab initio libri tertii Cap. 1. legendus, & tamen de actu secundo ibidem hoc

non

non obstante dubius adhuc permanebat? Quid si iterum de actu secundo, seu de ipso *motu voluntatis* (vt ipse vocabat ibidem) concesserit, in eo sensu illa verba, vt tamen ea sua dubia retineret, quæ asserebat eodem libro 3. de libero arbitrio in fine Capitis 1, scilicet *motum, quo huc atque illuc voluntas conuertitur, esse voluntariū*, & tamen non videri indifferentem seu liberum à necessitate, vt subdebat Cap. 2. ab initio, *quomodo fieri potest, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nulla necessitate peccemus?* quemadmodum omnino ætate nostra & Iansenius, qui se Catholicum præsumebat, imo & Augustini defensorem, hunc errorem eundem ostendit, & dixit actum nostræ voluntatis sub diuina prædestinatione & gratia esse vtique spontaneum, & voluntarium, & liberum à coactione, non tamen liberum à necessitate. Quid ergo de inclinante incautè adminus Euodio pro illo anteriori ante mortem tempore in prædestinianismum (quo sane anteriori tempore Adrumetinorum dissensio ab anno 414 exorta erat), cum pro nostro supposito tot adsint, tum eiusdem Euodij, tum Augustini testimonia, tam pauca postea ab Augustino, non ab Euodio, conscripta verba, & solum ab Euodio permissa, & in altero forsan suo dubio sensu intellecta, aduersus nostrum iam probatum satis suppositum conuincere vel obstare valebunt? quid si tandem vno verbo dicamus, nec omnia a nobis scripta superius, ita à nobis intelligi, vt asserta sint vel decreta, sed potius vt proposita tantum iudicanda deinde, atque à Doctioribus cæteris perpendenda maturius? Stare igitur poterit & illud saltem in hoc sensu suppositum, & nihil aderit superius scriptū, vt puto, quod si accipiatur, vt debet, non possit à quacumque imposterum ingruente obiectione defendi, aut vindicari, quod satis superque huic nostræ, in re perardua, operosæ dissertationi sufficiet.

§. QVINTVS.

Duæ & aliæ occurrentes dubitationes circa nostram alicubi suppositam Chronologiam præoccupantur & elucidantur.

NE vero fidenter nimis id, quod modo præmisimus, asserere videamur, non erit superuacaneum eiusdem rei periculum facere, & de ipsa Chronologica rerum quarundam prænarratarum serie

serie, quæ difficilioris indaginis est, & frequentioribus scribentium lapsibus subiacere solet, experimento videre, quam minus trepidandum sit, si alicubi occurrerit ex diuersa quorundam aliorum Chronologia aduersus eam, quam ipsi cum alijs sequuti sumus, imminens dubitatio. Inter cætera enim nos supra Articulo 2. §. 11. supponebamus Epistolas Augustini 104. & 105. ad Sixtum datas esse primo vere anni 417 post paulo ante receptas eodem anno Decretales Innocentii ad Milleuitanos & Carthaginenses Patres, & simul ad quinque Collegas Episcopos, signatas *pridie Kal: Februarias post consulatum gloriosissimi Theodosij Aug. VII. & Iunij Quarti Palladij. V. C.* hoc est anno 417. Henricus autem Noris, post Iansenium, accuratissimus alioquin scriptor libro 1. historiæ Pelagianæ, nedum cap. 13. opinatus est Sixtum Presbyterum suas ad Augustinum & Alipium epistolam dedisse post alteram sequutam Decretalem Zozimi, quæ in Africa recepta fuit *Tertio Kal. Maias* anno 418. verum etiam Capite 15 arbitratur Augustinum (antea Hippone absentem, ac Cæsareæ Mauritaniæ pro Legatione tunc morantem vsque ad diem eiusdem anni 418. *duodecimam Kal. Octobris*) post hæc Hipponem regressum ad Sixtum rescripsisse. Rursus nos in eodem Articulo 2. §. 2. indicabamus Augustinum ad Adrumetinos scripsisse librum de gratia & libero arbitrio anno 419, eo quod in epistola 47 ad Valentinum præmittat, *qui ex vestra congregatione ad nos venerunt, nobiscum egisse Pascha nouerit charitas vestra*, & tamen simul se per ipsos mittere dicat, tum *rescriptum Zozimi ad vniuersos totius orbis Episcopos missum*, quod anno anteriori 418, *tertio Kal. Maias* ab Africanis receptum fuerat, post Pascha (quod eo anno celebratum fuerat die 7. Aprilis) tum, *quod posteriore*, inquit, *Concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem* (scil. Pelagianum) *breuiter constituimus*, quod sane Concilium à fortiori post Pascha non minus eiusdem anni 418, & iuxta Chronicon Prosperi editionis Coloniensis, *v. nonas Iulias*, terminatum fuit, consequenter Augustinus scribens immediatè ante Pascha librum de gratia & libero arbitrio (ex epist. 47) eumque transmittens post Pascha immediatè simul cum prædicto rescripto Zozimi, & præmemorati Africani Concilij decretis, nonnisi posteriori anno 419 sub alterius Paschatis tempore hoc transmittere potuit. At Henricus Noris libro 1. Capite 23. longius id protrahit vsque ad annum 424, *quod*, inquit, *illos libros* ad Adrumetinos, *in fine suorum operum*

rum in libris Retractationum S. Doctor Augustinus recensuit. Quid ergo pro re nostra dicemus? Nobis equidem satis esset approbauisse, ac sequutos esse in vtraque hac re magis Chronologiam, nedum Baronij ad annum 418 numero 18, verum etiam Aloysij Torelli tomo 1. sæculi Augustiniani, & ita ab vno Henrico Noris discessisse, vt ad illos duos accederemus, quemadmodum inquit Augustinus libro 2. contra Accademicos Cap. 9. *à Cicerone modestissimè dictum est, ita eum Verris esse accusatorem, vt Siculorum defensor esset*. Neque in minutioribus istis, in quibus dissensimus alibi, ac modo dissentimus, ab amicissimo æque ac laudatissimo viro, credimus haud adaptari posse ea Hieronymi verba epist. 94, quibus, cum dissentiret & ipse ab Augustino, ad eundem aiebat: *nos inter nos eruditionis causa disserimus: cæterum æmuli, & maximè heretici, si diuersas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere; mihi autem decretum est, te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certe & in dialogo, quem nuper edidi, tuæ Beatitudinis, vt dignum fuerat, recordatus sum*: Hæc ad Augustinum Hieronymus, quæ an proportione seruata repeti posſint ad Henricum Noris, quem vbique *eruditissimi* titulo nuncupare solemus, quicunque vel editos libros nostros de Approbatione legerit, iudicare poterit. Recessi vtique & in illis non semel ab eodem, tum circa Vincentium Lerinensem (vti & sequens Baronium hic iterum in §. superiori) tum circa Hilarium Arelatensem; sed nec sine commendationis nomine, nec sine rationum pondere id præstiti vnquam, quemadmodum ea ibidem scripta percurrenti patebit, quibus imo (vt incidenter quo ad Hilarium id dicam) hæc duo vltro motiua pro vindicando ab accusatione Semipelagianismi eodem Hilario aduersus Natalem etiam Alexādrum ex Norisio exscribentem seculo 5. par. 1. pag. 611. hæc, inquam, superaddi hac occasione nunc possunt, tum quod de Hilario altero illo (quem isti vt Laicum ab Arelatensi Episcopo distinctum volunt, quemque, præ Hilario Arelatensi Semipelagiano ab eisdem supposito, admittunt pro Augustino stetisse) de illo, inquam, cum Prospero instante apud Cælestinum Romæ pro Augustiniana doctrina, in epistola Cælestini hæc in persona Massiliensium accusatio contra ipsum & Prosperum recitabatur, *vt pertinaciter eos dicant prædicare aduersantia veritati*; quomodo ergo hic idem Hilarius (si Laicus iuxta istos obiit) factus esset Prædicator apud Gal-

liarum

starum populos? quomodo id ipsum, vel eam apud Cælestinum instantiam, de re tam sacra, abditaque doctrina de fide, homo Laicus præstitisset? tum quia Auctor trium librorum extantium de vita contemplatiua, siue hic fuerit Sanctus Prosper Aquitanus, vt libri hactenus inscripti leguntur(& recognoscunt vt Prosperi nedum Codogandus Metensis, & Theodulphus Aurelianensis scriptores antiqui, verum & Synodus Aquisgranensis, & Parisiensis sub Ludouico & Lothario lib. 3. Cap. 9.) siue fuerit Pomerius, vt malunt quidam Recentiores ex indicatis ab Isidoro Cap. 12. de Scriptoribus, non commendasset profectò præsertim quo ad doctrinam aliquem, quem contra Augustini doctrinam pro Semipelagianis stetisse nouisset; non quidem Prosper, vt constat ex tot editis eiusdem opusculis imo acrioribus aduersus omnes Semipelagianos, nec ipse Pomerius, quem tenacissimum similiter fuisse sectatorem doctrinæ eiusdem Augustini res compertissima est, tum ex eodem ipso Auctore librorum de vita contemplatiua libro 3. Cap. 31, vbi post amplissimas in Augustini doctrinam laudes, *ipsum*, inquit, *in his libellis pro possibilitate secutus sum*, & re ipsa sequutum esse eosdem percurrenti constabit, tum ex libro primo de vita S: Cæsarij Cap. 3. vbi idem Author horum librorum, velut scriptor insignis ac celebris in Gallijs laudabatur. At hic ipse Author horum librorum de vita contemplatiua lib. 2. Cap. 9. æqualibus simul ac repetitis per amplis laudibus extollit D. Paulinum Nolanum, & S. Hilarium Arelatensem Episcopum, inter cætera hos vocans, *tam Sanctos ac perfectos Pontifices, homines tam sæcularium quam diuinarum litterarum sine ambiguitate doctissimos, tales ac tantos viros &c.* Quomodo ergo id pronunciante, *sine vlla ambiguitate*, vel Pomerio vel Prospero, qui florentes eodem seculo 5. bene nouerant Arelatensem Hilarium, nunc post tot secula hic idem Arelatensis Hilarius de Semipelagianismo à Recentioribus accusari potest? Sicut ergo in his duobus, & alijs huiusmodi, iam Lector percipit, nos non immeritò recusasse prescriptis ab Henrico Noris confidere; ita nunc videat etiam quo iure ab eodem in præallatis duabus causis, quas hic tractamus, de Chronologica serie duxerimus abscedendum, vt Baronio magis ac Torello adhæreremus. Et, vt incipiam à prima, hæc me ratio præcipue mouit, vt velut probabilius eligerem, Epistolas Sixti ad Aurelium, & ad Augustinum, nunciantes ipsis Pelagianorum damnationem, & consequenter responsiuas Augu-

ftini epiftolas ad eundem Sixtum, datas esse anno 417, quo Innocentius Pelagianos damnauit, non vero anno 418, quo Zozimus damnationem repetiuit; quia prima profecto Pelagianorum damnatio ab Apoftolica Sede, ea eft, quæ edita fuit ab Innocentio, non quæ deinde, ac fecundario, à Zozimo repetita fuit: At duæ epiftolæ Auguftini refponfiuæ ad Sixtum manifefte fignificant Auguftinum tunc loqui de prima Pelagianorum damnatione, non de altera fecundariò emanata, de qua prima per confequens loquutas effe & Sixti epiftolas colligendum eft, (cum iftæ Epiftolæ Sixti perierint): tum igitur epiftolæ Sixti, tum refponfiuæ Auguftini datę funt anno 417, quo Decretalis Innocentij edita legitur *Sexto Kal. Februarias*, non anno 418, quo legitur Zozimi altera Decretalis 12. *Kalen. Aprilis*. Et quidem primam ex Apoftolica Sede Pelagianorum damnationem ab Innocentio editam effe, conftabit cuicunque legenti apud Auguftinum, tum epiftolam Innocentij 93. ad Milleuitanos, tum epiftolam eiufdem 91 ad Patres Carthaginenfes, tum tandem eiufdem epiftolam 96 ad quinque Collegas Epifcopos, idque eadem ætate fcribentes Patres, atque fcriptores cæteri obferuauerunt, Auguftinus libro 2. Retract. Cap. 50. lib. 2. ad Bonifacium Cap. 3, & 4. libro 2. de peccato originali Cap. 8. & 9. Poffidius in vita Auguftini cap. 18. Marius Mercator in commonitorio ad Theodofium, *Prædicti fanè*, inquit, *Celeftius & Pelagius non tunc primo à Sanctæ memoriæ Zozimo videntur effe damnati, fed ab eius deceffore Sanctæ recordationis Innocentio*, Profper pariter in Carmine de ingratis & contra Collatorem, & vt alios omittam, Martyrologium Bedæ & Adonis ad *v. Idus Martij*, Gennadius Cap. 11. de Scriptoribus, Photius codice 53, Facundus Hermianacenfis lib. 7. de tribus Capitulis Cap. 3. & alij paffim laudantes Innocentium, vt primum Pelagianæ hærefis damnatorem. Neque minus facile eft commonftrare duas Auguftini epiftolas ad Sixtum loqui, vt fubfumpfimus, de prima damnatione, non de fecunda, tum quia in epiftola 104 Auguftinus inquit: *Nonnulli eorum* (fcilicet Pelagianorum) *antequam ifta peftilentia manifeftiffimo etiam Sedis Apoftolicæ iudicio damnaretur, vobis innotefcere potuerunt, quos nunc repente reticuiffe perfpicitis*, fcilicet poftquam *nunc repente Apoftolicæ Sedis iudicio damnati funt*, Ergo loquitur de ea prima damnatione, *antequam Romæ damnarentur*, tum quia in epiftola 105 ad eundem Sixtum, *primo*, ait, *primo te priorem anathemā ees*

In populo frequentissimè pronunciasse eadem fama non tacuit; non primo autem prior anathema eis pronunciasse Sixtus diceretur, si post eos damnatos ab initio anni 417 sub Innocentio, expectauisset editam etiam alteram in eosdem damnationem sub Zozimo ad medium anni 418, vt postea ipse posterior adeo illis anathema pronunciaret; tum quia, vt pergit ibidem Augustinus, *cum litteris Apostolicæ Sedis de illorum damnatione ad Aphricam missis, tua quoque litteræ consequuta sunt*, non dicerentur autem *cum illis Sixti quoque litteræ consequuta*, si post annum cum dimidio à receptis in Aphrica iam Innocentij epistolis, tam longe postea, non *cum illis*, Sixti epistolæ scriptæ fuissent; tum quia antequam Pelagiani ab Innocentio damnarentur, qui esset eorundem patronus non meruisset vtique adhuc probrosam censuram hæreseos, ex eo quod de eo tempore loquens Augustinus epistola 94 post celebrata Milleueti, & Carthagine Prouincialia Concilia, quæ ibidem nominat, & antequam Decretales ab Innocentio emanassent, aiebat: *noua quadam hæresis inimica gratiæ Christi conatur exurgere, sed nondum euidenter ab Ecclesia separata est*; post damnationem vero Innocentij nemo poterat diffamari vt eorundem patronus, quin hæreticus supponeretur, ex eo quod postea de hoc posteriori tempore intelligens idem Augustinus lib. 2. ad Bonifacium Cap. 3. inquit: *Litteris Beatæ memoriæ Papæ Innocentij de hac re dubitatio tota sublata est*, cum igitur, tum in epistola 104, tum 105 ad Sixtum, eundem Sixtum dicat *Pelagianorum magni momenti patronum*, antequam idem Sixtus scriberet, *iactatum esse, & famam iactasse cum inimicis Christianæ gratiæ fauere*, his verbis exprobrasset Augustinus eidem Sixto eum velut hæreticum sub Zozimo per orbem diffamatum esse, in his eisdem duabus tam officiosis ad eundem epistolis, quod sanè nec redolet Augustini modestiam, aut vrbanitatem, nec vllo modo ex rerum circumstantijs verisimile est, consequenter non de hoc tempore Zozimi post iam damnatos antea ab Innocentio Pelagianos hæreticos, sed de anteriori tempore ante emissam ab Innocentio damnationem hęc dicta de Sixto ab Augustino sunt nobis intelligenda ac sustinenda facilius; tum quia, vt colligitur ex Augustino libro de peccato originali Cap. 6. & sequentibus, & libro 2. ad Bonifacium Cap. 3, vtique à tempore damnationis editæ ab Innocentio vsque ad eandem tandem repetitam & *ampliatam* (vt Gennadius loquitur) sub Zozimo, Pelagiani in eas latebras se recipiebant,

bant, vt suos errores in mente reconditos retinerent; ac fingerent se correctos esse, alijsque huiusmodi dolis Catholicos circumuenirent, hæc autem omnia vaserrima eorundem subterfugia tunc accidisse, cum hæc scriberet Augustinus ad Sixtum, idem ipse Augustinus distinctè significat, tum epistola 104 dicens, *nunc repente reticuisse perspicitis: nec vtrum sanati sint sciri potest, nisi eam non solum dogmata illa falsa tacuerint, verum etiam vera illis contraria defensauerint &c. nec illi* (vt præmiserat) *nec illi negligendi sunt; qui vsque ad profundum silentium supprimunt timore, quod sentiunt, sed tamen eandem peruersitatem sentire non desinunt*; tum clarius in epistola 105 ad eundem Sixtum, *sunt*, ait, *sunt quidam, qui iustissimè damnatas impietates adhuc liberius defendendas putant, & sunt qui occultiùs &c. quod in aperto clamare metuunt, in secreto seminare non quiescunt: Sunt autem qui omnino siluerunt magno timore compressi, sed adhuc in corde retinent, quod ore iam proferre non audent &c.* Hoc igitur tempore, post solam Innocentij damnationem, non post alteram subiunctam sub Zozimo, hæc ad Sixtum Augustinus scribebat, tum quia idem Presbyter Firmus, qui Sixti epistolam Hipponem detulit, (ex epistola Augustini 104) idem detulit ad eundem Augustinum & Epistolam Valerij Comitis Rauennæ morantis (vt testatur Augustinus in prologo libri primi de nuptijs & concupiscentiis ad eundem Valerium). hoc autem secundum contigisse anno 417 post primam sub Innocentio damnationem significat idem Augustinus lib. 1. ad Bonifacium Cap. 5. de eo primo libro ad Valerium, scripto eodem anno, dicens: *Quem post damnationem* (scilicet primam) *Pelagij, Cælestijque conscripsi*; quidquid sit de secundo libro ad eundem Valerium, quem posteriori non parum tempore scriptum esse, ex eodem hoc secundo libro in capite primo colligitur, & ex libro 2. retractationum Cap. 53. & 62, ex quo aliquos suspicor deceptos esse aliter opinantes; consequenter & epistola Sixti ad Augustinum per eundem Firmum eodem anno 417 post primam sub Innocentio damnationem Pelagianorum delata fuit, vt omittam & alteram coniecturam pro se allatam à Noris pag. 96, & tamen nobis potius fauentem, ex epistola Hieronymi 30 apud Augustinum, 94 apud Hieronymum, quam & Noris ipse ibidem cum aliis supponit scriptam esse anno 415 & vt reor ipse, ad finem eiusdem anni 415, dum *dialogum nuper editum* contra Pelagianos Hieronymus in eadem nominat, quos dialogorum

libros tres eodem Autumno scripsisse, testatur Orosius in suo Commonitorio eiusdem Autumni tempore post Septembrem edito dicens de Hieronymo: *Similiter in libro, quem nunc scribit, collata in modum dialogi altercatione, confutat,* nempe hæresim Pelagianã; in hac autem epistola 94 Hieronymus, postquam de Firmo Presbytero, quem ex Augustini epistola 104 & 105, perlatorem fuisse epistolæ Sixti ad Augustinum, constat, postquam, inquam, de hoc præmiserat Hieronymus; *Sanctum Presbyterum Firmum anno præterito* (scilicet cadente anno 414) *ob rem earum* SS: Eustochii & Paulæ, *Rauennam & inde Aphricam, Siciliamque direximus,* subdit inde, *quem putamus iam in Aphricæ partibus commorari &c. Litteras quoque meas ad Sanctum Presbyterum Firmum direxi, quæ si ad te venerint, ei dirigere non graueris*: Consequenter Hieronymus tunc coniectabat Firmum paulo post initium anni 416 adfuturum fuisse in Aphrica; licet igitur eiusdem aduentus (aliquo intercurrente impedimento diuturnioris in Italia moræ fallente per menses Hieronymi coniecturam) differri rationabiliter potuerit ad ineuntem subsequentem immediate annum 417 (quò nos ponimus eum detulisse Roma in Aphricam epistolam Sixti) minus tamen verisimiliter vltro differtur à Noris per integrum biennium vsque ad annum 418 post Zozimi Decretalem *tertio Kalen: Maias* ab Africanis susceptam; vt supponit Noris, imò vti & alibi nos (cum aliud ageremus, ac præscinderemus ab ista controuersia) probabiliter in eiusdem sententia sequuti sumus, præsertim in nostra edita, ante plures annos, dissertatione de Albino pag. 420; nunc vero de hac re *diligentiorem* (vt vtar verbis Augustini libro de prædestinatione Sanctorum Cap. 9.) *diligentiorem & operosiorem disputationem, quam ibi prætertibam, aggressus sum*; nec minus credo hoc, quod modo statuimus, placiturum fortasse eidem Henrico Noris, cui & hæc ipsa Chronologia hic statuta tandem placere inferius visa est, libro 2. historiæ Pelagianæ Cap. 8. versus finem, vbi loquens de Epistola quinque Episcoporum ad Innocentium, & de eiusdem Innocentii responsione contra Pelagianos (profectò edita anno 417 pridie Kalen: Februarias) continuo subdit: *Hinc factum est, vt Sixtus citatissimas de damnatione Pelagianorum litteras scripserit ad Aurelium &c,* quas sane *citatissimas* non scripsisset, si ab ineunte anno 417, quò Innocentius rescripsit, per integrum annum cum dimidio distulisset eas scribere, post aliam sequutam sub Zozimo da-

mnatio-

mnationem. At quid dicemus ad superiorem eam obiectionem Noris, quam pro sua superius defensa positione contrariâ ipse Noris afferebat libro 1. Capite 15, eo quod Augustino absente Hippone Sixti litteræ Hippone relictæ sunt, (ex epist. 104) & consequenter eo tempore Augustinus vsque ad Septembrem anni 418 Cesareæ Mauritaniæ absens à sua Ecclesia morabatur? Ad hoc facillimè respondemus, inferri hinc vtique pro aliquo dierum spatio Augustinum abfuisse Hippone, sed non sic benè ex inde infertur ab absentia indefinita vt sic, hanc eam determinatè absentiam fuisse, qua anno 418 vsque ad Septembrem Cesareæ aliquibus mensibus Legatus fuit; An & in epistola *62 ad Cælestinum* tunc *Condiaconum* (qui post Bonifacium Summus Pontifex fuit) quam pro se referebat Noris lib. 2. Cap. 10, in hac pariter non dicebat Augustinus? *Quamvis longe absens fuerim, quando per Proiectum clericum ad mè directa Hipponem Sanctitatis tuæ scripta venerunt &c,* & tamen fermè res constans est hanc Augustini absentiam, scriptamque ad se absentem à Cælestino epistolam, non fuisse vel anno 417, dum Pelagiani ab Innocentio damnati fuerunt, vel anno 418, dum à Zozimo repetita damnatio fuit, cum in hac epistola Cælestinus nil de Pelagianorum erroribus eorumque damnatione prętangeret, aut referret, (vt ex epistola 62. Augustini ad eundem responsiua colligitur) non taciturus alioquin de his rebus Cælestinus, de quibus nec tunc tacuit Sixtus in suis, qui Cælestinus non minus Augustino addictus, magisque, quam Sixtus, aduersus Pelagianos infensus erat, nunquàm fama iactatus velut *Pelagianorum patronus*, vt de Sixto iam vidimus, & non minoris Romæ auctoritatis, quam Sixtus, sicut & prior Sixto Pontificiam sedem ascendit, & plures edidit inde Decretales aduersus Pelagianos, tum ad Maximianum Constãtinopolitanum Patriarcham Nestorio suffectum, tum ad eosdem Constantinopolitanos, tum ad Synodum Calcedonensem, tum ad Episcopos Galliæ, & antea ad Thuentium eiusdem regionis Episcopum, in singulis istis decretalibus contra Pelagianos inuectus, quales Decretales nullæ sub Sixti nomine memorantur; non ergo, vt dicebam, si suam eam ad Augustinum tunc Hippone absentem, aut anno 417 sub Innocentio tunc Pelagianos damnante dedisset epistolam, aut anno 418 sub Zozimo, vt opinabatur pariter ac de Sixti epistola Noris, non, inquam, vel Cælestinus de his Pelagianorum rebus, de quibus Sixtus non tacuit, tam

alto

alto silentio tacuisset: Quod forsan tandem prævidens & Noris (li cet explicare, aut contra se confiteri, dimiserit) lib. 2. Cap. 10. post hæc præmissa iuxta suam illam, antea suppositam, absentiam vnicam Augustini morantis Cæsareæ, idcirco euestigio subiungens: *Sed de his accuratius agent eruditissimi, ac doctissimi Patres nobilissimæ Benedictinæ familiæ in noua voluminum Augustiniensium editione Parisiis &c. dum epistolas S: Doctoris hucusque præpostero ordine locatas suo loco restituent &c*, vt videas & Henricum Noris ingenue de sua Chronologica serie, quam probabiliter sequitur, non sine causa dubitauisse. Inquiro rursus (vt magis pateat fallibilitas illius mox ante allatæ consequentiæ, cui ex absentia Augustini Chronologica Noris series innitebatur) inquiro, inquam, an præter absentiam Mauritanam Augustini sub anno 418, non fuerit pariter absens Hippone Augustinus, ad finem anni 416, tum interueniens in Milleuitano Concilio, tum Carthagine postea apud Aurelium, post Carthaginense Concilium Prouinciale, à quo & epistolam suam & aliorum trium Episcoporum ad Innocentium, vt subscriberetur, obtinuit? An, vt colligitur ex libro de gestis Pelagii Cap. 11. & ex epistola 110. eiusdem Augustini, vtrumque Milleuitanæ & Carthaginensis Prouinciæ Concilium demandatum non est Augustino, vt ineunte anno 417, dispositio rerum ibidem gestarum ordine, litteris mandaretur? An necesse non fuit, hæc omnia, postquam ab Augustino scripta fuissent, ab Augustino redeunte Carthaginem paulo post apud Aurelium recognosci, ab eodemque Aurelio vt primate probari? An susceptis ab Aurelio Carthagine Innocentij decretis editis *Sexto Kalen: Februarias*, non interfuit simul Augustinus Carthagine, dum Patres ad Innocentium continuo, vel alias responsiuas, vel gratulatorias illas epistolas rescripserunt, quarum fragmentum exscribit Prosper contra Collatorem Cap. 10, & Petrus Diaconus in libro de gratia ad Fulgentium Cap. 8. supponens has gratulatorias ad Innocentium transmissas esse? in quarum fragmento adhibetur etiam ea ratio, quâ & nos cum Salmanticensibus vsi sumus (vt incidenter id dicam) libro 6. de Approbatione q. 3. Art. 3. ad 2. An demum eo ipso tempore, quo Sixti epistola ab Aurelio recepta fuit (& quo proinde Augustino absente Hippone eiusdem Sixti epistola ad Augustinum Hippone relicta fuit) an hoc eodem, inquam, tempore Augustinus Carthagine apud Aurelium non erat, cum de hoc ipso tempore intelligens idem Augusti-

nus

nus in epistola 104 ad Sixtum id testatur dicens? *breuissimam epistolam tuam, quam de hac re ad beatissimum senem Aurelium per Leonem Acolithum direxisti, exultanti alacritate descripsimus, & quibus potuimus magno studio legebamus*, scilicet antequam Carthagine reuertens Augustinus Hipponem alteram longiorem eiusdem Sixti epistolam ad se missam reperiret, ac legeret, cæterisque, vt subdit, communicaret non minus legendam: Cur ergo ex eo dumtaxat, quod tunc Hippone absens Augustinus supponatur, adeo gratis infertur à Noris, vt mox ante dicebam, Augustinum tunc Cæsareæ in Mauritania fuisse, & non potius Carthagine, vbi vtique tunc adfuisse apposite, cum Sixti epistolæ in Aphricam aduenere, satis, vt reor, modo ostendebamus? Cur non concedetur & istam Noris obiectionem dilucide solutam esse, & nostram stare in prima dubitatione, vel causa, positionem, scilicet Augustinum ad Sixti Epistolas, responsiuas duas suas litteras anno 417 primouere misisse? Ex his itaque fusius quoad primam præmissis, ac stabilitis, longe facilius, ac breuius, ad depellendam secundam dubitationem non minus dilucide deuenimus, probamusque consequenter delata hac Augustini epistola (eidem Sixto responsiua) ad Adrumetinum Cænobium, ac inde succrescente Adrumetinorum tumultu, ad eosdem postea Adrumetinos Augustinum (excitatum à Cresconio & Felice) scripsisse sub Paschate anni 419, vt nos supra supponebamus, non vero anno 424, vt nimium id differens Noris arbitratus est, eundemque, vt solet, Natalis Alexander subsequutus est, & antea Iansenius lib. 1. de hæresi Pelagiana non minus hanc Augustini scriptionem differebat. Cum enim epistola Sixti ad Augustinum, & epistola 105 ad Sixtum, valde inter se in materia simul & vtilitate connexæ essent, adeo vt in ista in ordine ad illam diceret Augustinus Sixto: *litteris tuis fides ipsa nobiscum loquitur, &c. & aliquanto diutius tecum sermocinamur*, & iterum vocat *nostra inuicem colloquia*, scilicet per illam Sixti, & per suam ad Sixtum, quam sicut omnes vrgentissimam, nedum contra Pelagianos, verum & contra Semipelagianos, agnoscunt, ac celebrant, nec minus ipse Augustinus agnouerat validissimam libro de dono perseuerantiæ Cap. 21, ita & magnam ad eundem finem vtilitatem in epistola Sixti laudabat idem Augustinus, tum epist. 104. appellans *tam pulchram gratiæ Dei defensionem aduersus inimicos eius*, scilicet Pelagianos, & asseclas, tum epistola 105, de breuioribus litteris Sixti

ad

Sed Aurelium dicens, *tuum vigorem aduersus Pelagianorum errorem satis indicabant*, de hac autem prolixiori littera eiusdem Sixti ad se ipsum subdit: *Nunc vero cum apertius & latius, quid de illo dogmate, contraque sentires, in litteris tuis fides ipsa nobiscum in ratione Ecclesiæ loquitur &c.* Cum inde, inquam, & Sixti & Augustini epistolæ, vt dicebam, valde connexæ essent, verisimile est Augustinum eis omnibus, quibus Sixti epistolam communicauit, communicasse simul & suam ad Sixtum: plerisque autem eam Sixti continuo communicauisse testatur idem ipse Augustinus in epistola 104 dicens: *quanta nos putas ista tua prolixiora scripta vel exultatione legisse, vel cura, vt legantur, quibus valuimus, alijs obtulisse, atque adhuc quibus valemus, offerre?* atque inter hos obtulisse præsertim, ac statim, singulis illis aliis quatuor Colleghis Episcopis, qui simul cum Augustino epistolam ad Innocentium subscripserant, præter scilicet Aurelium obtulisse & Alipio, Possidio, & Euodio Vzalensi Episcopo, (vt hos singulos subscripsisse constat ex epistola 95, & 96 apud Augustinum) quemadmodum nominatim per Albinum Acolithum has transmisisse ad Alipium etiam (ad quem simul & ad Augustinum scripserat Sixtus suam prolixiorem) narrat ibidem Augustinus. Post primum ver igitur anni 417 (quo Augustinum scripsisse ad Sixtum iam vidimus) consequenter & ad Euodium Vzalæ Episcopum hæc Augustini epistola ad Sixtum, cum eadem Sixti, vt legeretur etiam ab ipso delata censenda est: Vzalæ autem apposite adfuisse (commoratum post Pascha, quo *Eulogiæ* mittebantur) Florum origine Vzalensem, instituto autem Monachum Adrumetinum, qui eodem anno per Felicem eandem Augustini epistolam deriuauit in Monasterium Adrumetinum, testatur Valentinus in epistola 257 ad Augustinum posteriori deinde tempore scribens ac referens originem *repetitæ* (vt ille loquitur) *turbationis* inter suos Monachos Adrumetinos, ex occasione illuc delatæ eiusdem epistolæ his verbis: *Incipiamus*, inquit, *ipsius ordinem perturbationis exponere. Charissimus frater noster Florus servus paternitatis tuæ, cum ad Vzalensem patriam fuisset (suadente charitate) profectus, Eulogias Monasterij, inter sua ciuitatis moras, de opusculis tuæ attulit Sanctitatis &c.* (Post Pascha scilicet mediante Felice &c.) *Ventum est ad Monasterium cum eodem libello, fratre Floro ad Carthaginem de Vzalensi Ciuitate profecto* (vbi primum Concilium plenarium Aphricæ sub Zozimo, paulo post sub Mense Octobri vel

No-

Nouembri, celebrandum erat, vt Natalis Alexander obseruat p. 1. seculi v. pag. 170.) *Mihi non monstrato libro imperitis fratribus recitare cęperunt, qui quorundam non intelligentium corda commouit &c. Cęperunt memorati fratres, qui omnia subuerterunt, innocentum animas commouere, mea paruitate penitus ignorante* (& si pręsens ipse Abbas in Monasterio moraretur, ni forsan id pro excusatione supponeret) *intantum conuentus illorum murmurantis nescij, vt nisi frater Florus de Carthagine* (vbi Florus adhuc morabatur) *repetitas*, scilicet & longe antea pullulantes, sed hoc tempore succrescentes, *repetitas eorum perturbationes cognoscens, mihi sollicitè nunciasset, furtiua, & tanquam seruilis erat inter eos de non intelligenda veritate contentio. Proposui ad auferendas impias quæstiones, vt ad Sanctum Patrem Euodium mitteremus, vt ipse* (qui mox fuerat fortasse in plenario Africano Concilio cum Augustino Carthagine) *vt ipse nobis de Sacrosancto hoc libro propter ignaros aliquid certius rescripsisset*, scilicet prope finem anni 417, quo anno sub Mense Octobri vel Nouembri, prædictum plenarium Concilium celebratum ponitur à Natali. Sed, vt pergit Valentinus, *nec hoc patientius accipere voluerunt*, nempe post receptam adhuc ab Euodio Vzalensi Episcopo Epistolam, à contentionibus non quieuerunt, imo turbatiores facti sunt, ex Prædestiniana, vt vidimus, epistola responsiua transmissa ab Euodio, cui vt Episcopo patriæ Vzalensis Flori minus fidebant, eiusdem æmuli Cresconius ac Felix. *Vnde* (subintelligens post hæc sequuta ad finem anni 417, consequenter intelligens de tempore subsequente, seu ad annum 418, ita prosequitur Valentinus.) *Vnde & Sanctum Presbyterum Sabinum ad majorem auctoritatem rogauimus; & ipsius Sanctitas librum cum liquidis interpretationibus legit: Nec sic anima sauciata curata est*: nec sic Cresconius & Felix obsistere dimiserunt, quousque *profectionem*, quam ad Augustinum meditabantur, maturiori resolutione, ac tempore opportuniori susciperent, *quibus*, cum postea anno sequenti profecti sunt, inquit Valentinus posthæc, *propter ipsam pietatem sumptus dedimus, ne vulnera ipsorum cumularemus &c.* postquam scilicet diù per integrum annum 418 eos Abbas detinuerat *à profectione taliter non optata*, (vt Valentinus præmiserat, negans & eisdem suas ad Augustinum litteras, molesteque ferens has sui Monasterij contentiones circa Augustini doctrinam, eidem Augustino innotescere) *ne*, inquit, *dum per dubitantes, & de veritate fluctuan-*

tes scriberemus, de dictis sapientiæ tuæ, quæ est sicut Angeli Dei, dubitare cum dubitantibus videremur. Iuvit proinde hanc eandem Cresconij & Felicis intentam, ad dictum finem, ab Abbate, saltem per integrum annum 418, detentionem, ac moram in Adrumetino Cœnobio, protractamque per eundem annum, assumptam postea, profectionem, quod ijdem ab Abbate, & ab alijs, audirent, occupatissimum eo anno 418 Augustinum fuisse, scilicet post primum plenarium Concilium Africæ celebratum Carthagine anno superiori labente, inde indictum alterum posteriùs pariter plenarium Africanum Concilium, in quod paulo post initium anni 418 Africani Patres confluxerunt, & recognitis omnibus anterioribus gestis contra Pelagium & Cælestium, plenam ad Zozimum instructionem de eisdem miserunt per Marcellinum Subdiaconum delegatū ad eundem Pontificem, (vt colligitur ex Augustino lib. 2. ad Bonifacium Cap. 3.) qui Zozimus tandem 12 Kal. Aprilis rescripsit decretalem contra eosdem Pelagianos, in eodem, vt reor, Concilio Africano (vel perdurante vel recollecto) receptas *tertio Kal. Maias*, post quod terminatum posterius Africanum plenarium Concilium, adiuit Augustinus statim Cæsarçam Mauritaniæ, ibique vsque ad diem 20 Septembris permansit (ex Augustino epistola 157, & libro 2. contra Gaudentium Cap. 6.) præterquamquod hoc eodem anno duos libros de gratia Christi, & de peccato originali, contra Pelagianos mox à Zozimo damnatos (ex lib. 2. retractationum Cap. 50) & libros de origine animæ contra Vincentium Victorem (ex epistola 157) scribere coactus fuit, ac inde hoc integro anno, ob prædictas Augustini absentias, simul & occupationes, facile fuit Valentino obtinere, ne saltem eo anno Cresconius & Felix Augustinum adirent. Sed anno subsequente 419 (quo vsque ad mensem ineuntem Aprilem post Pascha mansisse Augustinum Hippone testatur ipse Augustinus in procemio libri de octo quæstionibus ad Dulcitium) extorserunt continuò, ac tandem ab inuito etiam Valentino Abbate licentiam adeundi Augustinum Hipponem, quò intra Quadragesimam peruenerunt (ex epistola 46 & 47 Augustini) & statim ac immediate post Pascha regressi sunt Adrumetum cum Augustini epistolis præmemoratis, & cum libro de gratia & libero arbitrio ad Adrumetinos, quod est, vti nos volumus, ista ab Augustino hoc eodem anno 419 scripta esse (vt recitatorum hactenus series commonstrat) neque, his stantibus, posse eorundē

scri-

scriptionem tam diù protrahi, vti protrahitur ab Henrico Noris vsque ad annum 424, post antea scriptos & editos (vt ipse supponit) ab eodem Augustino tum libros quatuor ad Bonifacium contra epistolas Pelagianorum, tum sex libros prioris operis contra Iulianum Pelagianum, simul & Enchiridion ad Laurentium, contra hæresim eandem Pelagianam, quos sane omnes libros, si scripsisset antea, mirum esset nec memoratos fuisse ab eodem Augustino in epistola 47 ad Valentinum Adrumeti Abbatem, in qua profitetur adeo sollicite se pro instruendis Adrumetinis, vel simul misisse, vel indicasse legenda, pleraque *scripta aduersus Pelagianos*, vt vix abfuerit, quin ad eosdem miserit *etiam librum Beatissimi Martyris Cypriani de oratione dominica; sed hunc librum*, inquit, *Sancti Cypriani, quia dixerunt* (Cresconius & Felix) *etiam illic apud vos esse, non misimus*, Quomodo ergo illa sua vrgentiora volumina, quæ scripsisset antea, alto adeo silentio præteriuisset? Quis ergo non videt eò probatam hactenus nostram positionem probabiliorem esse, quo nec valida aliqua in aduersum ratiocinatione reprobari posse videtur? An forte ea vix indicata à Noris, & longe fidentius adhibita à Natali, obiectio timeri potest? quod, vt Natalis loquitur pag. 213. *Liber de correptione & gratia ad Adrumetinos ab Augustino conscriptus, peruenerit anno 425 in Gallias, ex epistola Prosperi ad Augustinum*: At, si ex ordine temporis, quo alter aliquis Augustini liber post alterum in aliquam orbis partem aduenit, temporis ordo, quo scripti sint, inferendus esset, & liber de gratia & libero arbitrio, quem constat scriptum fuisse ante hunc alterum de correptione & gratia, vt legitur in Capite 1. huius secundi, in quo primus ille alter liber memoratur, atque supponitur, iam ille primus supponi deberet conscriptus & editus post istum secundum, & secundus ante illum primum, quia eo ipso tempore, quo Prosper ad Augustinum scribebat hunc secundum in Gallias peruenisse, Hilarius eodem tempore scribens ad eundem Augustinum aiebat illum primum non adhuc ad Gallias aduenisse, & vt alia exempla præteream, ipsemet Augustinus epist. 110. fatebatur non se antea vidisse vel audiuisse quendam Nicænum canonem, quem tamen postea agnouit longe anteriori tempore editum extitisse. An tandem à præmissis nos abscedere coget ea altera Henrici Noris obiectio, quod prædictos libros ad Adrumetinos *in fine suorum operum in libris retractationum S. Doctor Augustinus recensuit?* Hanc fateor non con-

temnendam extemplo difficultatem, nec prætereundam eo modo, quo Noris ipse, vbi eam in alia simili re contra se opponebat, præterire visus est, lib. 1. historiæ Pelagianæ cap. 17. pag. 108. hac vna linea respondens: *Licet S. Pater Augustinus Enchiridion post editos libros contra Iulianum locauerit in libris Retractationum, illud tamen scriptum fuisse ante volumen octo quæstionum ad Dulcitium constat:* Augerem quinimo ipse, ne dum contra hanc Noris responsionem, verum & pro Noris in re præsenti difficultatem contra nos, ex verbis Augustini in procemio Retractationum de ordine à se seruando dicentis: *Inueniet fortasse quomodo scribendo profecerim, quisquis opuscula mea ordine, quo scripta sunt, legerit: quod vt possit, hoc opere quantum potuero, curabo vt eundem ordinem nouerit:* eo igitur ordine, quo in libris Retractationum collocata sunt, scripta fuisse Augustini opera censenda sunt. Verum, cum hoc non sit obiectionem dissoluere, sed objicientem vel ad contradictionem, vel ad inconsequentiam deducere, aliunde præstat, & pro ea data alibi à Noris responsione, & pro nostra danda à nobis hic, vnam in re præsenti quarundam vocum ambiguitatem auferre, ac obseruare, aliud esse plerunque Augustinum in libris retractationum seruasse ordinem temporis quoad causas mouentes ipsum ad inchoandam alicuius libri scriptionem, aliud vero plerunque seruasse ordinem temporis, quò libri complete scripti aut editi sunt. Primum vtique ordinem se seruaturum (*quantum potuisset*) spondebat in præadductis ex procemio verbis, non vero de secundo ordine se intellexisse deinde idem ipse explicabat in eodem opere Retractationum, (si non alibi saltem) in libro 2. Cap. 24, vbi cum antea Cap. 14. collocasset vel recensuisset integros libros de Trinitate, & hic recenseret libros super Genesim ad litteram, quos secundos sciebat ante libros de Trinitate à se completos & editos, idcirco præueniens instantiam, cur hoc non obstante istos collocaret post illos, inquit (*hos sanè de Genesi libros posterius cœpi, sed prius terminaui quam de Trinitate: ideo eos nunc ordine, quò cœpi, recolui.*) nec minus ad id ipsum explicandum in subsequente immediate Cap. 25, *antequam,* subdit, *antequam finirem libros de Trinitate, & libros de Genesi ad litteram, irruit causa respondendi litteris Petiliani Donatistæ &c. & scripsi in hanc rem tria volumina,* quæ tamen licet completa, & edita, ante completos, & editos, libros de Trinitate & Genesi, post illos adhuc succenset istos ex ordine *causæ irruentis,* post

quam

quam antea *irruerat causa* inchoandi illos alios, quæ sane est integra explicatio nostra. Causa autem *irruens* aut mouens Augustinum ad inchoandos libros quatuor ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum, sine dubio fuit scriptio duarum epistolarum Iuliani Pelagiani, quas adhuc viuente Zozimo ad annum 418 scriptas esse, testatur idem ipse Iulianus apud Augustinum libro 1. operis imperfecti in eundem Cap. 18 his verbis: *ad Zozimum quondam illius Ciuitatis Episcopum super his quæstionibus duas epistolas destinaui, eo tempore, quo adhuc libros exorsus non eram*; idque animaduertit & Marius Mercator in Commonitorio ad Pintam, seu in subnotationibus in eundem Iulianum; scilicet *post Innocentij Episcopi excessum* cœpisse scribere epistolas Pelagianas &c. quas apposite pro suæ scriptionis causa ad Bonifacium & Augustinus recenset libro 2. retractationum Cap. 61. Causa rursus mouens Augustinum ad scribendum sex libros prioris operis contra Iulianum, absque dubio fuit (vt Capite subsequente 62, idem Augustinus subiungit, & antea tetigerat Capite 53) scriptio quatuor librorum Iuliani cõtra primum librum Augustini de *nuptijs & concupiscentia ad Comitem Valerium*, quæ scriptio à Iuliano (vt ipse mox relatus fatebatur, & clarius repetebat apud Augustinum lib. 1. ad Bonifacium Cap. 5.) suscepta fuit, aut edita etiam, initio Pontificatus Bonifacij succedentis Zozimo obeunti die 26 Decembris anno 418, vnde & in his quatuor libris Iulianus Catholicis obijcit schisma Eulalianũ, quod circa Bonifacii electionem apposite contigit ineunte anno 419. Causa demum mouens Augustinum ad scribendum librum de gratia & libero arbitrio ad Adrumetinos, cum duabus simul epistolis, fuit (ex epistola 46 & 47 ad Valentinum) aduentus Cresconii & Felicis tempore Quadragesimæ, propinquante iam Paschate anno 419, qui alios Adrumeti Monachos de Prædestinianismo accusabant, cum ipsi Semipelagianismo adhærerent; quemadmodum supra art. 2. §. 1. de vtraque hac hæresi inter Adrumetinos exorta iam vidimus, & præobseruauerat Cardinalis Baronius ad annum 418, imo vltro (quod supra obseruandum omisimus) sicuti nos eodem Art. 2. §. 5. dicebamus Cælestinum Pontificem primaria quidem intentione contra Semipelagianos vindicasse ab errore Prædestiniano approbatam Augustini doctrinam, simul tamen secundario ac consequenter reprobasse eundem Prædestinianum errorem, in quo sensu se tandem explicat, & Hincmarrus apud Flodoardum

lib.

lib. 3. Cap. 15, ita & in hoc ſenſu idem Baronius poſteà ad annum 490 dicebat: *Proſperum agentem pro Auguſtini defenſione* (dum à Prædeſtinianis Capitulis Auguſtinum, & ſe ipſum vindicabat) *eos etiam, Prædeſtiniani erroris ſequaces, valide confutaſſe*, tum ſcilicet in reſponſione ad Vincentianas obiectiones, tum in duobus libris de vocatione gentium longe poſteriori tempore editis, & clarius iterum reuellentibus vtramque hæreſim, ſimul Prædeſtinianam, & ne dum Semipelagianam, quos duos libros ſimul forſan cum Carmine de ingratis, (quidquid ſit de Carmine de prouidentia Prædeſtinianis reſpondente,) editos eſſe anno 460 ſub finem Pontificatus Leonis ſignificat Photius Codice 53 poſt relatam Decretalem Leonis ad Septimium Epiſcopum Iſtriæ cõtra Pelagianorum reliquias, ſubdens: *Poſt non diù rurſum veluti exiſtere, atque renaſci è mala radice impudenter cum cæpiſſet, Romæ etiam quidam pro hæreſi libere locuti ſunt, quos Proſper, homo ſane diuinus, libellis aduerſus eos in vulgus editis, facile diſſipauit, etiamnum Leone, quem diximus* (& cui à ſecretis Proſper erat ex Gennadio & Adone, & alijs) *Romanam ſedem gubernante*: quo tempore forſan, præter Pelagianorum reliquias, exoriri ſimul incipiebat iterum hæreſis Prædeſtiniana illius Lucidi correpti poſtmodum, poſt decennium, in Synodo Arelatenſi & Lugdunenſi &c. Conſequenter, cum in hoc ſenſu, de ſecundaria intentione Proſperi, Baronius loqueretur, neceſſe non erat eundem Baronium à Noris libro 2. Cap. 15. reprehendi, quæ nos hic incidenter inſerimus, prætermiſſa ſuperius, & inde ad rem noſtram in præſenti redimus. Cum itaque Auguſtinus, vt probauimus, ordinem cauſarum mouentium, in recenſendis ſuis libris, ſequutus ſit, & cauſa mouens ad ſcribendum ad Adrumetinos, fuerit tempore poſterior, quam cauſa mouens ad ſuſcipiendã ſcriptionem, vel librorum ad Bonifacium, vel prioris operis contra Iulianum, quid mirum, ſi iuxta hunc ordinem Auguſtinus poſuit prius illa duo priora opera ad Bonifacium, & contra Iulianum, & poſtea libros conſcriptos ad Adrumetinos? & tamen iſtos anno 419 poſt Paſcha tranſmiſit, illos vero non niſi inter annum 420, 421, & 423, proſequendo compleuit, ac edidit? quemadmodum omnino libro 2. retract. in prælaudatis Capitibus 14, 24, & 25, & alibi pluries ſe eodem ordine, ac modo, collocaſſe alios libros idem Auguſtinus profeſſus eſt? Quid ergo manet, niſi vt nulla alia manente aduerſariorum obiectione permaneat & noſtra Chronologica ſeries,

quam

quam & alios sequendo prosequuti sumus, & videat Lector vt præmittebam, & huiusmodi alias, si quæ occurrerint, contra superius posita obiectiones, posse à veritatis studioso non operose dissolui?

§. SEXTVS.

Corollaria quædam ex perpensis hactenus inferuntur, ac nostræ lucubrationis vtilitas indicatur.

EX hoc demum Prædestinati opere, & nostro eiusdem examine, non pauca nec inutilia nunc veniunt Corollaria inferenda. Primum illudque pręcipuum est existentia realis, ac series antiquæ hæresis Prædestinianæ, quam & hic Auctor Prædestinati vltimo loco post Nestorianam nominabat. Hæc enim primo inchoata in Africa in Adrumetino Cænobio mox ante annũ 417, serpere exinde cæpit in contiguas aliquas eiusdem Africæ partes, vt ex recitatis à nobis supra quampluribus etiam Augustini attestationibus declaratum est. Inde post medium eiusdem sæculi quinti in Gallias deriuari cæpit, in eamque incidit Lucidus ille, cuius Prædestinianos errores proscriptos ad annum 475 in Cōcilio Prouinciali Arelatensi, ac Lugudunensi, recenset Faustus Rhegiensis in epistola, quę tomo 8. Bibliothecæ adhuc legitur ante duos eiusdem Fausti libros de libero arbitrio, tueturque integram huius eiusdem historiæ veritatem ex nostris etiam, præter Natalem Alexandrum, nouissime Eminentissimus Capisucchius in Appendice de hæreticis Prædestinianis ar. 1. §. 3, 4, & 5. per integrum, vt nihil aliud accuratissimo eiusdem examini superfit addendum. Intra sæculum subsequens sextum, ante annum 540, Ennodius Ticinensis Episcopus libro 2. Epistolarum epistola 19 scribens ad Constantium, in Liguria morantem, agit de quodam homine ibidem Prædestiniano inter cætera dicens, *vt scriptione testamini, inuentus est homo &c. asserens de arbitrij libertate homini in vna tantum parte, quæ deterior est* (scilicet ad malum seu ad peccandum) *eligendi datam esse licentiam. Ob schismaticam propositionem, quæ iuxta Apocalypsin scriptas habet in fronte blasphemias!* Et prosequitur robuste ex scripturis & Catholice eandem hæresim improbare, subinferens ex dicta propositione etiam hunc *intelligere referri in Deum, quod mali pereant, quos gratia noluit diuina liberare. Video*, inquit, *quò se toxica Libica pestis* *exten-*

extendant, forsan quia & ipse audiuerat mox anteriori ante ipsum sęculo quinto hanc hæresim primo in Africa natam scil. Adrumeti, quod & Plinius lib. 5. historiæ naturalis Cap. 4. inter *Libyphænicia oppida libera Adrumetum* nominat, & numerat post *Leptim* & ante *Ruspinam & Thapsum*, indeque Ennodius hanc hæresim Prædestinianam *Libicam pestem* appellauit, vt reor, quam, & in Liguriam vsque sua *toxica extendisse*, dicebat. Nec minus scribens ante medium huius eiusdem sæculi sexti D. Fulgentius Ruspensis Episcopus in eadem Libyphęnicia, quæ & *Bizacena* vocatur, ex eodem Plinio ibidem, dum in Sardinia cum socijs Bizacenis Episcopis exularet (ex Auctore vitæ eiusdem Cap. 28.) respondens ad Monimum in libro 1. indicat eundem Monimum Afrum in eundem Prædestinianum errorem inclinasse, dum non solum per totum eum librum primum Prædestinianismum impugnat, verum etiam Cap. 3. ex eodem Monimo refert dubitationem circa hoc dictum, *genus tale esse hominum, quod non faciat bonum, illudque esse Prædestinatum ad interitum*, & paulo post: *Prædestinationem non tantum in bono dici, sed etiam in malo:* & clarius hinc idem Fulgentius lib. 2. de veritate prædestinationis Cap. 2. subdebat. *Plerosque nouimus, in quæstione gratiæ Dei & humani arbitrij, non tenere discretionem, sed ita vnum asserere, vt alterum nitantur auferre*; scilicet vel auferendo gratiam, vt Semipelagiani præsumebant, vel negando libertatem arbitrij, vt Prædestiniani aliqui adhuc tunc temporis aberrabant, contra quos secundos idcirco ibidem per subsequentia sex integra capita, vti & libro 3. per plura ab initio capita, dimicat idem Fulgentius, eosque prosternit, vt legenti patebit. Intra sæculum deinde nonum hanc hæresim Prædestinianam exsuscitauit iterum girouagus ille Monachus Gottescalchus damnatus (vrgente Hincmarro Rhemensi Archiepiscopo) in duplici Synodo Prouinciali, Moguntina scilicet ad annum 848 & Causiaca ad annum 849, consentientibus in eandē damnationem Rabano Mauro, & Amolone Archiepiscopo Lugdunensi, simul cum Hincmarro Archiepiscopo Rhemensi, licet quoad quæstionem facti dissidentibus aliquo modo in fauorem Gotteschalchi Sancto Remigio Lugdunensi, Sancto Prudentio Episcopo Tricassino, Ratramno Monacho, & Lupo Ferrariensi, de quo post Natalem Alexandrum contra quosdam Gotteschalchi Apologistas, legi potest accuratissime scribens idem Eminentissimus Capilucchius in eadem Appendice ar. 2. per quin-

que

que subsequentes paragraphos. Intra seculum vndecimum D. Anselmus Cantuariensis lib. de concordia Prædestinationis & gratiæ Cap. 3. indigitat iterum suo tempore adfuisse aliquos huius Prædestiniani furfuris homines, dum inquit. *Sunt & nostro tempore multi, qui liberum arbitrium esse aliquid penitus desperant*, passimque contra eosdem simul, & contra Semipelagianum errorem suas dirigit disputationes. Intra sęculum quintum decimum postea effrontissime, sub mentito Augustini pallio, eandem hæresim Prædestinianam Ioannes Vvicleffus tutatus est, inde etiam in Concilio Cōstantiensi damnatus, & antea à Thoma Vvaldensi vberrima disputatione contritus. Intra sæculum sextum decimum eandem reuocauit ab inferis hæresim (cum tot aliis antiquorum hæreticorum dogmatibus) cum Luthero Caluinus, atque ad eiusdem sæculi finem (quod mox ante nostrum elapsum est) Michael Baius, & si ab aliis Caluini hæresibus abstinuerit, in hanc tamen Prædestinianam & ipse sub larua iterum doctrinæ Augustini prolapsus est, in Bulla B. Pij V. (ex nostro ordine assumpti) & Gregorii XIII. proscriptus. Demum præsenti hoc nostro sæculo, postremus, qui ad auras reuocauit eandem veterum Prædestinianorum hæresim, Iansenius Episcopus Iprensis fuit, vt ex decretis Innocentii X. & Alexandri VII. extantibusque eiusdem operibus notum est. Hæc, non chimericæ, sed realis in Orbe, perantiquæ hæresis Prædestinianæ series distincta est, vt mirari nunc subeat de incautis, ne pertinacibus dicam, quibusdam Iansenii Apologistis, qui patentem adeo veritatem aut non videbant, aut simulabant se non videre, obfirmate asserentes antiquitus solum hoc probroso Prædestinianorum nomine fuisse veros ac Sanctos Augustini discipulos diffamatos.

Secundo vtique tamen hinc veniunt reuincendi ac reijciēdi pauci quidam alii, qui forsan ex præexpenso a nobis Prædestinati opere, vel prius ipsi decepti, vel volentes decipere alios, ausi sunt hanc vere realem Prædestinianorum hæresim falso deinde imputare etiā antiquis Sanctis eiusdem Augustini discipulis. Sic enim in primis, ac cæteris impudentior, occurrit ille insignis Apostata Marcus Antonius de Dominis, agnomine Spalatensis, qui lib. 7. de Republica, & lib. 11. Cap. 10. ad finem superioris sæculi, hinc non erubuit scribere, *in Augustini doctrina contineri errores damnatos in Concilio Arelatensi & Lugdunensi*, scilicet Lucidi ibidem proscripti, vt antea diximus. Sic denuo Bail Parisiensis tomo 2. Summæ Concilio-

rum pag. 160 ex hoc eodem fortasse opusculo Prædestinati, à se viso tunc edito à Sirmundo, subintulit, *hanc hæresim incapisse sub finem vitæ Cælestini & Augustini circa annum* 430, quo anno supponit apparere Gallos contra Augustini doctrinam indiculum illum errorum Prædestinianorum evulgasse, *quod*, inquit, *alij dicti Prædestiniani non ferentes, cum bene affecti essent in D. Augustinum, dogmata illa, quæ illi Massilienses improperabant, cœperunt sine debito ac sufficienti examine (an vere essent Augustini) defendere, vt illius causam susciperent &c.* Hæc ille, ex quibus apparet & eum supponere totum verum esse, quod fingit (vt vidimus) impostor hic scriptor operis Prædestinati, tunc temporis Augustini discipulos, contra quos hic Auctor Semipelagianus scribebat (scilicet Hilarium & Prosperum) vere sibi prædestinianam hæresim affricuisse. Ita pariter & sæculo 9. Ioannes ille Erigena Scotus tot disseminator errorum (quos D. Prudentius contra eundem detexit) in suo Quadruvio conueniens cum Hincmarro cõtra Gottescalchum cap. 4. ex eodem opere Prædestinati (quod Hincmarrus habebat) intulit duas antiquitus fuisse hæreses, scilicet *illam, quæ dicitur Pelagiana, & illam, quæ ei repugnabat, quarum vna* (inquiebat) *dono gratiæ derogabat, altera libertatem arbitrij condemnabat &c.* supponebat proinde, vti & Auctor Prædestinati fingebat, Augustini discipulos impugnantes Pelagianam sectam, induxisse nouam aliam hæreticam *Sectam* Pelagianæ *contrariam*, vt ille Scotus loquebatur, quod recte vidit, acriterque damnauit, seu reprobauit, Diu: Prudentius Episcopus Tricassinus in tractatu de Prædestinatione contra eundem Scotum Capite 4. eodem seculo 9. scribens, ac dicens: *Diu de hac* (secunda secta Pelagianæ contraria) *cogitanti, & ancipiti sententia fluctuanti, mihi nihil aliud in ea te expressisse occurrit, nisi quod in hac, &c. omnibus Catholicis, qui nos iam in Domino præcesserunt* (scilicet & Sancti Augustini discipulis) *obliquè derogare volueris, qui omnes vna prorsus, concordique sententia ita donum gratiæ prædicabant, vel prædicant, vt absque eo dono libertatem arbitrij ad bonos conatus nihil valere confirment.* Similiter Iacobus ipse Sirmundus, qui primus hoc opusculum adinuenit, & edidit, eadem de causa fortasse deceptus, in historia Prædestiniana Cap. 8. loquens de Patribus illis Aphricanis seu Bizacenis sexto sæculo 11. Sardinia exulantibus (inter quos probe sciebat D. Fulgentium adfuisse, imo eorundem præcipuũ extitisse, qui aliorum nomi-

ne

ne epistolas exarabat & libros, vt testatur contemporaneus Auctor vitæ Fulgentii in eodem tomo 9. legendus) de his, inquam, Patribus Africanis loquens damnantibus vel nominantibus damnatos Fausti libros in sua Synodica Epistola, ideo Sirmundus de eisdem aiebat: *Difficile non fuisse condemnationem librorum Fausti Rhegiensis sperare ab Afris illis Episcopis, apud quos nata Prædestinianorum hæresis in multorum adhuc mentibus hærebat*. Sic ipse Sirmundus imponens & veris & Sanctis Augustini discipulis eandem hæresim Prædestinianam, quæ sane non scripsisset, vt puto, si melius attendere voluisset eorundem Patrum Africanorum verba in eadem epistola Synodica, quæ legitur inter Fulgentii opera tomo 9. Bibliothecæ pag. 230, in quibus imo Prædestinianam hæresim manifeste repellebant simul & Semipelagianam, aientes. *Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia saluari hominem, illi autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit & elaborauerit, saluus esse non poterit: digne vtrumque tenetur, si rectus ordo seruetur diuinæ misericordiæ & voluntatis humanæ, vt illa praueniat, hæc sequatur &c.* & paulo post. *Illud etiam quod vos dicitis. Dominus est enim, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: illi autem dicunt: si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis; Si vtrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia & libero arbitrio quæstio remanebit &c*, vt explicare etiam ex scripturis prosequuntur. Immerito igitur his Africanis Episcopis cum D. Fulgentio Prædestinianus error à Sirmundo attribuitur, ex eo præcise, quod & hæresim Prædestinianam natam in Africa inuenisset, & hoc opus Prædestinati reperisset, in quo scriptor Semipelagianus Augustini discipulos de Prædestiniano eodem errore accusabat; Cui tamen impostori non debuisset Sirmundus fidere, vt nimis fidisse videtur, dum in breui præfatione præfixa ad idem opusculum idem Sirmundus sic extollit & laudat scriptorem eundem Semipelagianum dicens: *Auctorem damus, cuius iudicium recentiores, si verum amant, aspernari nolint, & aduersus quem præscribere vel excipere non liceat. Eccui enim vel notiores Prædestinati, vel perspecta magis eorum dogmata potuerunt esse, quam homini huic, qui cum illis assidue versabatur, cum eisdem manus sæpe conserebat, quem vnum illi præ omnibus refugiebant, & reformidabant aduersarium*. Ita Sirmundus, ideo Semipelagianum putentissimum laudans, eiusque narrationibus fidens, quia præteriuit, vel intus in cute scriptorem

detegere, vel agnoscere eos, contra quos iste scribebat, fuisse Sanctos Augustini discipulos, scilicet Hilarium, & Prosperum, vt supra à nobis res tota delaruata est.

Tertio ex hoc eodem opere Prædestinati referente Prædestinianorum errores facile erit eosdem adhuc magis distinctè cognoscere, quam breuius refererentur vel in epist. Fausti ad Lucidum, vel in libello emendationis eiusdem Lucidi de mandato Arelatensis Concilij, vel in Gennadio Massiliensi libro de hæresibus in hæresi Prædestiniana, vel in Hincmarro Archiepiscopo Rhemensi in epistola ad Nicolaum Papam, vel in cæteris eiusmodi locis. In hoc enim Prædestinati opere distinctè cognoscimus hos Prædestinianorum errores fuisse, scilicet Deum prædestinasse homines etiam ad peccatum; Deum non velle omnes homines saluos fieri; Christum Dominum non pro omnibus hominibus mortuum esse: homines per gratiam trahi etiam inuitos ad salutem; stante prædestinatione vel gratia consensum hominis posse vtique esse spontaneum & voluntarium, non tamen liberum, seu esse liberum à coactione non a necessitate: & demum semel Prædestinatos (vti & reprobos respectiue) in vanum orare vel petere, & de sua salute sollicitos esse. Hi omnes in hoc opere Prædestinianorum errores referuntur, à quibus omnibus & singulis quam procul exulet non solum Diu: Augustini doctrina, verum & integra schola S. Thomæ, iam sufficienter à nobis in lib. *6.* de Approbatione q. *3.* & *4.* demonstratum est; quod iterum ex relatione huius Auctoris Operis Prædestinati euidentissimè roboratur. Nemo enim dubitare potest Scholam S. Thomæ magis sincere adhærere doctrinæ S. Patris Augustini, quam alij, qui auctoritatem eiusdem eleuare vellent, vt conati sunt, si liceret eisdem: Doctrina autem Augustini in legitimis eiusdem libris à Cælestino approbata fuit, & simul reprobatus Prædestinianum errorem redolens Euodij libellus. Qui adhæret igitur vere ac sincere Augustini doctrinæ procul est ab errore Prædestiniano, vel à suspicione de eodem, iuxta Cælestini iudicantis decretum (vt ab hoc Auctore refertur.) Nemo igitur dubitare queit S. Thomæ scholam, iuxta hoc Cælestini decretum, ac veritatem, procul abesse à suspicione quacunque de imputato Prædestinianismo, vt videas etiam quam semper Apostolica Sedes vere *columna veritatis* fuerit, quæ & tunc inspirante numine sciuit discernere inter Augustini doctrinam (& si Massiliensibus duriuscula videretur) & Prædestinianum errorem.

Quarto

Quarto ex eodem Semipelagiano scriptore huius operis Prædestinati roborari potest, quod ex proposito ostendebamus lib. 5. de approbatione q. 3. ar. 3. §. 6. per totum, scilicet aliquos saltem Semipelagianos adhuc ad singulos actus naturales initiantes ordinem gratiæ admisisse gratiam excitantem internam determinabilem: tamen pro libito voluntatum se discernentium, & se determinantium in actum secundum ex solis naturæ viribus post eam gratiam excitantem se habentem tantummodo quoad actum primum. Hoc, inquam, totum ex hoc Semipelagiano scriptore firmatur, qui in suo libro 3. vt explicaret, quomodo in consecutione Sacramenti Baptismi, vel Sacramenti Pœnitentiæ, ipse in hoc ordine *priorem diceret voluntatem quam gratiam*; idcirco inquit. *In his antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Hanc ipsam rursus voluntatem hominis dicimus quomodo antecedat gratia Dei, quia non haberet homo hoc ipsum velle, nisi Vnigenitus nobis de Cælo veniens omnibus officinam sua gratia reserasset: & hoc ordine præcedit gratia Dei voluntatem hominis &c. Hoc loco eum, qui dicit, antecedit voluntas hominis gratiam Dei, execramur vehementer. Sic tamen execramur, vt dicamus, iam ex tempore passionis, & resurrectionis, quo iam gratia in mundo diffusa est, & in gremio Ecclesiæ hæc omnia dona diuinæ gratiæ collocata sunt, qui non cucurrerit ad ista tanta dona Dei, & ipse non vadens ad Ecclesiam Dei, expectet vt ad ipsum veniat Ecclesia Dei, dicimus hunc insanum &c. Velle enim nostrum non exclusit gratia, sed incitauit, & dormientem quotidie excitat voluntatem &c. Venite: Hic sermo Dei anticipat venientem. Petite: Hic sermo anticipat petiturum. Quærite: Hic sermo anticipat quæsiturum. Pulsate: Hic sermo anticipat pulsaturum. Si quæsierit homo & inuenerit, gratia Dei est, quia Deus incitauit, vt quæreres, Deus fecit vt inuenires. Si non quæsieris, nec inuenies, hoc liberi arbitrij tui est &c. Deus & per Prophetas, & per se, & per Apostolos suos quotidie te inuitat vt velis, si volueris & audieris, quæ bona sunt terræ illius, æterna suscipies.* Et post hæc, quæ aliquis intelligere posset de sola gratia excitante externa, clarius infra, vt hanc suspicionem euaderet, ideo & de gratia excitante interna ita prosequitur. *Et ne forte fluctuantem te in isto loco videar reliquisse; qui omne bonum gratiæ tribuis, non mecum laboras. Non solum enim tunc dicam antecessisse gratiam, cum Deus adiungi homini non dedignatus, nobis non petentibus, venire dignatus est: Sed & vsque hodie antecedit voluntas Dei volun-*

dium, inter quos duos homines sane prædicta certa lex non supponitur, præter alias, quæ afferri possent, disparitates inter Deum donantem homini gratiam, & hominem diuitem donantem egeno diuitias, quod à Deo tanquam ab omnium causa omnia omnino nostra bona sunt, *& preparatur & ipsa voluntas*, & Deus *operatur in nobis & velle pro bona voluntate*, non sic autem homo diues in homine egeno &c, de quibus alibi tractari solet. Nobis enim hoc loco sufficit admonere, quam caute in hac materia de quibusdam etiam repetentibus illud Apostoli, (*quid habes quod non accepisti*) & profitentibus etiam se totum concedere gratiæ, licet non in omnibus, nec in vero sensu Sanctorum discipulorum Augustini consentiant, quam caute, inquam, de sic loquentibus, sed alio modo sentientibus, iudicandum sit.

Sexto ex eodem colligendum est, quomodo veteres Semipelagiani ab Augustini doctrina discedentes, iuxta varias temporũ conditiones varias pugnandi artes aduersus Augustini discipulos callidissime immutarint. Primo enim vix mortuo Sancto Doctore Galli in suis Gallorum Capitulis ipsimet etiam Augustino impudentissime Prædestinianos errores imposuerunt. Secũdo post Pontificiam Cælestini approbationem in Augustini doctrinam, hic Auctor Prædestinati, non Augustino amplius, sed eiusdem discipulis anno 434 eandem importauit calumniam, velut Semipelagiani, & subtilius intelligerent, & sectarentur sincerius, Augustini doctrinã, quam Hilarius, & Prosper. Tertio Faustus postea ad annum 475 videns ingenue suam doctrinam repugnare Augustino, inde in epistola ad Græcum Diaconum, ad primum effugium regressus est, de Augustini doctrina repetens, *in ea aliquid reperiri, quod apud doctissimos viros suspectum esset*, vti postea similia scripsit & Massiliensis Gennadius in libro de scriptoribus in Augustino legẽdus. Quod an modo in recentioribus quibusdam minus obseruantibus Augustini doctrinam experti simus, aliorum iudicio relinquimus. Sane ante alios quosdam, ad finem sæculi superioris scribens Apostata ille Spalatensis lib. 7. de republica & lib. 11. Cap. 10. non est veritus dicere *in Augustini doctrina contineri errores damnatos in Concilio Arelatensi, & Lugdunensi*, scilicet Prædestinianos Lucidi errores damnatos ibidem. Et inde anno 1587 alter, quem nominat Lemos tomo 2. tract. vltimo Cap. 5. num. 8, in assertione 10. aiebat, *dictum Augustini non esse vniuersaliter verum*, in assertione 12, *quod*

dicit

dicit Augustinus &c. valde improprie dici, & in assertione 2, *quod si in hac de prædestinatione materia contraria est sententia Augustini, non admodum refert &c*; vt omittam alterum eodem fere tempore scribentem, ex cuius Concordia Antuerpiensis editionis integra periodus irreuerentior in Augustinum postmodum merito expuncta fuit. Secundò deinde post auditum Clementem VIII. in oratione solemniter habita statuentem *adstringendam totam eam Romæ disputationem ad normam doctrinæ S. Augustini de gratia*, duo illi contra Lemos disputantes ibidem professi sunt se doctrinam suam ad normam Augustini defendere, vbi & cæteris doctior Suarez ad initium huius sæculi scribens eandem saltem statutam methodum modestissime imitatus est. Sed tertio tandem ad medium huiusce sæculi non defuerunt, qui in primam reuertentes viam, minus iterum reuerenter (ne quid amplius dicam) de Augustini doctrina obloquuti sunt, cui suam forsan post tot disputationum examen nõ conuenire agnoscebant, vt, inter cætera ad hoc exempla, legi possunt apud Ioannem Riccium lib. 4. de vita Augustini Cap. 10. Theses in Hispania proscriptæ ad annum 1650, quæ nos præterimus potius sic breuiter (id aliorum iudicio linquentes) quam Auctorum nomina referamus.

Septimo ex hoc eodem Auctore operis Prædestinati didicimus, quam proni semper ac faciles fuerint illi Semipelagiani ad procudenda ac promouenda mendacia, dum Euodij epistolam ob deceptionem iam supra descriptam ab imperitis aliquibus creditam Augustini, continuo hic mendaciorum faber fabulatus est ab Hilario & Prospero scriptam fuisse, & sub falso Augustini nomine divulgatam, dicens, *duos hos homonciones cæcum habentes cor sua vanitate conscripsisse hunc librum & sub nomine Augustini hunc librum Apostaticum edidisse, quem licet à Cælestino damnatum silentio, clanculo per domos mulierculis darent lectitandum, nec quidem dijudicandum sed in modum simboli credendum, & varias insuper epistolas protulisse, quas memorati Hipponensis Episcopi esse fingebant*. Sic egregius hic artifex calumniarum, ac mendaciorum, quemadmodum & cæteri tunc Semipelagiani mendaciorum se defensores ac promotores prodebant, tum scilicet Cassianus Collatione 17. Cap. 17. dicens, *quandoque licitum esse mentiri, quandoque mendacium fieri salubre, quosdam etiam per mendacium iustificari &c*, tum Faustus eorundem Choriphæus lib. 2. de libero arbitrio Cap. vltimo

lib. 3. Cap. 15, ita & in hoc sensu idem Baronius postea ad annum 490 dicebat: *Prosperum agentem pro Augustini defensione* (dum à Prædestinianis Capitulis Augustinum, & se ipsum vindicabat) *eos etiam, Prædestiniani erroris sequaces, valide confutasse*, tum scilicet in responsione ad Vincentianas obiectiones, tum in duobus libris de vocatione gentium longe posteriori tempore editis, & clarius iterum reuellentibus vtramque hæresim, simul Prædestinianam, & ne dum Semipelagianam, quos duos libros simul forsan cum Carmine de ingratis, (quidquid sit de Carmine de prouidentia Prædestinianis respondente,) editos esse anno 460 sub finem Pontificatus Leonis significat Photius Codice 53 post relatam Decretalem Leonis ad Septimium Episcopum Istriæ cōtra Pelagianorum reliquias, subdens: *Post non diù rursum veluti existere, atque renasci è mala radice impudenter cum capisset, Romæ etiam quidam pro hæresi libere locuti sunt, quos Prosper, homo sane diuinus, libellis aduersus eos in vulgus editis, facile dissipauit, etiamnum Leone, quem diximus* (& cui à secretis Prosper erat ex Gennadio & Adone, & alijs) *Romanam sedem gubernante*: quo tempore forsan, præter Pelagianorum reliquias, exoriri simul incipiebat iterum hæresis Prædestiniana illius Lucidi correpti postmodum, post decennium, in Synodo Arelatensi & Lugdunensi &c. Consequenter, cum in hoc sensu, de secundaria intentione Prosperi, Baronius loqueretur, necesse non erat eundem Baronium à Noris libro 2. Cap. 15. reprehendi, quæ nos hic incidenter inserimus, prætermissa superius, & inde ad rem nostram in præsenti redimus. Cum itaque Augustinus, vt probauimus, ordinem causarum mouentium, in recensendis suis libris, sequutus sit, & causa mouens ad scribendum ad Adrumetinos, fuerit tempore posterior, quam causa mouens ad suscipiendā scriptionem, vel librorum ad Bonifacium, vel prioris operis contra Iulianum, quid mirum, si iuxta hunc ordinem Augustinus posuit prius illa duo priora opera ad Bonifacium, & contra Iulianum, & postea libros conscriptos ad Adrumetinos? & tamen istos anno 419 post Pascha transmisit, illos vero non nisi inter annum 420, 421, & 423, prosequendo compleuit, ac edidit? quemadmodum omnino libro 2. retract. in prælaudatis Capitibus 14, 24, & 25, & alibi pluries se eodem ordine, ac modo, collocasse alios libros idem Augustinus professus est? Quid ergo manet, nisi vt nulla alia manente aduersariorum obiectione permaneat & nostra Chronologica series,

quam

quam & alios sequendo prosequuti sumus, & videat Lector vt præmittebam, & huiusmodi alias, si quæ occurrerint, contra superius posita obiectiones, posse à veritatis studioso non operose dissolui?

§. SEXTVS.

Corollaria quædam ex perpensis hactenus inferuntur, ac nostræ lucubrationis vtilitas indicatur.

EX hoc demum Prædestinati opere, & nostro eiusdem examine, non pauca nec inutilia nunc veniunt Corollaria inferenda. Primum illudque pręcipuum est existentia realis, ac series antiquæ hæresis Prædestinianæ, quam & hic Auctor Prædestinati vltimo loco post Nestorianam nominabat. Hæc enim primo inchoata in Africa in Adrumetino Cænobio mox ante annũ 417, serpere exinde cæpit in contiguas aliquas eiusdem Africæ partes, vt ex recitatis à nobis supra quampluribus etiam Augustini attestationibus declaratum est. Inde post medium eiusdem sæculi quinti in Gallias deriuari cæpit, in eamque incidit Lucidus ille, cuius Prædestinianos errores proscriptos ad annum 475 in Cõcilio Prouinciali Arelatensi, ac Lugudunensi, recenset Faustus Rhegiensis in epistola, quę tomo 8. Bibliothecæ adhuc legitur ante duos eiusdem Fausti libros de libero arbitrio, tueturque integram huius eiusdem historiæ veritatem ex nostris etiam, præter Natalem Alexandrum, nouissime Eminentissimus Capisucchius in Appendice de hæreticis Prædestinianis ar. 1. §. 3, 4, & 5. per integrum, vt nihil aliud accuratissimo eiusdem examini supersit addendum. Intra sæculum subsequens sextum, ante annum 540, Ennodius Ticinensis Episcopus libro 2. Epistolarum epistola 19 scribens ad Constantium, in Liguria morantem, agit de quodam homine ibidem Prædestiniano inter cætera dicens, *vt scriptione testamini, inuentus est homo &c. asserens de arbitrij libertate homini in vna tantum parte, quæ deterior est* (scilicet ad malum seu ad peccandum) *eligendi datam esse licentiam. Ob schismaticam propositionem, quæ iuxta Apocalypsin scriptas habet in fronte blasphemias!* Et prosequitur robuste ex scripturis & Catholice eandem hæresim improbare, subinferens ex dicta propositione etiam hunc *intelligere referri in Deum, quod mali pereant, quos gratia noluit diuina liberare. Video*, inquit, *quò se toxica Libica pestis exten-*

extendant; forsan quia & ipse audiuerat mox anteriori ante ipsum sęculo quinto hanc hæresim primo in Africa natam scil. Adrumeti, quod & Plinius lib. 5. historiæ naturalis Cap. 4. inter *Libyphænicia oppida libera Adrumetum* nominat, & numerat post *Leptim* & ante *Ruspinam & Thapsum*, indeque Ennodius hanc hæresim Prædestinianam *Libicam pestem* appellauit, vt reor, quam, & in Liguriam vsque sua *toxica extendisse*, dicebat. Nec minus scribens ante medium huius eiusdem sæculi sexti D. Fulgentius Ruspensis Episcopus in eadem Libyphęnicia, quæ & *Bizacena* vocatur, ex eodem Plinio ibidem, dum in Sardinia cum socijs Bizacenis Episcopis exularet (ex Auctore vitæ eiusdem Cap. 28.) respondens ad Monimum in libro 1. indicat eundem Monimum Afrum in eundem Prædestinianum errorem inclinasse, dum non solum per totum eum librum primum Prædestinianismum impugnat, verum etiam Cap. 3. ex eodem Monimo refert dubitationem circa hoc dictum, *genus tale esse hominum, quod non faciat bonum, illudque esse Prædestinatum ad interitum*, & paulo post: *Prædestinationem non tantum in bono dici, sed etiam in malo:* & clarius hinc idem Fulgentius lib. 2. de veritate prædestinationis Cap. 2. subdebat. *Plerosque nouimus, in quæstione gratiæ Dei & humani arbitrij, non tenere discretionem, sed ita vnum asserere, vt alterum nitantur auferre*; scilicet vel auferendo gratiam, vt Semipelagiani præsumebant, vel negando libertatem arbitrij, vt Prædestiniani aliqui adhuc tunc temporis aberrabant, contra quos secundos idcirco ibidem per subsequentia sex integra capita, vti & libro 3. per plura ab initio capita, dimicat idem Fulgentius, eosque prosternit, vt legenti patebit. Intra sæculum deinde nonum hanc hæresim Prædestinianam exsuscitauit iterum girouagus ille Monachus Gottescalchus damnatus (vrgente Hincmarro Rhemensi Archiepiscopo) in duplici Synodo Prouinciali, Moguntina scilicet ad annum 848 & Causiaca ad annum 849, consentientibus in eandē damnationem Rabano Mauro, & Amolone Archiepiscopo Lugdunensi, simul cum Hincmarro Archiepiscopo Rhemensi, licet quoad quæstionem facti dissidentibus aliquo modo in fauorem Gotteschalchi Sancto Remigio Lugdunensi, Sancto Prudentio Episcopo Tricassino, Ratramno Monacho, & Lupo Ferrariensi, de quo post Natalem Alexandrum contra quosdam Gotteschalchi Apologistas, legi potest accuratissime scribens idem Eminentissimus Capilucchius in eadem Appendice ar. 2. per quinque

que

que subsequentes paragraphos. Intra seculum vndecimum D. Anselmus Cantuariensis lib. de concordia Prædestinationis & gratiæ Cap. 3. indigitat iterum suo tempore adfuisse aliquos huius Prædestiniani furfuris homines, dum inquit. *Sunt & nostro tempore multi, qui liberum arbitrium esse aliquid penitus desperant*, passimque contra eosdem simul, & contra Semipelagianum errorem suas dirigit disputationes. Intra sæculum quintum decimum postea effrontissime, sub mentito Augustini pallio, eandem hæresim Prædestinianam Ioannes Vvicleffus tutatus est, inde etiam in Concilio Cōstantiensi damnatus, & antea à Thoma Vvaldensi vberrima disputatione contritus. Intra sæculum sextum decimum eandem reuocauit ab inferis hæresim (cum tot aliis antiquorum hæreticorum dogmatibus) cum Luthero Caluinus, atque ad eiusdem sæculi finem (quod mox ante nostrum elapsum est) Michael Baius, & si ab aliis Caluini hæresibus abstinuerit, in hanc tamen Prædestinianam & ipse sub larua iterum doctrinæ Augustini prolapsus est, in Bulla B. Pij V. (ex nostro ordine assumpti) & Gregorii XIII. proscriptus. Demum præsenti hoc nostro sæculo, postremus, qui ad auras reuocauit eandem veterum Prædestinianorum hæresim, Iansenius Episcopus Iprensis fuit, vt ex decretis Innocentii X. & Alexandri VII. extantibusque eiusdem operibus notum est. Hæc, non chimericæ, sed realis in Orbe, perantiquæ hæresis Prædestinianæ series distincta est, vt mirari nunc subeat de incautis, ne pertinacibus dicam, quibusdam Iansenii Apologistis, qui patentem adeo veritatem aut non videbant, aut simulabant se non videre, obfirmate asserentes antiquitus solum hoc probroso Prædestinianorum nomine fuisse veros ac Sanctos Augustini discipulos diffamatos.

Secundo vtique tamen hinc veniunt reuincendi ac reijciēdi pauci quidam alii, qui forsan ex præexpenso a nobis Prædestinati opere, vel prius ipsi decepti, vel volentes decipere alios, ausi sunt hanc vere realem Prædestinianorum hæresim falso deinde imputare etiā antiquis Sanctis eiusdem Augustini discipulis. Sic enim in primis, ac cæteris impudentior, occurrit ille insignis Apostata Marcus Antonius de Dominis, agnomine Spalatensis, qui lib. 7. de Republica, & lib. 11. Cap. 10. ad finem superioris sæculi, hinc non erubuit scribere, *in Augustini doctrina contineri errores damnatos in Concilio Arelatensi & Lugdunensi*, scilicet Lucidi ibidem proscripti, vt antea diximus. Sicque quo Bail Parisiensis tomo 2. Summæ Concilio-

rum pag. 160 ex hoc eodem fortasse opusculo Prædestinati, à se viso tunc edito à Sirmundo, subintulit, *hanc hæresim incæpisse sub finem vitæ Cælestini & Augustini circa annum* 430, quo anno supponit apposite Gallos contra Augustini doctrinam indiculum illum errorum Prædestinianorum evulgasse, *quod*, inquit, *alij dicti Prædestiniani non ferentes, cum bene affecti essent in D. Augustinum, dogmata illa, quæ illi Massilienses improperabant, cæperunt sine debito ac sufficienti examine (an vere essent Augustini) defendere, vt illius causam susciperent &c.* Hæc ille, ex quibus apparet & eum supponere totum verum esse, quod fingit (vt vidimus) impostor hic scriptor operis Prædestinati, tunc temporis Augustini discipulos, contra quos hic Auctor Semipelagianus scribebat (scilicet Hilarium & Prosperum) vere sibi prædestinianam hæresim affricuisse. Ita pariter & sæculo 9. Ioannes ille Erigena Scotus tot disseminator errorum (quos D. Prudentius contra eundem detexit) in suo Quadruvio conueniens cum Hincmarro cõtra Gottescalchum cap. 4. ex eodem opere Prædestinati (quod Hincmarrus habebat) intulit duas antiquitus fuisse hæreses, scilicet *illam, quæ dicitur Pelagiana, & illam, quæ ei repugnabat, quarum vna* (inquiebat) *dono gratiæ derogabat, altera libertatem arbitrij condemnabat &c.* supponebat proinde, vti & Auctor Prædestinati fingebat, Augustini discipulos impugnantes Pelagianam sectam, induxisse nouam aliam hæreticam *Sectam* Pelagianæ *contrariam*, vt ille Scotus loquebatur, quod recte vidit, acriterque damnauit, seu reprobauit, Diu: Prudentius Episcopus Tricassinus in tractatu de Prædestinatione contra eundem Scotum Capite 4. eodem seculo 9. scribens, ac dicens: *Diu de hac* (secunda secta Pelagianæ contraria) *cogitanti, & ancipiti sententia fluctuanti, mihi nihil aliud in ea te expressisse occurrit, nisi quod in hac, &c. omnibus Catholicis, qui nos iam in Domino præcesserunt* (scilicet & Sancti Augustini discipulis) *obliquè derogare volueris, qui omnes vna prorsus, concordique sententia ita donum gratiæ prædicabant, vel prædicant, vt absque eo dono libertatem arbitrij ad bonos conatus nihil valere confirment.* Similiter Iacobus ipse Sirmundus, qui primus hoc opusculum adinuenit, & edidit, eadem de causa fortasse deceptus, in historia Prædestiniana Cap. 8. loquens de Patribus illis Aphricanis seu Bizacenis sexto sæculo in Sardinia exulantibus (inter quos probe sciebat D. Fulgentium adfuisse, imo eorundem præcipuũ extitisse, qui aliorum nomine

ne epistolas exarabat & libros, vt testatur contemporaneus Auctor vitæ Fulgentii in eodem tomo 9: legendus) de his, inquam, Patribus Africanis loquens damnantibus vel nominantibus damnatos Fausti libros in sua Synodica Epistola, ideo Sirmundus de eisdem aiebat: *Difficile non fuisse condemnationem librorum Fausti Rhegiensis sperare ab Afris illis Episcopis, apud quos nata Prædestinianorum hæresis in multorum adhuc mentibus hærebat.* Sic ipse Sirmundus imponens & veris & Sanctis Augustini discipulis eandem hæresim Prædestinianam, quæ sane non scripsisset, vt puto, si melius attendere voluisset eorundem Patrum Africanorum verba in eadem epistola Synodica, quæ legitur inter Fulgentii opera tomo 9. Bibliothecæ pag. 230, in quibus imo Prædestinianam hæresim manifeste repellebant simul & Semipelagianam, aientes. *Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia saluari hominem, illi autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit & elaborauerit, saluus esse non poterit: digne vtrumque tenetur, si rectus ordo seruetur diuinæ misericordiæ & voluntatis humanæ, vt illa praueniat, hæc sequatur &c.* & paulo post. *Illud etiam quod vos dicitis. Dominus est enim, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: illi autem dicunt: si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis; Si vtrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia & libero arbitrio quæstio remanebit &c*, vt explicare etiam ex scripturis prosequuntur. Immerito igitur his Africanis Episcopis cum D. Fulgentio Prædestinianus error à Sirmundo attribuitur, ex eo præcise, quod & hæresim Prædestinianam natam in Africa inuenisset, & hoc opus Prædestinati reperisset, in quo scriptor Semipelagianus Augustini discipulos de Prædestiniano eodem errore accusabat; Cui tamen impostori non debuisset Sirmundus fidere, vt nimis fidisse videtur, dum in breui præfatione præfixa ad idem opusculum idem Sirmundus sic extollit & laudat scriptorem eundem Semipelagianum dicens: *Auctorem damus, cuius iudicium recentiores, si verum amant, aspernari nolint, & aduersus quem præscribere vel excipere non liceat. Eccui enim vel notiores Prædestinati, vel perspectæ magis eorum dogmata potuerunt esse, quam homini huic, qui cum illis assidue versabatur, cum eisdem manus sæpe conserebat, quem vnum illi præ omnibus refugiebant, & reformidabant aduersarium.* Ita Sirmundus, ideo Semipelagianum putentissimum laudans, eiusque narrationibus fidens, quia præteriuit, vel intus in cute scriptorem

detegere, vel agnoscere eos, contra quos iste scribebat, fuisse Sanctos Augustini discipulos, scilicet Hilarium, & Prosperum, vt supra à nobis res tota delaruata est.

Tertio ex hoc eodem opere Prædestinati referente Prædestinianorum errores facile erit eosdem adhuc magis distinctè cognoscere, quam breuius refererentur vel in epist. Fausti ad Lucidum, vel in libello emendationis eiusdem Lucidi de mandato Arelatensis Concilij, vel in Gennadio Massiliensi libro de hæresibus in hæresi Prædestiniana, vel in Hincmarro Archiepiscopo Rhemensi in epistola ad Nicolaum Papam, vel in cæteris eiusmodi locis. In hoc enim Prædestinati opere distinctè cognoscimus hos Prædestinianorum errores fuisse, scilicet Deum prædestinasse homines etiam ad peccatum; Deum non velle omnes homines saluos fieri; Christum Dominum non pro omnibus hominibus mortuum esse: homines per gratiam trahi etiam inuitos ad salutem; stante prædestinatione vel gratia consensum hominis posse vtique esse spontaneum & voluntarium, non tamen liberum, seu esse liberum à coactione non à necessitate: & demum semel Prædestinatos (vti & reprobos respectiue) in vanum orare vel petere, & de sua salute sollicitos esse. Hi omnes in hoc opere Prædestinianorum errores referuntur, à quibus omnibus & singulis quam procul exulet non solum Diu: Augustini doctrina, verum & integra schola S. Thomæ, iam sufficienter à nobis in lib. *6.* de Approbatione q. *3.* & 4. demonstratum est; quod iterum ex relatione huius Auctoris Operis Prædestinati euidentissimè roboratur. Nemo enim dubitare potest Scholam S. Thomæ magis sincere adhærere doctrinæ S. Patris Augustini, quam alij, qui auctoritatem eiusdem eleuare vellent, vt conati sunt, si liceret eisdem: Doctrina autem Augustini in legitimis eiusdem libris à Cęlestino approbata fuit, & simul reprobatus Prædestinianum errorem redolens Euodij libellus. Qui adhæret igitur vere ac sincere Augustini doctrinæ procul est ab errore Prædestiniano, vel à suspicione de eodem, iuxta Cælestini iudicantis decretum (vt ab hoc Auctore refertur.) Nemo igitur dubitare queit S. Thomæ scholam, iuxta hoc Cælestini decretum, ac veritatem, procul abesse à suspicione quacunque de imputato Prædestinianismo, vt videas etiam quam semper Apostolica Sedes vere *columna veritatis* fuerit, quæ & tunc inspirante numine sciuit discernere inter Augustini doctrinam (& si Massiliensibus duriuscula videretur) & Prædestinianum errorem.

Quarto

Quarto ex eodem Semipelagiano scriptore huius operis Prædestinati roborari potest, quod ex proposito ostendebamus lib. 5. de approbatione q. 3. ar. 3. §. 6. per totum, scilicet aliquos saltem Semipelagianos adhuc ad singulos actus naturales initiantes ordinem gratiæ admisisse gratiam excitantem internam determinabilem: tamen pro libito voluntatum se discernentium, & se determinantium in actum secundum ex solis naturæ viribus post eam gratiam excitantem se habentem tantummodo quoad actum primum. Hoc, inquam, totum ex hoc Semipelagiano scriptore firmatur, qui in suo libro 3. vt explicaret, quomodo in consecutione Sacramenti Baptismi, vel Sacramenti Penitentiæ, ipse in hoc ordine *priorem diceret voluntatem quam gratiam*; idcirco inquit. *In his antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Hanc ipsam rursus voluntatem hominis dicimus quomodo antecedat gratia Dei, quia non haberet homo hoc ipsum velle, nisi Vnigenitus nobis de Cælo veniens omnibus officinam sua gratia reserasset: & hoc ordine præcedit gratia Dei voluntatem hominis &c. Hoc loco eum, qui dicit, antecedit voluntas hominis gratiam Dei, execramur vehementer. Sic tamen execramur, vt dicamus, iam ex tempore passionis, & resurrectionis, quo iam gratia in mundo diffusa est, & in gremio Ecclesiæ hæc omnia dona diuina gratia collocata sunt, qui non cucurrerit ad ista tanta dona Dei, & ipse non vadens ad Ecclesiam Dei, expectet vt ad ipsum veniat Ecclesia Dei, dicimus hunc insanum &c. Velle enim nostrum non exclusit gratia, sed incitauit, & dormientem quotidie excitat voluntatem &c. Venite: Hic sermo Dei anticipat venientem. Petite: Hic sermo anticipat petiturum. Quærite: Hic sermo anticipat quæsiturum. Pulsate: Hic sermo anticipat pulsaturum. Si quæsierit homo & inuenerit, gratia Dei est, quia Deus incitauit, vt quæreres, Deus fecit vt inuenires. Si non quæsieris, nec inuenies, hoc liberi arbitrij tui est &c. Deus & per Prophetas, & per se, & per Apostolos suos quotidie te inuitat vt velis, si volueris & audieris, quæ bona sunt terræ illius, æterna suscipies.* Et post hæc, quæ aliquis intelligere posset de sola gratia excitante externa, clarius infra, vt hanc suspicionem euaderet, ideo & de gratia excitante interna ita prosequitur. *Et ne forte fluctuantem te in isto loco videar reliquisse; qui omne bonum gratiæ tribuis, non mecum laboras. Non solum enim tunc dicam antecessisse gratiam, cum Deus adiungi homini non dedignatus, nobis non peccantibus, venire dignatus est; Sed & vsque hodie antecedit voluntas Dei volun-*

voluntatem hominis. Vult enim vt saluemur, & nos nolumus. væ autem mihi & mei similibus, quia quotidie antecedit & gratia voluntates nostras &c. & compunctio, & promissio gaudij sempiterni, & terror æterni supplicij. Quotidie ergo præcedit voluntates nostras gratia Dei innumerabilibus plena suffragijs, sed nostra voluntas vniuersa ista Dei dona non sequitur &c. Nos Catholici dicimus. antecedit gratia voluntatem hominum, ostendendo vitam æternam, in qua delectentur, ostendendo incendium sempiternum, in quo terreantur, vt à peccatorum delectationibus reuocentur. Et ad hoc pro similitudine gratiæ nos excitantis affert illud Salomonis. *Amator factus sum formæ illius, & hanc quæsiui mihi adsumere, & currebam post eam.* Et postea subdit. *Non tibi videtur puellam pulcherrimam illicientem videre, & prouocantem amatorem in cursu?* Et prosequitur ex hoc exemplo totam, quam solam ipse cognoscit, vim moralem gratiæ excitantis exponere, in hæc verba concludens. *Ergo est tibi ostensa puella à Patre, scilicet Deo. Ecce gratia Patris antecessit voluntatem tuam. Ecce gratia stimulans pectus, ecce gratia illiciens mentem, ecce gratia excitans dormientem.* Infelix & misera gratiæ huius diuinæ virtus, vt ab isto depingitur, quæ non maius aliquid posset, quamquod sistendo in puellæ exemplo & Dæmon ipse valeret! vt recte contra sic discurrentem obseruauit cum Augustino S. Thomas q. 3. de malo ar. 3. & simul cum Prospero in Collatorem Cap. 30. vbi Cassianum aientem (*inter boni & mali contrarias suasiones hominem propriæ discretioni esse commissum*) hunc redarguendo subiungit, *vt ei*, inquit, *non plus à Deo præsidij, quam à Diabolo sit periculi*. Sed hæc modo transeamus, & satis sit, quod intendimus, ostendisse.

Quinto ex scriptis ab isto eodem Semipelagiano Auctore operis Prædestinati in suo libro 3. discere possumus, quam merito de eadem hæresi Semipelagiana diceret Prosper in carmine de ingratis Cap. 38.

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
respuere, & sola damnatos plectere voce?
Cum paucis squalida sublatis de cute neruis,
Intima viperei foueantur viscera sensus?

nempe & marcidus iste Semipelagianus in suo libro 3. vocetenus quandoque videtur ne dum Pelagianam, verum etiam Semipelagianã hæresim derelinquere, dum inter cætera ait. *Apostolus inquit.*

Quid

Quid habes quod non accepisti? quod si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Ergo cursum suum & voluntatem suam ad hoc extendit, vt acciperet à donante: Donum autem pro gratia donantis supergreditur meritum laborantis. Sic est enim velle nostrum inter nos, & Deum, sicut est inter mendicantem, atque donantem &c. Verbi gratia cucurrit quispiam egenus, & à donante diuitias accepit, acceptisque diuitijs capit esse locuples, qui fuerat egenus & pauper. Quid nunc dicturus est? ego de labore meo diues sum, quia volui, quia cucurri? Non hoc dicit, sed dicit. Ego nihil pro merito voluntatis meæ, aut cursus mei aliquid me habere certus sum: sed eius est totum gratiæ, qui donauit. Et prosequitur id adaptare Deo donanti diuitias gratiæ, & homini accipienti, & locupletato per gratiam, & ex ista explicatione postea infra (quod maius esse videtur, nec expectari potuisse de Semipelagiano scriptore videbatur) rursus versus finem in hoc sensu subiungit. *Hinc instaurata nobis libertate per Christum, vniuersa nostro iure sunt reddita, non natura dominante, vt Pelagius & Calestius deffiniuit, non natura* (repetit) *hominis dominante, sed Christi gratia condonante: Non suis viribus imputando, sed Dei adminiculis præsumendo; non sibi aliquid vsurpando, sed totum Dei gratiæ imputando. Totum, inquam, totum dixi, totum repeto, totum, sed bonum, malum autem ex nostro vitio, ex nostra negligentia, & ex nostra incurrimus voluntate.* Hæc iste, quæ quis audiens, si expenderet solum quæ dicuntur, & non quis esset, qui ista diceret, obseruaret, putaret plane omnia Catholica, & Augustinianę doctrinæ conformia esse; & tamen iste adhuc hæc dicens, sed in suo mox ante præexplicato sensu, non in vero sensu D. Augustini, & Sanctorum discipulorum eiusdem, marcidus Semipelagianus esse non desijt, vt ex contextu totius eiusdem libri 3. res constantissima est, vbi excitantem gratiam, vt mox audiuimus, ab exemplo illicientis puellæ explicabat, eamque solam excitantem, non operantem vel victricem gratiam, agnouit, vt cum Augustino cæterisque Catholicis agnoscere debuisset. Nec rursus debuisset supponere in Deo eam certam legem dandi cuilibet petenti (etiamsi non petenti vt oportet ad salutem) cuilibet, inquam, petenti ex solis viribus naturæ dandi primum auxiliũ supernaturale gratiæ saltem de congruo (licet non de condigno) hanc, inquam, certam legem supponere non debuisset in Deo, si voluisset pro Deo & homine illud suum exemplum valere, de homine egeno ab altero diuite mendicante subsidium,

dium,

dium, inter quos duos homines sane prædicta certa lex non supponitur, præter alias, quæ afferri possent, disparitates inter Deum donantem homini gratiam, & hominem diuitem donantem egeno diuitias, quod à Deo tanquam ab omnium causa omnia omnino nostra bona sunt, *& preparatur & ipsa voluntas*, & Deus *operatur in nobis & velle pro bona voluntate*, non sic autem homo diues in homine egeno &c, de quibus alibi tractari solet. Nobis enim hoc loco sufficit admonere, quam caute in hac materia de quibusdam etiam repetentibus illud Apostoli, (*quid habes quod non accepisti*) & profitentibus etiam se totum concedere gratiæ, licet non in omnibus, nec in vero sensu Sanctorum discipulorum Augustini consentiant, quam caute, inquam, de sic loquentibus, sed alio modo sentientibus, iudicandum sit.

Sexto ex eodem colligendum est, quomodo veteres Semipelagiani ab Augustini doctrina discedentes, iuxta varias temporum conditiones varias pugnandi artes aduersus Augustini discipulos callidissime immutarint. Primo enim vix mortuo Sancto Doctore Galli in suis Gallorum Capitulis ipsimet etiam Augustino impudentissime Prædestinianos errores imposuerunt. Secũdo post Pontificiam Cælestini approbationem in Augustini doctrinam, hic Auctor Prædestinati, non Augustino amplius, sed eiusdem discipulis anno 434 eandem importauit calumniam, velut Semipelagiani, & subtilius intelligerent, & sectarentur sincerius, Augustini doctrinã, quam Hilarius, & Prosper. Tertio Faustus postea ad annum 475 videns ingenue suam doctrinam repugnare Augustino, inde in epistola ad Græcum Diaconum, ad primum effugium regressus est, de Augustini doctrina repetens, *in ea aliquid reperiri, quod apud doctissimos viros suspectum esset*, vti postea similia scripsit & Massiliensis Gennadius in libro de scriptoribus in Augustino legẽdus. Quod an modo in recentioribus quibusdam minus obseruantibus Augustini doctrinam experti sumus, aliorum iudicio relinquimus. Sane ante alios quosdam, ad finem sæculi superioris scribens Apostata ille Spalatensis lib. 7. de republica & lib. 11. Cap. 10. non est veritus dicere *in Augustini doctrina contineri errores damnatos in Concilio Arelatensi, & Lugdunensi*, scilicet Prædestinianos Lucidi errores damnatos ibidem. Et inde anno 1587 alter, quem nominat Lemos tomo 2. tract. vltimo Cap. 5. num. 8, in assertione 10. aiebat, *dictum Augustini non esse vniuersaliter verum*, in assertione 12, *quod*

dicit

dicit Augustinus &c. valde improprie dici, & in assertione 2, *quod si in hac de prædestinatione materia contraria est sententia Augustini, non admodum refert &c*; vt omittam alterum eodem fere tempore scribentem, ex cuius Concordia Antuerpiensis editionis integra periodus irreuerentior in Augustinum postmodum merito expuncta fuit. Secundò deinde post auditum Clementem VIII. in oratione solemniter habita statuentem *adstringendam totam eam Romæ disputationem ad normam doctrinæ S. Augustini de gratia*, duo illi contra Lemos disputantes ibidem professi sunt se doctrinam suam ad normam Augustini defendere, vbi & cæteris doctior Suarez ad initium huius sæculi scribens eandem saltem statutam methodum modestissime imitatus est. Sed tertio tandem ad medium huiusce sæculi non defuerunt, qui in primam reuertentes viam, minus iterum reuerenter (ne quid amplius dicam) de Augustini doctrina obloquuti sunt, cui suam forsan post tot disputationum examen nō conuenire agnoscebant, vt, inter cætera ad hoc exempla, legi possunt apud Ioannem Riccium lib. 4. de vita Augustini Cap. 10. Theses in Hispania proscriptæ ad annum 1650, quæ nos præterimus potius sic breuiter (id aliorum iudicio linquentes) quam Auctorum nomina referamus.

Septimo ex hoc eodem Auctore operis Prædestinati didicimus, quam proni semper ac faciles fuerint illi Semipelagiani ad procudenda ac promouenda mendacia, dum Euodij epistolam ob deceptionem iam supra descriptam ab imperitis aliquibus creditam Augustini, continuo hic mendaciorum faber fabulatus est ab Hilario & Prospero scriptam fuisse, & sub falso Augustini nomine divulgatam, dicens, *duos hos homonciones cæcum habentes cor sua vanitate conscripsisse hunc librum & sub nomine Augustini hunc librum Apostaticum edidisse, quem licet à Cælestino damnatum silentio, clanculo per domos mulierculis darent lectitandum, nec quidem dijudicandum sed in modum simboli credendum, & varias insuper epistolas protulisse, quas memorati Hipponensis Episcopi esse fingebant*. Sic egregius hic artifex calumniarum, ac mendaciorum, quemadmodum & cæteri tunc Semipelagiani mendaciorum se defensores ac promotores prodebant, tum scilicet Cassianus Collatione 17. Cap. 17. dicens, *quandoque licitum esse mentiri, quandoque mendacium fieri salubre, quosdam etiam per mendacium iustificari &c*, tum Faustus eorundem Choriphæus lib. 2. de libero arbitrio Cap. vltimo

id etiam refundens in Deum, *optat*, inquit, *& iudex misericors Cælestis decreta Consilij immutare mendacio, si reus medicinam festinet adhibere peccato.* Tum Origenes eorundem omnium Pelagianorum præcursor in 6. Stromateon (vt eiusdem verba exscribit ac damnat Hieronymus lib. 1. Apologiæ in Rufinum) & ipse mendaciorum defensor ea in Politicam virtutem referebat, dicens: *Principes vrbium, si quibus & alijs hoc conceditur, oportet aliquando mentiri &c. ab alijs vero, qui vti mendacio nesciunt, auferendum est omne mendacium &c.* ex quibus & alijs eiusdem Origenis verbis subinfert ibidem ac concludit Hieronymus. *Origenes docet, magistris mentiendum, discipulos autem non debere mentiri. Qui ergo bene mentitur, & absque vlla verecundia, quidquid in buccam venerit, confingit in fratres, se magistrum optimum probat.* Hæc igitur communis inter Pelagianos & Semipelagianos, seu æmulos Augustini, doctrina fuit. Quid mirum itaque & neotericos paucos quosdam minus obseruãtes in Augustini doctrinam has siue equiuocationum, siue etiam mendaciorum tutandorum artes non promouisse solum, sed in ordine ad sinceriores præsertim Augustini discipulos exercuisse? Dum sane (vt alia cuncta dimittam iam summis labijs attacta lib. 4. de approbatione q. 6. ar. 2.) nec semel quidam ætate nostra subficto laruatus nomine, in libro inscripto *Religio bestiarum*, reuerentioribus in Augustinum Thomistis Caluinismi notam inussit, & postmodum sub alio iterum occultatus nomine alijs probrosis scriptis infamauit eosdem, vt de hoc sane repeteret D. Ambrosius illa, quę de alio consimili scripsit in oratione post epistolam 32: *Vnum portentum est, & duo nomina. Etenim ne cognosceretur quis esset, mutauit sibi vocabulum. Mutauit sibi vocabulum, sed perfidiam non mutauit: Nomina pro regionibus habet. sed nihil prodest, quod mutarit nomen, dum quid sit agnoscitur. habet iam duo nomina, & si hinc perrexerit, habebit & tertium. Quomodo enim patietur, vt maneat huius libri vocabulum ad tanti sceleris indicium?* Tum alij quandoque non cessant *occultis sed non incognitis susurrationibus*, iuxta Prosperi verba in epistola ad Ruffinum, obloqui adhuc de schola Sanctissimi Doctoris Ecclesiæ Aquinatis, velut in prædamnatis, vtique Prædestinianis, Iansenii dogmatibus, *vel affinis vel Collactanea esset*, quorum obtrectationibus (præter alibi à nobis scripta lib. 6. q. 4. per totam) sufficeret cum Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem sic breuissime respondere. *Non animaduertitis*

idcirco

Idcirco nos scribere, vt vos respondere cogamini, & aperte aliquando dicere, quæ pro tempore, personis, & locis, vel loquimini, vel tacetis. Nolo vobis liberum esse negare, quod semel senseritis; Ecclesiæ victoria est, vos aperte dicere, quod sentitis &c. Sententias vestras prodidisse, superasse est. Minamini nobis responsionem, quam vitare nullus potest, nisi qui omnino non scribit. Eunomiani saltem, Ariani, Macedoniani, nominibus separati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt: loquuntur enim quod sentiunt. Sola hæc hæresis Pelagiana (non hæc nos de istis, sed quæ de illis Hieronymus dicebat, exscribimus.) *Sola hæc hæresis est, quæ publice erubescit loqui, quod secreto dicere non metuit. Magistrorum tamen silentia profert rabies discipulorum. Quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant, vt si placuerit audientibus quod dixerint, referatur ad gloriam magistrorum: Si displicuerit, culpa sit discipulorum non magistri. Ideo decepisti plurimos &c.* Hæc ibi Hieronymus. Quid nos hic vltro exempla iam satis nota repetimus? de falso suppositis etiam vulgaris libris, quæ distincte descripsit (præter Salmanticenses tomo 8. tract. 20. disp. 1. dub. 6. §. 3. per totum) & noster Lemos tomo 1. p. 2. tract. 5. Cap. 35. & tomo 4. p. 1. tract. 6. Cap. 22. & secunda parte eiusdem tomi 4. tract. 4. Cap. 16. & Cap. 34. à num. 602. & non semel alibi cum aliis. Quid hic alia necesse est remotiora congerere, dum nouissime in vno dumtaxat tomo 2. posthumo de auxiliis nuper Lugduni edito *ex obscuris Lusitani hominis scriniis*, vt ibi dicitur in præfatione, experiri licet non paucas fallationes Auctoritatum etiam Sanctorum Patrum recitatorum ibidem, factas (vt credere malim) non quidem ab Auctore ingenuo, sed ab aliquo eiusdem asseclа, qui posthumam eam operis editionem procurauit? vt enim alia similia dimittam in pag. 318 hæc verba Prospero in epistola ad Ruffinum attribuuntur distinctis edita characteribus: *cum multi sint tam feri mores, quos non facile possit gratia mutare, si velit*: Ac si virtus diuinæ gratiæ, obsistentibus viribus creatæ voluntatis, velut in lucta succumbat. Et tamen illa citata verba in epistola Prosperi non leguntur, bene ista contraria. *An dicendum est voluntati Dei humanas obsistere voluntates, & tam feros esse, tamque intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideo non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant?* Sic Prosper interrogando discurrit, velut deducens ad absurdum, quod & statim refellit immediate subiungens: *& quis istis corda mutauit,*

nisi qui finxit sigillatim corda eorum? quis huius rigoris duritiem ad obediendũ molliuit affectum, nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare? Nec magis fideliter in pagina 474 hæc adscribuntur verba Hieronymo lib. 4. in Hieremiam Cap. 18. *Ita enim libertas arbitrij reseruanda est, vt in omnibus excellat gratiam largitoris.* Et tamen Hieronymi Pelagianorum debellatoris hæc Pelagiana verba non sunt, bene omnino contraria, quæ nunc ex eodem loco transcribo. *Ita enim libertas arbitrij reseruanda est, vt in omnibus excellat gratia* (non *gratiam*, inquit, sed voluntatem, inquit, gratia excellat) *excellat gratia largitoris, iuxta illud propheticum: nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam &c. Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Hæc ibi verus, non adulteratus, Hieronymus. Sed piget me simul & pudet diutius huiusmodi perabsurdis ac manifestis fallationibus, vel imputationibus, immorari.

Octauo ex libro 1. istius eiusdem Auctoris Prædestinati dignoscimus, quam merito D. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem Capite 2. dixerit, *Pelagianorum doctrinam Origenis ramusculum esse*, & libro 3. aduersus Pelagianos Capite vltimo Origenem appellauerit *Pelagianorum Amasium*; dum præter Ruffinum (quem pro suo Pelagiano errore in auctoritatem & laudem Cælestius referebat apud Augustinum lib. 2. de peccato originali Capite 3.) idcirco sub ficto vel falso Diui Pamphili martyris nomine pro eodem Origene Apologiam promulgantem (vt probat Hieronymus libro 1. & 2. suæ Apologiæ in Ruffinum) præter hunc, inquam, denuo & iste scriptor Semipelagianus libro 1. de hæresibus in hæresi 42. & 43 nouam Origenis defensionem adornauit, dicens tres fuisse Origenes, primum ætate anteriorem Syrum ante Adamantium, quem hominem sceleratissimum & turpia docuisse consentit, secundum eidem succedentem, *à quo hæretici Origeniani*, inquit, *denominati sunt*, & tertium demum Origenem Adamantium, quem *Catholicum tractatorem fuisse* contendit, licet, inquit, *Ampullianus quidam hæresiarches Bythinius, qui post Catholicum Origenem docebat Ecclesiam Dei*, dum argueretur de sua hæresi &c, *cœperit proferre libros Origenis, quos ipse vitiauerat, & dicere. Ecce quia Origenes ita sensit, & præcipue in quatuor Periarchon libris*, ab hocque ait additas Origenis libris eas hæreses fuisse, de non æternis Inferorum pœnis, & alias &c. *Quod ita esse, Sanctus Martyr Pamphilus docet*,

& afferre profequitur & iſte, vt iam Ruffinus fecerat, ſub falſo Pamphili martyris nomine pro Origene Apologiam. Nec ſane ſaltem Semipelagiani poterant non defendere libros Periarchon Origenis, in quorum librorum 3. à Capite primo, omnia Semipelagianorum principia, argumenta, ac reſponſiones, Origenes præconcipiebat, ac præparabat, ſeu præformabat, vt ibidem legenti patebit (& notat, licet tacito Origenis nomine, de conditionatorum præſcientia agens, & Auguſtinus libro de dono perſeuerantiæ Cap. 10. aduerſus Maſſilienſium errores) & conferri poſſunt, quæ ſcribit Fauſtus Semipelagianus libro 1. de libero arbitrio præſertim Cap. 18. & 19. & lib. 2. Cap. 1. 2, & 3, & apparebit ea plerunque ex libro 3. Periarchon Origenis deſumpta, ne dicam, exſcripta fuiſſe. Exinde miror, imo nec miror quidem, & aliquos eodem modo pro eodem Origene (velut eius doctrina de gratia etiam Catholica eſſet) libros Apologeticos nuper edidiſſe, vt quendam Petrum Haloix, cuius Apologia Romæ proſcripta eſt, vt alios omittam, quos prætangebam lib. 6. de Approbatione q. 2. lib. 1. pag. 168. conſulendos ibidem, iam diù à S. Thoma refutatos libro 3. Contra Gentes Cap. 88. & 89. & ab alijs Patribus, & Eccleſiaſticis tractatoribus, quos ibidem nominatim afferebam, & fuſius libro 1. quæſt. 8. art. 2. ad 2; dum interim contra huius Authoris Prædeſtinati effugium aut euaſionem, de duplici altero ſeniore Origene Hæretico, Adamantio autem Origene Catholico, ſufficit id verbatim excludens Synodi quintæ decretum aientis. *Anathema Origeni, qui & Adamantius dictus eſt, vna cum deteſtandis eius dogmatibus*, vti & Synodus ſeptima repetiuit; & de hac Origenis damnatione iuſtiſſima fuſius egit, & ex propoſito, eruditiſſimus Henricus Noris in diſſertatione de Synodo quinta legendus.

Nono tandem ex huius Semipelagiani ſcriptoris opuſculo hac noſtra lucubratione perpenſo edocemur, & quidam alij imposterum diſcere ſine dubio valebunt, quanti æſtimata tunc temporis fuerit vnica tantum Cæleſtini Pontificis approbatio pro Auguſtini doctrina, vt non ſit auſus vel rigidiſſimus iſte Semipelagianus amplius authoritati doctrinæ eiuſdem obſtrepere, ſed ſolum ſibi licere perſenſerit vel putarit, in Hilarium & Proſperum velut ab eiuſdem Auguſtini doctrina deflectentes inſurgere, vt ſupra ex eiuſdem iſtius auctoris verbis oſtendimus: Vbi ætate noſtra (in hoc illis temporibus forſan infeliciori) poſt tot longe plures & ampliores Pon-

tificum

tificum ac Conciliorum approbationes, de eadem Augustini doctrina, non erubuerunt quidam, non dubitarunt, ne dum *sinistrum aliquid suspicari* (vt Faustus solum adminus *suspicatos esse* aliquos prædicebat) verum & asserere, & datis operibus promulgare aliquas obloquutiones, de quibus egimus lib. 5. de approbatione q. 2. ab initio, innominatis etiam alicubi earundem obloquutionum auctoribus, vti & hic libentius reticemus, ne aliqua scribere ad creandam aliquibus inuidiam, videamur. Dum interim nobis sat est ex hoc pessimo Prædestinati libello non pauca bona collegisse tanquam ex veneno conficientes antidotum; adeo vt si vnquam aliqui hoc denuo reperto opere cogitarent velut nouo ariete in veros ac sinceros Augustini discipulos (vti & iste operis Auctor fecerat) arietare, id sciant sibimet contigisse, quod Carthaginensibus de ariete ab eisdem inuento, euenisse obseruabat Tertullianus libro de pallio Cap. 1. dicens: *Arietem nemini vnquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago studijs asperrima belli prima omnium armasse &c. cum vero vltimarent tempora patriæ, & Aries Romanus in muros postea suos auderet, stupuere illico Carthaginenses vt nouum & extraneum ingenium*. Inde qui vel tacentes reliquos lacessere aliquando non videntur desinere, ferent saltem & respondentes alios præstare idipsum, quod præstitit Scipio, qui (vt loquitur Florus lib. 2. Cap. 6.) *cæpit imitari Annibalem, & Italiæ suæ clades in Africam vindicare*. Nec rursus alij, aut nimis suspiciosi, etiam ab alijs non tacti (dum alicubi Etherodoxi tanguntur) se tangi quærentur, aut minus æqui, dum de aliquo vitio etiam leniter admonentur, qui eo fortasse laborant, non statim salubriter ipsos admonentes, vt contentiosos damnabunt. Primos enim, ne suspicionis vmbra fallantur, eo modo tractabimus, quo renitentem ex vmbra Bucephalum Alexander (teste Plutarcho in eius vita) *correptis habenis conuertit aduersus Solem, animaduerterat enim quod incurrentem, & agitatam ante oculos vmbram cernens, percelleretur*, seu quomodo in libro de re Equestris Xenophons sternaces equos aut pauidos tractandos esse dicebat: *si nempe equus quid forte suspicatus accedere aliquopiam nolet, demonstrandum illi est, quod ea, quæ auersatur, fugienda non sunt &c. Sin erit timidior, contrectabimus id, quod ei horribile apparebat, & leniter ipsum inducemus in semitam*. Secundis autem alijs respondebunt fortasse ea Augustini verba lib. 1. contra Cresconium Grammaticum Cap. 5. dicentis: *quia multi & ipsam*

cor-

correptionem, quæ modeste fit, vel peccatis suis fauentes, vel quid respondeant, non inuenientes, nec tamen veritati acquiescentes, onerosè & molestè ferunt, eos, qui secum sedulo agunt, nec ab eorum conuincenda opinione dissimulant, ideo litigiosos, & contentiosos vocant eosdem. Falsitas enim, quæ nudari & redargui metuit, eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accusat: numquid ideo tamen ab hac instantia desistendum est? vide Apostolum ad Timotheum &c. vt ibidem Augustinus cum Apostolo concludebat, & nos cum vtroque concludimus.

SECTIO SECVNDA

DE EODEM OPERE PRÆDESTINATI

AD LECTOREM ADMONITIO ET AVCTORIS CENSVRA.

Dum idem opusculum hic exhibetur,

Vt cum præmisso mox ante examine conferatur,

Et vt sic à Legentibus virus caueatur eiusdem,

hæc præmittuntur.

ABsolueram iam huius Operis Prædestinati examen qualecunque, quod habes, cum ab his, qui hoc idem reuidebant, vt pro editione approbarent, consultus fui adnectere simul & Prædestinati præexpensum opusculum (quod impressum legitur in tomo 27 Maximæ Bibliothecæ Veterum Patrum recentissimæ editionis Lugdunensis folio 545) vt qui nostra legeret, ob oculos habens, quæ examinantur, commodius posset de toto examine iudicare. Hæsi diù, cum hæc audirem, nec omnino probarem, ne affectasse viderer ex alieno impresso opusculo huiusce opellæ nostræ ampliare volumen. Verum consilia vicerunt, & persuaserunt, quod antea suadebant, tum quia inficiari non valui melius exinde per collationem clarescere laborem nostrum, tum quia alioquin non multi, sed rari, sunt illi, qui bene centum scutorum impendio sibi adhunc tantum

finem

finem comparare, aut possint, aut velint, ingentes illos septem supra viginti Maximæ Bibliothecæ tomos, tum quia & innumeri alij sunt celebris scriptores nominis, & antiqui & recentes, qui pro invulgandis breuissimis suis in veterem aliquem Authorem, aut notis aut scholijs, aliena sibi, illiusque Authoris propria, integra impressa operâ iteratò ediderunt, ac edunt, vbi non notas tantum hic nos adiecimus, sed continuatum examen nec adeo breue præmisimus. Accessit tandem, quod & alij obseruabant, omissam esse in recenti editione Bibliothecæ admonitionem pernecessariam Lectori, de caute legendo hoc opusculo, & de censura, quam eiusdem Auctor merebatur, quemadmodum olim à Sacri Palatij Magistro de mandato Clementis Octaui Summi Pontificis in alia quædam suspectæ Lectionis eiusdem veteris Bibliothecæ opera præstitum erat. Sed imo hic, si recenti editioni Lugdunensi huius Bibliothecæ fideremus, iam planè plerique incautè hunc Prædestinati Scriptorem vndequaque Catholicum reputaremus, & non quidem vel trepidi caueremus, sed fidentissimè ad osculum exciperemus: dum in vnica ac breui præfatione Iacobi Sirmundi adhoc idem opusculum (quæ sola in editione Lugdunensi præfigitur) ipse hic idem scriptor vel nimis extollitur, vel sanè commendatur his verbis: Auctorem damus, cuius ipsi (*Recentes*) iudicium, si verum amant, aspernari nolint, & aduersus quem præscribere vel excipere non liceat: *Hæc ibi: Itane igitur hic Auctor Prædestinati, quem indubitanter omnes, post Sirmundum, scribentes, habent adminus pro Semipelagiano, & quidam etiam ex integro Pelagianum appellant, ita ne, inquam, hic erit*, cuius iudicium, si verum amemus, aspernari nolimus, & aduersus quem præscribere, vel excipere non liceat? *Non ita profectò (vt aliquos saltem, & si non omnes, in testimonium adducam) non ita nouemdecim in histo-*

ria Ecclesiastica tomorum Auctor Natalis Alexander, arbitratus est, qui statim ac vidit primam illam editionem cura Iacobi Sirmundi perfectam, in 2. parte seculi v. dissertatione v. pag. 166, licet aliud agens, continuo ac constantissime scripsit, Authorem istum Prædestinati puros, putosque Pelagianorum errores tueri, & Catholicos etiam sub Prædestinatorum nomine insectari; *& paulo post, inquit:* Hunc Authorem Pelagianum fuisse certum est: *Non ita Vincentius noster Contenzonius tomo v. dissertat. 3. Appendice unica pag. 404 Sirmundi iudicium sequutus est, dum cuidam argumento respondens ait:* Prædestinati liber purum, putumque Pelagianismum spirat, & innumeris alijs scatet erroribus: *Non ita etiam inter Scriptores eiusdem Societatis, cuius Sirmundus erat, vel ipse Theophilus Rainaudus, qui licet hunc Pelagianum non asserat cum prædictis, consentit tamen (quod & nobis sufficit) esse Semipelagianum, dum in Apologia pro Valeriano Cap. 4. numero 13. habet hæc verba (à mè alibi, ut verum fatear, minus advertenter in alio sensu de quodam altero recentiore intellecta, quæ de hoc vetere procedebant)* se non videre, quam commodè à Semipelagianismi labe liberari possit Auctor Operis contra Prædestinatos, toto libro tertio; *in quo utique libro 3. suum iste Semipelagianismum eructat, cum in primo dumtaxat hæresum Cathalogum texuisset, & in 2. libellum sub nomine Augustini ut confictum retulisset, in 3. autem & Augustini discipulos calumniatur, & suam proferendo sententiam non nisi Semipelagianorum errores evomit ac spargit. Quod quidem si quis adhuc forsan, in meridie cæcutiens, aut non videret, aut fingeret se non videre, præter a nobis expensa superius, & præter expendenda in notis inferius ex Sanctorum Patrum doctrina collectis, eorum præsertim, qui huic eidem Auctori respondebant, si cuncta*

dees-

quescent cætera, pro hac saltem breui stabilienda censura, hic vnum sufficeret, quod saltem Faustus ille Rhegiensis indubitatus Author Semipelagianus, imo Semipelagianorum defensor acerrimus, manifeste concessit ad minus in renatis & iustificatis malum adhuc concupiscentiæ vt peccati fomitem ex originali culpa relictum in hac vita manentem, (vt consulenti patebit totum eius Caput secundum libri primi de libero arbitrio) hic vero Author Prædestinati etiam hoc malum concupiscentiæ vt peccati fomitem, in renatis eisdem vel iustificatis acerrimè inficiatus est, exscribens ac promouens procacissimi Iuliani Pelagiani obiectiones, ac phrases, per bene duas integras postremas paginas sui libri tertij, vt quisque percurrere poterit; ac videre licebit hunc, nedum Semipelagianum, sed rigidissimum, & putentiorem cæteris sine dubio fuisse. Licet inde in priore vetere Bibliotheca, cum iam insertus fuisset Faustus, nec sub Clemente Octauo extrusus sit, ac velut per indulgentiæ dispensationem in eadem Bibliotheca relictus sit, dummodo prælegeretur (vt factum est postea in Coloniensi editione) in fronte librorum eiusdem Censura Magistri Apostolici Palatij, vt caueret Lector ac sciret ea Fausti scripta Semipelagiana esse, inde, inquam, modo non video, fateor, quomodo denuo & sine censura Anonymus hic Auctor alter peior longe Semipelagianus quam Faustus, inseri & sine censura in veterum Patrum Bibliotheca potuerit promereri; Anonymus, inquam, & adeo petulans Semipelagianus, ac marcidus, qui & contra Hilarium, & Prosperum Diuos Sanctissimi Augustini discipulos, tot procudebat calumnias, & tot conuicia iaculabatur, vbi id saltem Faustus ausus non erat, adeoque (vt dicebat auctor vitæ D. Fulgentij) subdolo sermone eos suos libros composuit, fauens solum occultè Pelagianis, sed tamen Catholicus videri volens, vt non statim ab omnibus eius error detectus sit, plus laborante &

Fulgentio, dubios ejusdem sermones exponere quam conuincere; *præsertim cum vltro adfuerint aliqui, & inter antiquos, asserentes Faustum ante obitum resipuisse ab errore, & modo adhuc in aliqua Galliarum Ecclesia vt Sanctum coli fateatur Baronius in appendice ad tomum 10, & Bolandus ad diem 13 Ianuarij, aliaque plura in eodem laudata legantur, vti & nos retulimus lib. 5. quæst. 3. Ar. 3. §. 7. vbi pro isto Anonymo peiori ac pertinacissimo Semipelagiano hæc omnia desunt. Miror inde, vt dicebam, quomodo hic manifeste tam putidus Semipelagianus collocari potuerit in ea* Maxima *vtique commendabili Bibliotheca Patrum, in cuius dedicatoria ac præfatione ad Lectorē de eisdem P.P. habetur:* quid aliud sunt, quā acies quædam exercituum Dei contra diabolum & Angelos eius &c. contra hęreses & cęteram omnem impietatem assiduè pugnans, vno verbo, fortissima militantis Ecclesię portio? Ipsi sunt (*ex D. Maximo in electis*) qui vitæ sermonem continent, qui splendore suo firmamenti lumina vincunt &c. His (*ex D. Augustino libro 2. contra Iulianum*) post Apostolos, Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus, creuit, qui diuinæ familiæ fideliter cibaria ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt. *Inter hos itaque, inter hos, certe nec novus, vt credo, Maximæ Bibliothecæ Collector, cogitauit vnquam Semipelagianum hominem numerare, qui & probè sciebat, quid de ipso Fausto (de quo mox ante præmisimus disparitatem) Summus Pontifex Hormisdas responderet in epistola ad Possessorem:* Neque illum, neque quemquam, quos in auctoritatem Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præiudicium comparare &c. Nec tamen impro-

batur

batur diligentia per multa discurrens, (*sic forsan in excusationem rei, de qua agimus, hæc sequentia Hormisdæ verba adaptari valerent*) sed animus à veritate declinans; sæpe enim ex ijs, necessaria prouidentur, de quibus ipsi æmuli conuincantur, instructioni, non vitio, dari potest, nosce quod fugias, atque ideo, non legentes incongrua, in culpam veniunt, sed sequentes. *Hæc ille. Nempe dicerent, qui excusare vellent huius Prædestinati Operis positionem in Bibliotheca Patrum: & ex hoc, licet hæretico, saltem habemus impugnatam aliam Prædestinatorum hæresim, & simul in eiusdem sententijs legimus, quinam eßent Semipelagianorum errores, quos legere fas est, vt fugiamus, non vt imitemur. Audio, nec reprobarem hanc quidem defensionem, si non deessent hæc alia. Si nimirum addita fuißet (vt saltem de Fausto præstitum est) admonitio ad Lectorem, de eodem Scriptore Prædestinati cauendo vt Semipelagiano, & non potius scriptor idem allatis Sirmundi laudibus cumulatus fuisset. Si notus aliunde Auctor extitißet, & talis, qualis saltem in alijs pluribus dotibus Faustus laudatus est. Si demum editus prius separatim a Sirmundo, nunc in Maxima Bibliotheca numeratus veluti inter Patres non appareret; ne alioquin (si præallata defensio per omnia approbaretur) subinferreretur ab aliquo, etiã in Patrum Bibliotheca deinde inferenda esse, vel inferi licere, & scripta Arij & Arienorum, & Pelagij ac Iuliani aliorumque Pelagianorum, quia & primi, dum suam Arianam hæresim promouerent, Sabellianam impugnabant; & secundi pariter Manichæam. Valeat tamen, quantum potest, per me licet, prælibata defensio pro alijs, dum pro nobis, qui alia simul correquisita præstamus, ea est sine dubio vndequaque sufficiens, vt hic adnexum ederemus hunc librum, atque vno ictu Prædestinianam hæresim, (quam iste impugnabat,) & Semipelagianam*

quam

quam effundebat, velut ex intimis nosceremus, agnitamque Lectori vtramque cauendam pro fructu operis ac lectionis vtilitate ostenderemus, quemadmodum (inquit Hormisdas apposite in prælaudata epistola ad Possessorem) Fertur quidam nobilis arte pingendi, quum equum penicillo vellet explicare, asellum sibi proposuisse pingenti, asserens, non vt iumentum imitaretur deforme, sed ne in alicuius deformis lineamenti similitudinem lapsus incideret. *Sic nos legendum tibi exhibemus opusculum, cuius iam scias errores, siue quos habet, siue quos insectatur, velut vtrinque extremè contrarios, tibi esse ex vtraque parte vitandos. Sic ista tibi cautela præfixa, de his tribus Prædestinati libellis concludam, quod ae quatuor Periarchon libris ab Origene conscriptis, ac præiudicatis Lectori vt erroneis, Hieronymus concludebat epist. 59.* Quisquis hos libros legerit, vt calceatis pedibus ad terram repromissionis pergere possit, necubi à serpentibus mordeatur, aut arcuato Scorpij vulnere verberetur, legat priùs hunc librum nostrum, vt, antequam ingrediatur viam, quæ sibi cauenda sint, noscat. *Sic caute lege, Lector, & Vale.*

OPERIS, QVOD INSCRIBITVR
PRÆDESTINATVS
ANTIQVI SCRIPTORIS ANONYMI
Scribentis ante medium sæculi quinti.

PRÆFATIO.

QVotiescunque ad te, ò amator Dei, verba doctorum adtingunt, illico sunt Domini præcepta memoranda, quibus iubere dignatur, vt adtendamus ab his, qui veniunt ad nos in vestitu ouium, ne sub hoc tegmine luporum rabies occultata, ouilem

lem simplicitatem inuadat. Vtinam mihi verbis ista dixisse sufficeret, & non, quod est cum suspirio memorandum, manifestum sit miscuisse se belluas gregi dominico: qui tantà subtilitate clandestino hiatu sese Catholicis immerserunt, vt ipsi magis ciues sanctorum & domestici fidei æstimentur, qui inimici Ecclesiæ & hostes dolosissimi comprobantur. Dicentes iam homines ita prædestinatos ad mortem per Dei præscientiam, vt illis nec Passio Christi, nec baptismatis redemptio, nec fides, nec spes possit, nec charitas subuenire. Orent, ieiuniis, ac eleemosynis occupentur: nulla, inquiunt, poterunt ratione liberari, quia non sunt prædestinati ad vitam. E contra, hi quos prædesti natio præscia futurorum dispunxit, negligant, contemnant, & iustitiam fugiant: sic isti etiam nolentes trahuntur ad vitam, sicut illi volentes ad vitam pertingere expelluntur in mortem. Sic istis non petentibus datur, sicut illis petentibus denegatur. Et isti quidem non quærentes inuenient, illi autem quærentes inuenire non possunt. Istis pietatis ianua non pulsantibus referatur: illis autem nulla ratione poterit, etiam pulsantibus, etiam clamantibus aperiri. Quis hanc fidem habens sacerdotum benedictionibus caput inclinare desideret, & eorum sibi precibus & sacrificiis credat posse succurri? Si enim hæc nec prodesse volentibus, nec obesse nolentibus incipiant credi, cessabunt omnia Dei Sacerdotum studia, & vniuersa monitorum adminicula vana videbuntur esse figmenta: atque ita vnusquisque suis erit vitiis occupatus, vt criminum suorum delectationem Dei prædestinationem existimet, & ad bonum à malo transitum, nec per Sacerdotem Dei, nec per conuersionem suam, nec per legem Dominicam, se posse inuenire confidat. Silerem, fateor, & nequaquam stilo percurrente ista detegerem, si toties vt tacerent admoniti saltim mediocriter contentionis suæ impetum temperassent: non etiam audacter sub Augustini nomine libros ederent, & scriptorum suorum iaculis membra immaculatæ matris nostræ Ecclesiæ vulnerarent. Quis filius matrem suam cædi non doleat? quis genitricem suam vulnerari non plangat? An tacebimus illa laborante? Sed silentium nostrum reatus docebitur, & taciturnitas videtur esse consensus. Quã enim tu patientiam taciturnitatis putas, hanc alius conscientiam peruersitatis existimat. Præsertim si & ipse taceas, & eum qui loqui voluerit pro defensione matris communis, forsitan silere compellas. Cùm tempus tacendi & tempus loquendi in id sapientia diui-

diuina instituerit, vt & modestia in silentio, & ratio esset in verbo; ne vltra honestatis terminum vnusquisque linguam vel promeret, vel teneret: essetque loquacitas importuna, aut taciturnitas obstinata: cùm vtrumque veniret in vitium, loqui velle cùm non debeas & nolle cùm debeas. Istud igitur in alterutrum custodisse habita ratione perdoceo, cùm contra librum matri Ecclesiæ tendentem insidias diuini oris arma corripio, & vt Goliæ ex suo sibimet gladio confidens in Domino eius ceruicem abscido. Qui tristis fuerit, suo quasi mus prodetur indicio, cùm sui murmure Philisthæum se esse detexerit: mecum autem gratulabitur omnis qui allophylus non est. Igitur cùm sollicitè celatur, & occultè legitur, & cautè conscribitur, tandem aliquando, *non tam editus quàm deprehensus*, ad manus nostras peruenit liber, qui Augustinum mentitur in titulo, cùm se hæreticum ostendat in textu. Quis enim nesciat Augustinum orthodoxum semper fuisse doctorem, & tam scribendo, quàm disputando, omnibus hæreticis obuiasse? Volentes ergo inimicum fidei nostræ inter fratres dogma inducere, Catholicum supraliminare libri sui titulum posuerunt. Qui liber, velut sepulchrum fœtens, à foris quidem Augustini nomine dealbatur, intus verò scaturit vermibus mortuorum. *Hunc librum aliquando sibi oblatum beatissimæ memoriæ Summus Pontifex Cælestinus ita execrationi habuit, vt eum perpetuo iuberet damnari silentio.* Eo magis hæreticorum animus inflammatus, clanculo eum per diuersas domos tradidit lectitandum: quique quanto legi publicè vetabatur, tanto ab eis asserebatur insuperabili æquitate conscriptus. Sicque perfidum iniere consilium, vt in modum symboli, non discutiendus traderetur aliquibus, sed credendus. Ita contra hunc suscepimus, vt aduersum singula blasphemiarum eius dicta, tam rationabili veritate, quàm legali auctoritate pugnemus. Quem librum non discerpentes, sed integrum eum ab initio vsque ad finem perscribentes, nonagesimæ hæreseos proiecimus siluæ, arborem eum nequissimam detegentes, ad cuius radicem securis est posita, ad hoc vt excidatur, & in ignem mittatur. Vbicumque autem eiusdem libri sunt dicta lineis à tergo versuum iacentibus deteguntur. Quæ licet pro ipsa sui peruersitate vltro se legentibus prodant: tamen egimus vt veritas à mendacio non solùm verbis rationabilibus, sed etiam alogiis increpantibus discernatur. Sanè Græcorum nos legis Catholicorum scripta contra hæreticorum sectas dimicantia idcirco memoramus,

morantus, & omnes hæreses singillatim per ordinem licet strictim perscribimus, vt sciant nouæ huius hæresis inuentores, omnium nos hæreticorum definitionibus aduersari, & nullius eorum contra se vti consensu. Cesset omnis tergiuersatio, & calliditas oblatrantium, in modum canis, vomitus suos ipsa iterum sorbeat. Omnes à Simone cœptas hæreses detegimus, arguimus, condemnamus, & tam ratione quàm auctoritate superatas ostendimus. In detectione igitur falsitatis, & in defensione veritatis, Catholicorum sumus secuti vestigia, & id gessimus, vt in primo libro veterata hæreseos superstitio perpatescat: in secundo verò nouæ adinuentionis venena non lateant: tertius verò liber hæreseos deuictæ tumulum, fideique trophæum cunctis Ecclesijs tradat. Clemens itaque Romanus Episcopus, Petri discipulus, Christi dignissimus Martyr, Simonis hæresim à Petro Apostolo cum ipso Simone superatam edocuit. Hunc secuti sunt sancti quique orthodoxi viri: & suo quisque tempore vniuscuiusque hæresis ortum, & certamen, & exitum per plurimos libros, & multa millia versuum conscripserunt: quæ nos epitomantes, iuvante Domino, hoc vno libello conclusimus. Orabunt pro nobis sancta studia, quæ ad requiem curarum suarum per hunc nostrum laborem attingunt.

LIBELLVS PRIMVS.

De hæresibus.

Epitome Ecdicesios *Hygini contra hæresiarchas, & categoricorum Epiphanij contra sectas, & expositionum Philastri, qui hos transferens in Latinum sermonem de Græco, cùm Arriani damnarentur, edidit. Prior Hyginus, post hunc Polycrates, Africanus, Hesiodus, Epiphanius, Philaster, hi diuersis temporibus diuersas hæreses pertexuerunt.*

Prima hæresis à Simone sumpsit exordium, qui dicebat castitatem ad Deum non pertinere, Deum mundum non fecisse, & his similia. Hic à beato & sancto Apostolo Petro ita est publicè superatus, vt ante pedes eius cadens vltra surgere minimè potuisset.

Secunda hæresis à Menandro Menandrianorum, qui mundum

non à Deo; sed ab Angelis factum esse testantur. Hos sanctus Linus Episcopus, secundus Apostoli Petri, à consortio conuersationis nostræ eiectos, æterna damnatione multauit: docens rationabiliter, secundum sanctas Scripturas veteris Testamenti, Deum, qui cum Moyse locutus est, hunc esse omnium creatorem, & nihil in creaturis omnibus esse, quod possit pro sui natura esse vituperabile. Omnia enim quæ culpabilia iudicantur, actu non conditione culpantur.

Tertia hæresis à Basilide Basilidianorum. Hi trecentos sexaginta & quinque cœlos esse dicentes, contra Moysem suscipiunt: & Deum horum cœlorum Abrasax commemorant. Quod nomen Græca ratio litterarum in hanc summam supputando pertingit. ΑΒΡΑΣΑΞ. id est Α. vnum, & Β. duo, & Ρ. centum, & Α. vnum, & Σ. ducenta, & Α. vnum, & Ξ. sexaginta, fiunt in summum CCC. LX. V. Hos Ecclesia vt energumenos computandos, non altercando, sed proijciendo damnauit.

Quarta Nicolaitarum à Nicolao hæresis est adinuenta, qui vnus ex septem diaconibus ab Apostolis ordinatus est. Iste cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, docere cœpit indifferenter debere vti coniugibus: non solùm laicis, sed etiam his qui sacerdotij fungerentur officio. Hos damnauit sanctus Ioannes Apostolus & Euangelista, & iussit vt quicunque cum eis vel sermonem colloquij miscuissent, ex hoc ipso communione priuarentur docens rationabiliter, à mundi origine Deo castitatem plurimùm placuisse: nunc autem etiam in seipso Christum Dei Filium castitatis gloriam dedicasse, cùm virginem possidens matrem, virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtione etiam legitimi coniugij vti permisit, dicens: *Si quis vult venire post me, abneget seipsum sibi & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Quinta hæresis Saturninianorum est, à Saturnino. Hic docuit septem Angelos mundum fecisse; quibus cordi fuit libidines inserere, vt dum sese concupiscit ex alterutro diuersitas sexus, mundus à sui fine refrænatus possit esse perpetuus. Hos anathematizauit Beatus Thomas Christi Apostolus, docens rationabiliter mundum initium habuisse, & quia initium habuit, ad finem esse venturum. Angelos autem omnipotentiam habere non posse, & ideo mundum eos non potuisse constituere. Conditorem autem mundi vnum esse Deum, quem Moyses prædicauit fecisse cœlum, & terram, & ma-

re,

re, & omnia quæ in eis sunt.

Sexta hæresis Gnosticorum; qui Gnosticos se appellare voluerunt, quasi propter scientiam excellentem, cùm miseriores superioribus esse, quos memorauimus, haberentur. Docens eos rationabiliter Beatus Paulus non Deo seruire, sed suo ventri, & libidini, inflatos esse, & nihil scire, & ægrotare circa quæstiones & verborum pugnas.

Carpocratianorum septima est hæresis à Carpocrate inuenta, qui docebat potestates tenebrarum transire non posse, nisi solos eos, qui omni se turpitudini miscuissent. Hi Dominum nostrum IESVM de vtroque sexu genitum asserebant, sed talem animam accepisse, quæ superna cœlorum sciret. Resurrectionem corporis denegantes, Prophetas Testamenti veteris condemnabant. Habebant autem Marcellinam quandam, quæ imagine IESV, Pauli, & Pythagoræ Philosophi ponebat in medio populi quem decipiebat, & faciebat eos his imaginibus honorem deitatis exhibere, & incensum ponere. Hos damnauit apud Cyprum Beatus Barnabas Christi Discipulus, docens eos ministros esse satanæ, & non debere constituit Christianum penitus cum his habere sermonem.

Octaua hæresis Cerinthianorum, à Cerintho. Dicebant mundum ab Angelis factum, carnem circumcidi debere, veteris Testamenti secundum litteram debere præcepta seruari. IESVM hominem tantummodo fuisse: nec resurrexisse, sed adhuc resurrecturum esse memorabant. Hos in Galatia æterno anathemate Beatus Apostolus Paulus condemnauit. Hos denique tangit in sua epistola, quam ad Galatas misit.

Nona hæresis Nazarenorum. Filium quidem Dei confitentur, omnem autem ritum veteris Testamenti Iudaico more conseruant, Hos docuit Beatus Apostolus Paulus debere spiritaliter scripturas aduertere: & hos in Ecclesiis Galatiæ deprehendit, atque non consentientes doctrinæ suæ anathemati esse constituit.

Decima hæresis Ebionæi. Hominem solùm fuisse Dominum IESVM CHRISTVM asserunt, & legis mandata more Iudaico custodienda constituunt. Hos Lucas Euangelista apud Antiochenam Ecclesiam inueniens condemnauit, docens Angelum dixisse ad Mariam: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te. Ideo & id quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Vndecima hæresis Valentinianorum, à Valentino. Hi per Orientem dispersi grauiter Dei Ecclesiam vulnerarunt, dicentes profundum & altum secum commixta. Ex quibus duobus, velut ex coniugio, mundum processisse: altum dicentes Patrem, profundum Filium: eumque nihil adsumpsisse de Maria Virgine: sed illum, tanquam aquam per rivum aut fistulam, sine vlla carnis adsumptione transisse. Carnis autem resurrectionem omnimodis denegantes. Hos anathematizauit Beatus Zacchæus Cæsariensis Episcopus, docens Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, Deum verum, verumque hominem, per virginea secreta transisse, ex semine Dauid secundum carnem, sed hominem verè natum verè passum, verè mortuum, verè resurrexisse à mortuis, & verè ascendisse in cœlos.

Duodecima hæresis Secundianorum. Hoc solùm à Valentinianis distant, quia addunt huic sectæ etiam turpitudinem corporis, quam quasi illi pseudocasti declinare se simulant. Hos damnauit Diodorus Episcopus Cretensis.

Tertiadecima hæresis Ptolemaitæ, à Ptolemæo Valentini discipulo, qui hanc eandem hæresim acrius disputando dispersit, qui eodem tempore à sancto Zacchæo supramemorato Episcopo Cæsariensi damnatus est. Hæresim tamen pessimam per multa spatia Orientis dispersit.

Quartadecima hæresis à Marco quodam est adinuenta, qui negans resurrectionem carnis, Christum non vere passum, sed putatiuè conabatur adstruere. Hunc sanctus Clemens, Episcopus Romanus, & Christi dignissimus Martyr, fixis & integris adsertionibus confutans, & coram omni plebe in Ecclesia detegens, æterna damnatione puniuit. docens vere natum & passum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. nihil ab eo in phantasia factum commemorans, & euidenter ostendens, quòd veritas inimica falsitatis falsum in se nihil penitus habere potuerit: sicut nec lux in se tenebras habere potest, nec benedictio maledictionem, nec dulcedo amaritudinem: & si ista commisceri possent, Deum tamen docuit mendacio impossibile esse misceri.

Quintadecima hæresis Colorbasiana à Colorbasio adinuenta. Vitam omnem hominum in septem stellis esse positam adfirmabat: & has esse septem Ecclesias, & septem candelabra antea conabatur adstruere. Hunc sanctus Theodorus de Pergamo Episcopus, habita

habita synodo septem Episcoporum, anathematizauit docens septem Ecclesias in septiformi spiritu consecratas. Vna forma est, inquit, cùm in forma, quam primus homo amiserat, reuocatur. Secunda, cum immaculatus qui erat peccator efficitur. Tertia, cum ex terra corpus mortuum suscitabitur. Quarta, cum anima de inferni claustris eruitur. Quinta, quòd anima paradisi habitatione lætatur, quousque corpus suum incorruptibile recipiat. Sexta, quòd filios Deo facit qui erant filii Adæ. Septima, quòd facit hominem regni cœlorum esse participem. Has esse sancti Spiritus formas in septem Ecclesijs, in septem oculis, & in septem candelabris aureis conlocatas.

Sextadecima hæresis Heracleonitarum, ab Heracleone adinuenta est, quæ baptizatum hominem, siue iustum, siue peccatorem, loco sancti computari docebat: nihilque obesse baptizatis peccata memorabat dicens; sicut non se in se recipit natura ignis gelu, ita baptizatus non in se recipit peccatum. Sicut enim ignis resoluit aspectu suo niues quantæcumque iuxta sint: sic semel baptizatus non recipit peccatorum reatum, etiam quantauis fuerint operibus eius peccata permixta. Hic in partibus Siciliæ inchoauit docere. Contra hunc susceperunt Episcopi Siculorum, Eustachius Lilybæorum, & Panormeorum Theodotus. Quique omnium qui per Siciliam erant Episcoporum Synodum exorantes, gestis eum audire decreuerunt: & vniuersas adsertiones eius dirigentes ad sanctum Alexandrum vrbis Episcopum, rogauerunt vt ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc Sanctus Alexander, ad singula quæque capita hydri singulos gladios Dei verbi de vagina diuinæ legis eiiciens, librum contra Heracleonem ordinans, feruentissimum in ingenio Sabinianum presbyterum destinauit: qui & scriptis Episcopi, & adsertione sua, ita eum confutaret, vt nocte media nauis præsidio fugeret, & vltra vbinam deuenisset penitùs nullus sciret.

Septimadecima hæresis Ophitarum. Hi à colubro nominati sunt. Coluber enim Græcè *ophis* dicitur. Habent ergo colubrum adsuetum eorum panes lingua lambere, atque ita ex se velut Eucharistiam sanctificare. Quem colubrum suum Christum appellant. Contra hos susceperunt Bithyniæ prouinciæ sacerdotes, id est ciuitatis Calchedoniæ & Nicomediæ Episcopi Theocritus & Euander & confutantes eos Publicè superarunt: atque superuentum facientes eis per collegia eorum, in Bithyniæ, vt dixi, partibus per possessiones

clan-

clanculò vbi hæc ipsa perpetrabant, & sacerdotes eorum eliminarunt, & serpentes eorum occiderunt, ac rationem reddentes omni populo, maximam partem plebis ab hoc periculo liberarunt.

Octauadecima hæresis Cainiani. Propterea sic appellati sunt, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis. Simul & Iudam traditorem diuinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant, adserentes eum præsciisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Iudæis propterea tradidisse. Hos ortos esse Mesopotamiani Ecclesiarum Syriæ sacerdotes ad ceteros suos coepiscopos conscripserunt. Quos triginta & duo Episcopi apud Antiochiam residentes, cum eiusdem vrbis Episcopo Theodoro, in præsenti confutatos damnarunt. dicentes eis illud quod sanctus Spiritus locutus est per prophetam, *Væ his qui dicunt de bono malum, & de malo bonum: qui ponunt tenebras lucem, & pro luce tenebras.* Constat ergo eos à vobis ipsis esse damnatos, qui eos vultis magnos & iustos adscribi, quos pro facti sui qualitate Deus perpetuæ gehennæ incendio destinauit.

Nonadecima hæresis Sethianorum. Hi nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus est Seth, de superna matre eum natum esse iactantes, quam conuenisse dicunt cum superno patre, vnde diuinum semen aliud nasceretur, ex quo semine sibi Deus iustos eligeret, & suos filios appellaret. Hi orti sunt in partibus Achaiæ. Contra quos suscepit sanctus Perigenes Argus ciuitatis Antistes ostendens eis, de vno sancto vero & iusto Isaac duos natos geminos, vno pariter vtero editos: vnum ad superiora diuinæ gratiæ penetrasse, aliũ ad inferiora inferi deuenisse. Vnum itaque è duobus, inquit: aut naturæ malæ sunt filij, & ambo pro id quod sunt nati, damnandi sunt: aut naturæ bonæ sunt, & pro facti sui qualitate, iuste alium benedictio coronauit, alium maledictio condemnauit. Hæc & his similia adserente sancto Perigene, aliquanti credentes conuersi sunt ab errore hoc pessimo: non credentes autem, nec conuertentes, gladio sunt anathematis amputati.

Hæresis vicesima apud Cretam Archonticorum à principibus nomen accepit. Principes enim se colere iactant, quos dicunt condidisse hunc mundum. Hos Sanctus Dioscorus Cretensis Episcopus condemnauit. Docens vnum & verum Deum in partes substantiales penitus diuidi omnino non posse. hunc esse Deum, qui se & prophetis ostendit, & in se credentes ab omnibus periculis liberauit,

rauit, ficut Noë, ficut Abraam, Isaac, Iacob, filiosque Israel, Ionam, Susannam, tres pueros: & innumerabilia erga credentes in se quæ ostendit Deus signa virtutum, quibus se solum Deum ostenderet. Adquiescentes veritati recepit, dissentientes verò æterna abominatione puniuit.

Prima & vicesima hæresis à Marcione orta est. Duo principia fuisse confirmat boni & mali. Quem Epiphanius tria dicebat principia docuisse, boni, iusti, & praui: sed Eusebius Syrinum quendam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem. Marcionitæ, cum vniuersalem Orientis Ecclesiam macularent, ab Origene superati, confutati, & per singulas sunt ciuitates damnati. Item post aliquantos annos, iam deuicti atque detecti, in Africanis partibus pullulabant: quos Tertullianus modis omnibus ita obtinuit, vt ipsos faceret contra sectam suam publice prædicare.

Vicesimasecunda hæresis Appellitarum est, quorum est princeps Apelles, qui duos quidem introducit Deos, sed vnum fatetur principium, hoc est bonum, & ab ipso factum alterum: id est ab ipso vno principio alterum factum est. Quod cùm malignum esset inuentum, à bono abiectum est: abiectum verò à bono principio hoc principium, quod malignabatur contra boni principij voluntatem, in sua malignitate mundum fecit. Inde est quòd ad malum nos promptiores quam ad bonum natura consequitur, & plus in vitijs, inquit, quàm in virtutibus delectatur. Dominum nostrum Iesum Christum asserunt carnem ex elementis suscepisse, quam aeri reddidit dum ascenderet, & sine ea intrauit in cælum. Hos Origenes ita perfectè superauit, vt eorum causa periodentes fieret, & per singulas quasque vrbes per Orientem eundo prædicaret. Et quia innumerabilia sunt tractatorum eius volumina, hæretici superati libros eius ad suos libitus callidissima argumentatione mutarunt, vt quos vellent decipere, dicerent ita Origenem suis expositionibus definisse. Vnde quicunque vsque hodie Origenem legit, si prudenti eum nouit recitatione distinguere, deprehendit loca ab hæreticis maculata: quod ita esse Sanctus Pamphilus Martyr in suo apologetico declarauit.

Vicesima tertia hæresis Cerdonianorum à Cerdone cepit exordium: qui duo principia sibi aduersantia dogmatizauit; Deumque legis ac prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum esse

Deum,

Deum, sed iustum, patrem verò Christi bonum. Christumque ipsum nec natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec verè mortuum vel quicquam passum, sed simulasse passionem. Contra hunc suscepit Sanctus Apollonius Episcopus Corinthiorum, eumque omni cum Synodo Orientali damnauit, reddens rationem, hunc esse Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, de quo Moyses in capite libri sui dicit: *In principio fecit Deus cælum ac terram.* Omnes veteris Testamenti irreprehensibiles secundum Apostolum adprobauit dicens, *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Hæc autem & his similia. hac de causa condemnatis hæreticis, rationabili sermone videbantur satisfacere sacerdotes, siue vt à præcipitio reuocarent, siue vt se ostenderent sectas damnare non homines: homines autem seipsos damnare, qui damnatas sectas amplectentes à veritate discedunt.

Vicesima & quarta est hæresis Seuerianorum, qui sunt à Seuero exorti. Vinum non bibunt, eo quod fabulosa vanitate de semine Satanæ terram germinasse adserunt vitem. Carnis quoque resurrectionem cum veteri respuunt Testamento. Hos damnauit S. Euphranon Episcopus Rhodius: apud Rhodum enim horum superstitio orta est. Quos conuicit scripturarum ratione sanctarum, in quibus legitur Deus educere de terra panem ad confirmandum cor hominis, & vinum ad lætificandum. Vini autem non vsus necessarius, sed nimietas inimica saluti culpanda est. Carnis verò resurrectionem ab illo promissam esse, qui in præsenti mortuos suscitabat: qui si mentitus fuisset, mortuos vtique suscitare non potuisset. Sanctos esse apices Testamenti veteris, sicut fundamenta domus præclare docuit, dicens, Fundamenta domus circa squalida loca sunt posita, vt ea quæ sunt superiùs nullam contumeliam stercorum patiantur. Superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibus pictis, & vario marmorum metallo sunt edita. Inferiora verò, humori terreno vicina, digesta etiam superiorum vniuersa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? si auferimus inferiora, superiora corruunt. Tamen si destruenda erant inferiora, non hoc alius poterat nisi Dei filius facere. Videamus ergo vtrumnam ipse destruxerit hoc quod nos dicimus permanere. *Putatis*, inquit, *quia veni legem destruere, aut prophetas? Non veni legem soluere, sed adimplere.* Hæc & his similia dicens, sanctus Euphranon Episcopus multos conuertit: in errore verò perseuerantes perpetua sanctione à communione priuauit.

Vice-

Vicesima & quinta hæresis est Tatianorum, à Tatiano quodam instituta, qui & Encratitæ appellati sunt. Hi nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus, aliisque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suo numero coniugio vtentem, marem vel feminam. Non vescuntur carnibus, easque omnino abominantur. Contra hos suscepit Sanctus Epiphanius Ancyræ Galatiæ Episcopus, obiiciens eis Pauli Apostoli epistolam ad Timotheum primam, eo quòd habeant cauteriatam conscientiam, prohibentes nubere, & abstinere docentes à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus & his, qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil abiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Abstinentes autem nostros catholicos idcirco laudamus, quia quando non accipiunt cibos, non quasi qui dicant malum esse accipere, sed bonum dicunt & optimum, quòd se asserunt esse ad percipiendum indignos. Sic fit vt & illud statutum Apostoli conseruetur, quod ait, *Non manducans manducantem non iudicet, & manducans non manducantem non spernat*. Non enim creaturam accusat, sed se esse talem pronuntiat, quo se dicat huius epulis refici non mereri.

Vicesima & sexta hæresi Cataphryges orti sunt: qui hoc nomen à prouincia non à dogmate adsumpserunt: quorum auctores fuerunt Montanus, Prisca, & Maximilla. Hi itaque aduentum Spiritus Sancti à Domino promissum in se potiùs, quàm in Apostolis, fuisse adserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum, & in eius prophetissas, quas supra diximus, venisse delirant. Hactenus dixerim de Cataphrygis. Cetera quæ dicuntur quasi incerta prætereo. De infantis sanguine eos accipere: quod ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia, quæ de eis dicuntur: hi enim qui contra eos scripserunt, nihil hinc penitus memorarunt. Scripsit contra eos librum Sanctus Soter Papa vrbis, & Apollonius Ephesiorum Antistes. Contra quos scripsit Tertullianus Presbyter Carthaginensis. Qui cum omnia bene, & optimè, & incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum vrbis Papam, asserens falsa esse de-

sanguine infantis, Trinitatem in vnitate deitatis, pœnitentiam lapsis, mysteris eisdem vnum Pascha nobiscum. Hoc solùm discrepamus, inquit, quod secundas nuptias non recipimus, & prophetiam Montani de futuro iudicio non recusamus. Obiiciunt quidam Tertulliano, quod animam ex traduce, id est animam dixerit ita gigni ex anima, sicut ex corporibus corpus: quod catholica fides vehementer execratur.

Vicesima septima hæresis Pepuzianorum, qui à loco quodam nominati sunt. Quam desertam ciuiatem dicit Epiphanius: hanc autem isti diuinum aliquid esse arbitrantes. Hierusalem vocant. Tantum dantes mulieribus principatum, vt sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim duas Ecclesias, Quintillæ & Priscillæ, in eadem ciuitate Pepuza. Vnum sunt cum Cataphrygis. Contemptui autem eos habent, quòd se isti Pepuziani cęteris æstiment meliores. Dicunt enim hanc Pepuzam villam fuisse Montani, Priscæ, & Maximillæ: & quia ibi cœperunt prædicare, & ibi vixerunt, ideo locum appellari Hierusalem. Et quia habitatores loci sunt, ideo cęteris se esse meliores adscribunt. Hos Apollonius superauit Ephesiorum Episcopus.

Vicesimaoctaua hæresis Artotyritas suos vocat, quibus hoc nomen oblatio dedit. Offerunt enim panem & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes Deo de fructibus terræ & ouium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis iungit Epiphanius: contra quos nullus dignatus est nec loqui.

Vicesima nona hæresis Tessarescædecatitæ dicuntur: eo quòd quartadecima luna Pascha celebrant, quilibet septimanæ occurrerit dies: & si dies Dominicus incurrerit, ipso die ieiunant & vigilant. Hoc tantum à nobis discrepant, nihil aliud. Hos Sanctus Ioannes Constantinopolites Episcopus tali ratione in multis ciuitatibus obtinuit. Abiit cum clero suo, & cum eis Pascha celebrauit, dicens, Sicut nos vobiscum celebrauimus Pascha, venite & vos nobiscum suscipite: à quibus cum hoc impetrauit, cœperunt vnum sapere & nobiscum celebrare diem. Probauerunt enim totam fidei regulam sic nos sicut se tenere, sic illos sicut nos credere.

Tricesima hæresis Alogiorum: Propterea sic vocantur, quia Verbum Dei esse filium accipere nolunt: in tantum vt Euangelium Sancti Ioannis dicant ipsius non esse: nec Apocalypsim accipiunt eiusdem Ioannis. Quid multa? Omnia nobiscum sapiunt, Verbum Dei

filium

filium Dei penitùs quasi blasphemiam execrantur. Hos Philo Episcopus sæpe superauit.

Tricesima prima hæresis Adamianorum, qui ex Adam nomen acceperunt, cuius imitantur in Paradiso nuditatem, qualis fuit ante peccatum. Vnde & nuptias auersantur, quia nec prius quàm dimissus esset de Paradiso, cognouit vxorem. Credunt ergo quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaque mares feminæque conueniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta. Et ex hoc paradisum suam arbitrantur Ecclesiam. Hos Sanctus presbyter Polycarpus detexit, obtinuit, eliminauit.

Tricesima & secunda hæresis Helceseorum. Hos quidam Helchi nomine pseudopropheta decepit: ex cuius genere duas mulieres tanquam Deas ab eis perhibetur adoratas. Cetera Hebioneis similia tenere ab Epiphanio adseruntur. Hos Papias Presbyter Achaiæ obtinuit.

Tricesimum & tertium locum heresis tenent Theodotiani, à quodam Theodoto instituti, hominem tantummodo Christum Dei filium adserentes: quod dicitur idem Theodotus propterea docuisse, quia in persecutione lapsus isto modo se casus sui deuitare putabat opprobrium, si non Deum negasse, sed hominem videretur. Hos obtinuit Craton Episcopus Syrorum.

Tricesimam quartam hæresim Melchisedechiani inuenerunt. Melchisedech, sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur, illum locum sequentes Apostoli ad Hebræos, quo ait, *sine patre, sine matre, sine genealogia.* His occurrit Dionysius Hierosolymorum Episcopus, dicens hunc & patrem habuisse, & matrem, & hoc ideo dixisse Apostolum, quia & genealogia ipsius, & materna, paternave prosapia, non haberetur in eo ordine, in quo lex Hebræorum adscripta est, cum Deo vtique placuerit generatio Hebræorum.

Tricesima quinta hæresis sunt Bardesanitæ, à quodam Bardesane peruersi. Qui Bardesan dicitur perfectus fuisse catholicus, sed postea in id per Valentini discipulum incurrisse, vt malam diceret carnis humanæ creaturam, animæ bonam. Hunc in Cappadocia damnauit Theocritus Episcopus, docens Deum bonum vtraque fecisse, vtraque copulasse, & carnis humanæ non naturam, sed præuaricationem esse culpandam.

Hæresis tricesima & sexta Noetianorum est, qui dicunt Christum eundem ipsum esse Patrem & Spiritum Sanctum: non per substantiam, sicut nos, sed per personam, vt putatiuè dicatur Spiritus Sanctus, non veraciter. Hic damnatus est à Tranquillo Episcopo Chalcedoniorum Syriæ. Ostendit enim Patrem verum, Filium verum, Spiritum Sanctum verum: vnum quidem Deum per vnam substantiam, sed tres per distinctionem personas credi debere confirmans.

In tricesimam & septimam hæresim Valesij incurrunt: qui infelices & seipsos castrant, & hospites suos. Hoc modo dicunt illud impleri, *qui se castrauerunt propter regnum cælorum*. Alia quoque hæretica docere dicuntur, & turpia: sed quæ illa sint, nec ipse Epiphanius commemorat, nec vspiam potui reperire. Hi à Synodo sunt damnati Achaiæ.

Tricesima octaua hæresis est Catharorum, qui seipsos isto nomine quasi propter munditiam superbissimè appellarunt. Secundas nuptias non admittunt, Pœnitentiam denegant, Nouatum sectantes hæreticum: vnde etiam Nouatiani appellantur. Contra hunc Beatus Xystus Martyr & Episcopus, & venerabilis Cyprianus Martyr Christi, tunc Carthaginiensis Pontifex, scripsit contra Nouatum librum de lapsis, quòd possint per pœnitentiam recuperare gratiã, quam labendo perdiderant: quod Nouatus adserebat fieri omnino non posse.

Tricesima & nona hæresis Angelicorum est. Hi Angelicos se vocari voluerunt. Dicunt enim Angelos debere adorari & excoli animo, & ipsis preces effundi, vt ipsi quem sciunt posse plus à se, ipsi faciant, votis hominum & petitionibus subuenire. Hos Epiphanius iam omnino defecisse testatur victos à Theophilo Apamico Episcopo.

Quadragesimo loco apparuerunt Apostolici, qui se hoc nomine adroganter appellari voluerunt, eo quòd in suam communionem non recipiunt vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet catholica, & monachos, & clericos plurimos. Ideo ergo isti hæretici sunt, quia se ab Ecclesia separantes, nullam spem eos putant habere qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent. His in eo testimonio occurrit Ecclesia, in quo dicit Apostolus, Etiamsi corpus meum non solùm abstinentiis macerem, sed etiam tradam eum igni vt ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

In quadragesimam & primam hæresim Sabelliani à Sabellio incurrerunt: ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi Sanctum Spiritum confitentes. Hi sunt qui & Praxeani dicuntur, qui habuerunt inter initia Praxeam quendam doctorem. Dicuntur & Hermogeniani, quia Hermogenem habuerunt in Sabellij contubernio. His occurrit Dositheus Episcopus Seleuciæ, docens eum totam Trinitatem negare, dum se æstimat vnitatem defendere. Pater enim ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens ex Patre, coæqualis per omnia Patri & Filio. Deitas enim sic recipit vnitatem substantiæ, vt distinctionem personæ non perdat.

Quadragesimam & secundum hæresim Origeniani inchoauerunt, à quodam Origene, non illo, qui fere omnibus notus est, sed alio Syro quodam sceleratissimo: de quo dicit Epiphanius, quòd tam turpia docuerit, vt nec debeant per scripturam ad nostros posteros destinari.

Quadragesimam & tertiam hæresim alij Origeniani continuo subsecuti sunt, vt dicit Epiphanius: qui & mortuorum resurrectionem negant: Christi autem creaturam esse Sanctum Spiritum dicunt: Paradisum autem, & cælos, allegorice dicta firmantes. Hi duo Origenes praua quæque scripserunt. Hæretici & peruersi doctores nostro Origeni catholico tractatori miscuerunt vt adimpleretur quod dicitur à Domino in Euangeliis, *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo hæc zizania? Qui respondens ait, inimicus homo hæc fecit*. Ideo enim Origenem legentes inuenimus catholicum, & contra hæreses dimicantem & vincentem: identidem legentes Origenem inuenimus hæreticum & aduersa fidei adstruẽtem. Litteræ verba tradunt & sensus. si possent & facies loquentium demonstrare, errorem nullus poterat de persona doctoris incurrere. Nam & illud cauendum est, quod Ampullianus quidam hæresiarches Bithynius, qui docebat post Origenem Ecclesiam Dei. Hic incurrit talem hæresem, vt diceret omnes criminosos cum diabolo & dæmoniis eousque in gehenna decoqui, vsquequo puri redditi possint inde mundi & immaculati egredi, ad hoc quod antea fuerant alieni à culpa suo iterum creatori restitui. Hic dum argueretur ab vniuersali Ecclesia, cœpit proferre libros Origenis, quos ipse vitiauerat, & dicere, Ecce quia Origenes ita sensit: & præcipuè in quatuor periarchon libris. Sed qui sani sensus est, & habet splendidos oculos, hic videt addita in Origenis opusculis mala ista atque

cogno-

cognoscit, sicut si in stragulo coccineo pannos albos, aut cuiusque alterius coloris cernat adsutos. Quod ita esse Sanctus Martyr Pamphilus docet, qui antequam ad martyrij coronam attingeret, irreprehensibiliter cathedram episcopatus obtinuit, & sanam Doctrinam Dei populis ministrauit. Hic edidit apologeticum, & omnia quæ de Origene catholici ignorantes mentiuntur, exclusit, ostendens ea, quæ reprehensibilia inueniuntur in eius opusculis, Origenis non esse, sed eorum quos ipse superauerat: alia verò, quæ tota peruersa sunt, aliorum duorum hæreticorum esse, qui Origenis nomen, non fidem, nec conscientiam habuerunt.

Quadragesima & quarta hæresis, à Paulo Samosateo inuenta, Paulianum sibi populum fecit. Christum non semper fuisse, sed à Maria cœpisse, nec amplius eum aliud quàm hominem dicunt. Hæc hæresis antea fuit Artemonis, quæ cùm defecisset, ab isto Paulo Samosateo restaurata est. Item contra hunc suscipiens Ecclesia, licet post multos annos, dum defecisset cum adsertoribus praua defensio, à Photino nostro Episcopo renouata iterum, Photinianum populum pullulauit. Siue ergo Artemonianos audias, siue Paulianos, siue Photinianos, vnum scias: sicut Donatistas, & Monteses, & Parmenianos vocamus, Donatistas à Donato, Monteses à montis latebra, Parmenianos à Parmeniano, qui per totam Africam libros cõtra nos conficiens, & nouos psalmos faciens circumibat, contra quem noster scripsit Optatus. Sed redeamus ad Paulianos. Omnibus notum est, nos hæreticos venientes non rebaptizare, sed manum reconciliationis accedere, & ita diuino populo tradere sociandos. De Paulianis autem sancta Synodus Nicæna hoc constituit, vt prorsus baptizentur, & ita demum catholico populo socientur. Vnde ego credo regulam eos baptismatis integram non tenere: & ideo hoc decretum à Christi Pontificibus constitutum.

Quadragesima & quinta hæresis Photinianorum est à Photino, quem sic dixi nostrum Episcopum fuisse, sicut fuit noster Iudas Scariotes Apostolus. Hic suum populum fecit. Hominem quidem purum fuisse Christum docebat, & à Maria cœpisse cum Paulo Samosateo sentiebat: sed Spiritum Sanctum semper fuisse memorabat: hoc solùm quadragesimæ quartæ hæresi dissimilis, quòd populum à se peruersum suo nomine nuncupauit.

Quadragesima & sexta hæresis à Mane inchoata Manichæorum contubernium fecit. Hic Manes, cùm esset ciuis Persa, & in Persi-

de

de docens se Apostolum Dei diceret, etiam ad Græciam deuolutus est. Quem Græci discipuli eius, deuitantes nomen insaniæ, Manichæum vocari decreuerunt. idest quasi manna fundentem. Iste duo principia inter se diuersa & aduersa, eademque æterna & coæterna, hoc est semper fuisse composuit: duasque naturas atque substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Quorum inter se pugnam & commixtionem, & boni à malo purgationem, & boni quod purgari non potuit cum malo in æternum damnationem, secundum sua dogmata adseuerantes, multa fabulantur, quæ cuncta intexere nimis longum est. Dicunt animas bonas, & eiusdem cuius est Deus esse naturæ. Proinde mundum à natura boni, hoc est à natura Dei factum confitentur quidem, sed de commixtione boni & mali, quæ facta est quando inter se vtraque natura pugnauit. Ipsam verò boni à malo purgationem ac liberationem, non solùm per totum mundum, & de omnibus eius elementis, virtutem Dei facere dicunt: verum etiam Electos suos per alimenta quæ sumunt. Et eis quippe alimentis, sicut vniuerso mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam: quam purgari putant in Electis suis eo genere vitæ quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius & excellentiùs Auditoribus suis. Nam his duabus professionibus, hoc est Electorum & Auditorum, Ecclesiam suam constare voluerunt. In ceteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ diuinæque substantiæ, quæ mixta & colligata in escis & potibus detinetur, maximeque in eis qui generant filios, arctius & inquinatius conligari putant. Quicquid verò vndique purgatur luminis, per quasdam naues, quas esse Lunam & Solem volunt, regno Dei tanquam propriis sedibus reddi. Quas naues de substantia Dei pura perhibent fabricatas: lucemque istam corpoream, animantium mortalium oculis adiacentem, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa, quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum: eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, vnde homines ducere originem censent, in tenebris repentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno & substantia Dei missa esse dicunt, & in illa pugna fuisse permixta, fumo aërem, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum.

Naues

Naues autem illas, ideſt duo cæli luminaria, ita diſtinguunt, vt lunam dicant factam ex bona aqua, ſolem verò ex bono igni. Eſſe autem in eis nauibus ſanctas virtutes, quæ ſe in maſculos transfigurant, vt iniiciant feminas gentis aduerſæ: & per hanc inlecebram commota eorum concupiſcentia, fugiat de illis lumen quod membris ſuis permixtum tenebant, & purgandum ſuſcipiatur ab Angelis lucis, purgatumque in illis nauibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occaſione coguntur Electi eorum velut Euchariſtiam conſperſam cum ſemine humano ſumere, vt etiam inde, ſicut de aliis cibis quos accipiunt, ſubſtantia illa diuina purgetur. Sed hoc ſe dum facere negant, detecti ſunt. Nam & apud Eccleſiam Carthaginienſem ita ſunt manifeſtati. Denique in conuentu Epiſcoporum, coram omni populo, confeſſa eſt puella, nondum annorum duodecim, iſtam nefariam turpitudinem, & multas prodidit, ſeipſam adſerens ob hoc ſceleſtum ſacramentum eorum vim eſſe perpeſſam. Cui cùm primò non crederetur, vni puellæ & ſoli, plurimas nominauit huius facinoris conſcias: quas ſolatio Vrſi Tribuni, qui tunc domui regiæ præfuit, de diuerſis domibus, vbi latebra fouebantur, eiectas à clericis ad Eccleſiam Reſtitutam adductas, id ipſum propter hoc ipſum paſſas. vix & compulſas conſtat eſſe confeſſas. Tunc totum illud turpiſſimum ſcelus, vbi ad excipiendum & commiſcendum concumbentium ſemen farina ſubſternitur, profertur in medium, & quod cum infinito rubore dicitur & auditur, recenti tempore nonnulli eorum ad Eccleſiam adducti ſunt, ſicut geſta Epiſcopalia ibidem confecta teſtantur. Tria ergo genera eorum ſunt, Cathariſtæ, Macarii, & Manichæi. Omnes tamen has tres formas ab vno magiſtro, ipſo ſcelerato Mane, conſtat eſſe conſcriptas. Omnes denique Manichæum legunt, & omnes libri eius ſunt eis ſine dubitatione communes. In quibus libris agitur, vt per concupiſcentiam diſſoluatur vtriuſque ſexus princeps tenebrarum, & fugiat ab eis liberata diuina ſubſtantia, quam in hominis ſemine teneri exiſtimant inquinatam: vnde etiam Cathariſtæ appellantur, quaſi purgatores. Qui cùm carnes non comedant, tam polluti ſunt, vt cum omnibus ſuis etiam humanum ſemen adſumant, cùm nec oua ipſa accipiant: aiunt enim, & ipſa dum franguntur expirant. Sed nec alimonia lactis vtuntur: non quia putent diuinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtum: ſed quia ſibi error ipſe non conſtat. Nam & vinum non bibunt, dicentes fel eſſe principis tenebrarum: & tamen

uvas comedunt, cùm de musto nec digitum intinctum adsumant? Animas Auditorum suorum in Electos reuolui arbitrantur: cęteras autem animas, quæ eorum non sunt Auditorum, in pecora redire adserunt, & in omnia quæ radicibus fixa sunt, atque aluntur in terra. Herbas enim, & arbores, ita in eis vitam esse putant, vt sentire ea cùm læduntur æstiment, & dolere. Vnde & agriculturam, quæ omnium artium est innocentior, tanquam plurimorum homicidiorum ream, dementes accusant, & præcipuè cùm agrum ab spinis viderint repurgari: suisq; Auditoribus ideo arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta Electis suis: vt diuina illa substantia, in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec folia vlla vellentes, expectant hæc afferri vsibus suis ab Anditoribus suis, viuentes tot & tantis secundum suam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eosdem Anditores suos, vt si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cælestibus conligatos, à quibus omnem carnē dicunt originem ducere. Et sic vtuntur coniugibus, vt conceptum generationemque deuitent: ne diuina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, idest escas & potus, venire animas credunt. Vnde & nuptias sine dubitatione condemnant, & quātum in ipsis est prohibent, quando generare prohibent, propter quod sunt copulanda coniugia. Adam & Euam ex principibus fumi adserunt natos: quorum pater esset nomine Saclas, quem sociorum suorum fœtus omnium adserunt deuorasse, & quicquid inde commixtum diuinæ substantiæ ceperat, cum vxore concumbens in carne prolis, tanquā tenacissimo vinculo, conligasse. Christum autem fuisse adfirmant quem dicit nostra scriptura serpentem: à quo inluminatos adserunt eorum adspectus, vt bonum malumque dinoscerent: eumque Christum nouissimis temporibus aduenisse, ad animas non ad corpora liberanda. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: vbi non solùm mortem, verùm etiam resurrectionem similiter mentiretur. Deum, qui legem per Moysen dedit, & in Hebræis prophetis locutus est, non esse Deum verum, sed vnum ex principibus tenebrarum adfirmant, ipsiusque testamenti noui scripturas tamquam falsatas ita legunt, vt quod volunt inde accipiant, quod nolunt reiciant: eisque tam-

quam totum verum habentes nonnullas apocryphas anteponunt. Promissionem Domini nostri IESV CHRISTI de Paraclito, in suo hæresiarche Manichæo dicunt esse completam. Vnde se ipse in suis litteris Iesu Christi Apostolum dicit, eo quòd Iesus Christus se eum missurum esse promiserit: & ideo eius Apostolus, quia in eo missus sit Spiritus Sanctus. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit, instar Apostolici numeri: quem numerum Manichæi hodieque custodiunt. Nam & ex Electis suis habent duodecim, quos appellant Magistros, & tertium decimum principem ipsorum. Episcopos autem 72. qui ordinantur à Magistris, & presbyteros, qui ordinantur ab Episcopis, numeri indefiniti. Habent etiam Episcopi diaconos. Iam cęteri tantummodò Electi vocantur. Sed mittuntur etiam ipsi, qui videntur idonei, ad hunc errorem, vel vbi est augmentandum, vel vbi non est seminandum. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre: nec quemquam eorum quos decipiunt baptizandos putant. Orationes faciunt ad Solem per diem, quaqua versum circuit: ad Lunam per noctem si apparet: si autem non apparet, ad Aquiloniam partem, qua Sol cùm occiderit ad Orientem reuertitur. Stant orantes. Peccatorum autem originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis aduersæ, quam dogmatizāt esse hominibus mixtam. Omnem verò carnem non diuinitatis, sed malæ mentis adserunt esse opificium, quæ contrario Deo coæterna est. Carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit aduersus spiritum, substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, vt quando liberamur atque purgamur, iterum reparetur, & in sua natura etiam ipsa immortaliter viuat. In vno homine duas dicunt animas esse, & duas mentes, easque per naturam contrarias, bonas & malas: easque dicunt inter se habere conflictum. Finito autem isto sæculo, post conflagrationem mundi, istam substantiam mali in globo quodam dicunt tamquam in carcere esse victuram. Cui globo adfirmant accessurum, & semper adhæsurum, & quasi coopertorium atque tectorium, ex animabus natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint à naturæ malæ contagione mundari.

Quadragesimus septimus hæreticus Hieraca Hieracitas instituit. Hi resurrectionem carnis negant. Monachos tantùm & Monachas, & eos qui coniugia non habent, in communionem recipiunt. Ad

regnum

regnum cælorum non pertinere parvulos dicunt; quia non sunt eis merita vlla certaminis quo vitia superantur. Contra hunc suscepit Sanctus Aphrodisius Hellesponti Episcopus, adserens resurrectionem carnis & nouo & veteri Testamento esse firmatam. Infantes autem iam homines esse: & sicut si quis occidat homicidæ suscipit crimen, sic qui eos baptismate consecrauerit, mercedem sibi de hominis salute adquirit. Communionem nulli negandam, nisi his qui prætermissis coniugibus propriis alienas requirunt.

Quadragesima octaua hæresis est Meletianorum, à Meletio quodam. Nolentes orare cum his qui in persecutione ceciderant, schisma fecerunt. Quibus restitit Sanctus Basilius Episcopus Cappadociæ, dicens maiorem spei & fidei caritatem; quæ omnia tolerat, & manum lapsis magis porrigendam. Hortatur etiam desperantes recuperatione prouocandos vt redeant: si quidem etiam Angelis in cælo gaudium faciat vnus pœnitens, quam nonaginta nouem qui non peccauerunt.

Quadragesimus & nonus hæresiarches Arrius ortus est. Hic populos Arrianos instituit: qui Patrem & Filium & Spiritum Sanctum nolunt esse vnius eiusdemque substantiæ, sed esse Filium creaturam, Spiritum verò Sanctum creaturam creaturæ, hoc est ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem quòd Christum sine anima carnem suscepisse arbitratur, Epiphanius prodidit. Et ideo Patrem maiorem Filio sic dicit, quasi creatorem: & Filium maiorem Spiritu Sancto, quasi creatorem eius. Nostros, idest catholicos, ad se venientes rebaptizant: vtrum hoc etiam aliis, idest non catholicis, faciant, nusquam legitur. Primus contra hos suscepit Sanctus Hesiodus Episcopus Corinthiorum, vir qui etiam mortuos suscitasse adseritur. Vnde factum est, vt plus sanctitatem quàm disputationem adtendentes homines Arium execrarentur. Siquidem eius orationibus adseritur ipse Arius in secessum sedens vniuersa simul interanea cũ stercoribus profudisse. Iam contra sectam eius tam Orientales quàm etiam Occidentales Episcopi scripserunt. Quibus eum per singula capita dogmatum suorum adserunt blasphemantem.

Quinquagesimos Audianos memorat Epiphanius non quidem hæreticos, sed schismaticos: quos alij Anthropomorphitas vocant, quoniam Deum sibi fingunt, cogitatione carnali, in similitudine imaginis corruptibilis hominis, dicentes; *Oculi Domini super iustos: cælos opera digitorum Dei*. &, *Deus sedet super sedem sanctam suam*.

&, *Deus stetit in Synagoga Deorum*, & cetera: quæ possunt de visibili cogitari. Quia ergo in nullo alio errant, mitius eos agens Epiphanius, noluit hæreticos nominare, dans veniam rusticitati. Quòd autem nobis non communicant, diuitias habere nostros Episcopos clamant, quas Christus etiam laicos contemnere iubet. Pascha cum Iudæis celebrant. Egit contra hos Zenon Syrorum Episcopus.

Quinquagesima prima hæresis Eunomianorum, ab Eunomio. Hi serpentis antiqui spiritu pleni, solùm minorem Filium, sed nec similis essentiæ esse Filium adseuerant. Egit contra hos Ammonius presbyter.

Quinquagesima secunda hæresis Macedonianorum, à Macedonio. Hos Pneumatomachos appellant per Orientem nostri, eò quòd de Spiritu Sancto litigent. Nam de Patre & Filio rectè sentiunt: Spiritum verò Sanctum nolunt credere Deum, creaturam eũ dicentes. Philaster scribit Macedonium Spiritum Sanctum deitatem Patris & Filij dicere; quo dicto videtur proprietatem suam sancto Spiritui denegare.

Quinquagesima tertia hæresis Aerianorum, ab Aerio, quodam: qui cùm esset presbyter, doluisse fertur quòd non esset Episcopus ordinatus, Cœpit docere, non debere pro dormientibus offerri: nec statuta celebranda esse ieiunia: sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni: & non admitti ad communionem suam, nisi à coniugio abstinentes.

Quinquagesima & quarta hæresis Aetiana, ab Aetio vocata. Hi cum Eunomio dissimilem per omnia Patri Filium confitentur: & dicunt, quicumque nostræ fidei consentiunt, sciant sibi nulla obesse peccata, quæcumque ab eis fuerint perpetrata. Contra hos Synodus 20. Episcoporum egit in Achaia.

Quinquagesima & quinta hæresis Apollinaristarum est, ab Apollinare inchoata. Negant hominem perfectum in Christo, sed adsumptionem carnis ita factam, vt intus in homine pro anima diuinitas esset. Carnem autem & Verbum vnius eiusdemque voluit docere substantiæ. Contentiosissimè adserentes *Verbum caro factum est*, volunt docere aliquid de Verbo in carnem conuersor. Insuper etiam de Mariæ carne nihil esse susceptum in incarnatione Domini nostri Iesu Christi confirmant. Egit contra hunc Synodus in Antiochia.

In

In quinquagesima sexta hæresi Antidicomaritæ appellati sunt hæretici, qui Mariæ virginitati vsque adeo contradicunt, vt adfirment eam post Christum natum viro fuisse commixtam. Egit contra hos Theodotus Cyprius Episcopus.

Quinquagesimam & septimam hæresem Messalianorum inuenimus: quod nomen ex lingua Syra est, Græcè autem dicuntur Euchitæ, ab orando sic appellati. Non psallunt, iugiter orant. Sed quia hoc solùm faciunt, non habentes caritatem, nec alloquij, nec humanitatis, inter hæreticos sunt à Sancta Synodo computati. Condemnant etiam eos Monachos, qui aliud, præter legendi orandique opera, aliquid fuerint operati, vel artis, vel agriculturæ. Vsque ad istos Epiphanius peruenit, & siluit. Credo eum vsque ad id temporis vixisse. Præterita enim & præsentia indicare humana curiositas potest: Deus autem solus potest futura prædicere. Verùm quia Philaster in suis & ipse libris, quibus diuersorum retexit historias, etiam hæreses, quæ ortæ fuerint cęteris quibusque temporibus, ex eius nunc libris discerpendo solas hæreses in medium exhibemus. Egit contra hos Ephrem presbyter Syrorum.

Quinquagesimam & octauam hæresem Metangismonitæ inchoauerunt. Αγγεῖον Græco sermone vas dicitur, μεταγγισμὸς autem vas intra vas aduertitur. Ex isto ergo articulo hoc sibi nomen adsumunt, dicentes, sic est Filius in Patre, quomodo vas minus intra vas maius. Quos ideo repudiat Ecclesia: quia de incorporeo carnaliter sentiunt, & de incomprehensibili * liniatis agunt, & de æqualitate diuinitatis gradus statuunt. Egit contra hos Diodorus Episcopus Nicomediæ.

In quinquagesima & nona hæresi Seleuciani sunt, orti à Seleuco, qui elementorum materiam, de qua factus est mundus, non à Deo factam dicunt, sed Deo coæternam, nec animam Deo tribuunt creatori, sed creatores esse animarum Angelos volunt de igne & de spiritu. Malum autem adserunt esse aliquando à Deo, aliquando à materia. Negant Saluatorem in carne sedere ad dexteram Patris: sed ea se exuisse perhibent, eamque in Sole posuisse, accipientes occasionem de psalmo, vbi legitur, *In sole posuit tabernaculum suum.* Negant visibilem Paradisum, baptismum in aqua non accipiunt, resurrectionem non credunt futuram, sed quotidie adserunt in generatione filiorum. Hos non admittit disciplina fidei nostræ nobiscum disceptationem adsumere: sed pro definitionibus suis eos prę-

cepis

cepit anathemati mancipari.

Sexagesimam hæresim Proclinianistæ à Proclino fecerunt. Dicunt isti, Dei Filium sic paruisse in terris, sicut Raphaelem Angelum, aut Gabrielem, non carne adsumpta, sed visa. Sic se miscent populo Dei, vt non intelligantur. Denique quia nullum alium errorem patiuntur, communicant nobiscum: & hoc est quod peius est, quia quoscumq; simplices inuenerint, ita eos faciunt sentire & credere. Hoc scelus valde inimicum salutis nostræ ita adstruunt, Ergo Deus illas sordes habuit sustinere, quas naturalis conceptio partus & parientis infligit? habuitque Dei filius habere aluum degesta sua abluentem, humorem de naribus, saliuam ex ore, sordem in aure, in ventre stercora, putorem in exhalatione? & his similia, quæ insania mentis excogitat. His Tertullianus vehementer occurrit, ostendens Dei Filium impassibilem esse, & ista diuinitati non iniuriam sed laudem adferre. Sicut rex, qui volens anulum aureum cum gemma de cloaca leuare, induit se seruilem tunicam, & sic descendit ad cloacam, vt stercoreas iniurias tunica illa suscipiat, & mittens manum, & anulum aureum cum gemma eripiens, aqua abluit, & digito suo regali induit, posteaquam inde ascenderit. Ita proculdubio Dei Filius, formam serui suscipiens, venit non solùm ad inferos cœlorum, vbi nos sumus qui videmur viuere in mundo, sed etiam ad inferos inferiores, qui tanto à nobis sunt profundiùs, quanto nos sumus cœlo, & vt inde humanum genus eriperet, cunctarum sordium, non suarum, sed nostrarum, est squalorem perpessus. Pro viuentibus sic vixit, sicut nos qui viuimus, nihil aliud distans, nisi hoc, quòd immaculatam vitam exercuit, habens intra se Deum: pro mortuis sic mortuus, nihil distans nisi hoc, quòd tertia die resurrexit à mortuis, & quòd propterea sic descendit, vt sanctos inde erueret, & mortis principem religaret. Quòd autem anulum aureum cum gemma posuit, hoc in sequenti lectione edocuit, quòd anulum corpus posuerit, gemmam verò inclusam esse animam declarauit. Hunc ergo anulum de stercoribus antiquis, & de cloaca huius mundi, Christus eleuans, ac baptismatis vnda perfundens, ab omni squalore abluens, in suis fecit sanctis manibus radiare. Siquidem ita legitur, *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt*, & iterum, *Pone me sicut anulum in manu tua*, &, *In manus tuas commendo spiritum meum*, & infinita sunt his similia in sacris apicibus, quæ nos causa breuitatis omittentes, ad sexagesimam & primam hæresim accedamus,

Sexa-

Sexagesimam & primam hæresim Patriciani fecerunt, à Patricio sumentes exordium. Hi substantiam carnis humanæ non à Deo, sed à diabolo conditam dicunt: eamque sic detestantur, vt hunc dicant esse perfectum, qui se potuerit constanter occidere. Ex his sunt aliquanti, qui etiam rogant eos, quos inuenerint ignotos, vt ab eis occidantur. Hæc insania in partibus Numidiæ superioris & Mauritaniæ cœpit olim. Hos miseri Donatistæ postea secuti, cœperunt se montis præcipitio quasi futuri martyres tradere: vt qui vitam æternam catholicæ fidei derelinquunt, viothanati æternam mortem inueniant. Contra hos Optatus legitur egisse.

Sexagesima secunda hæresis Ascitarum est. Ascitæ ergo ab vtre appellantur. Ἀσκὸς enim Græcè vter dicitur. Isti cùm in Trinitate nihil mali habeant, vtrem tamen ingentem iuxta altare ponunt, eumque vacuum inflant, & linteaminibus velant & adorant, quia confectum cruoris Domini ibi adiciunt, illud dicentes euangelicum, *Vinum novum in vtres nouos adiciunt, & vtraque conseruantur*.

Sexagesima tertia hæresis est Passalorynchitæ. Omnes, quando ad Ecclesiam suam conueniunt, tanto silentio student, vt & naribus & labiis suis digitum adponant, ne vel ipsam taciturnitatem flatibus lædant. Cur autem per palum digitum significare maluerint, à quibus hoc nomen compositum est, nescio, cùm Græcè πάσσαλος palus dicatur, & digitus δάκτυλος, & ῥύγχος nasus. Melius autem mihi videtur, si Dactylorynchitæ vocitentur. Inuenit sibi diabolus in lege Dei quos faceret Pythagoras, illud obseruantes Apostoli, *Orabo spiritu, orabo & mente: psalmum dicam spiritu, psalmum dicam & mente*. Docent ergo homines foras Ecclesiam, quid dicant in cordibus suis intra Ecclesiam positi. Quasi non idem Apostolus dixerit, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vanum dico ego eum laborem arripere, qui dignatur talibus respondendo tempus consumere, iustumque iudico, vt tacentes tacendo vincamus.

Sexagesima quarta hæresis Aquariorum, qui ex hoc appellati sunt Aquarij, quod aquam offerunt in poculo sacramenti. Dicunt enim vinum ebrietatis esse rem, per quam homicidia, & fornicationes, & cętera scelera perpetrantur, cùm constet omnia excedentia modum crimen facere, & vitium procreare. Non ergo vini haustu, seu nimietate, crimina committuntur. Quid est enim, quod nimis

sumptum

sumptum non culpam incurrat? Bibatur nimis aqua, videamus si non lædat, comedatur nimis panis, videamus si non crapulam faciat. Optimum ergo in rebus omnibus modum tenentes, etiam hos anathematizamus, cur cruorem Christi à fonte separantes, præiudicio fornicatorum & homicidarum, regulam à Christo fundatam audacter infringant.

Sexagesima quinta hæresis Coluthianorum à quodam Colutho emersit. Hi dicunt Deum creasse mala & bona: secundum litteram sentientes quod dicitur, *Ego Deus creans mala & faciens bona.* Cùm Deus hoc per prophetam promiserit, quòd faceret eos sine gladio hostium viuere, & faceret terram dare germen suum, abundantiamque omnium frugum, si eius mandata seruassent: si verò præuaricatores essent, gladium & famem paterentur, & his dictis adiunxerit, *Ego Deus creans mala, & faciens bona*, illi hoc ad substantiam ab specie transferentes, malorum Deum adserunt creatorem. Cùm creatura nulla sit mala, possunt, vt video, Deum blasphemare peruersum, quia dicit ad populum, *Si ambulaueritis recti, & ego vobiscum ambulabo rectus: si autem ambulaueritis peruersi, & ego incedam vobiscum peruersus.*

Sexagesima sexta hæresis Florianorum, à Floriano, qui dicit malas animas & bonas à Deo creari. Ideo, inquit, qui malitiosi sunt, mali sunt & non mutantur, & boni simpliciter viuentes non in audaciam iniquorum hominum protrahuntur. Quod dictum à Theodoro breuiter vincitur ita. Iudas bonus fuit, & factus est traditor. Ipso tempore quo meretrix pessima lacrymis rigabat pedes eius, misericordiam quærens, si animam malam habuit mulier, quare in meretricio crimine non eo tempore perdurauit? Constat ergo animas bonas à Deo conditas, quibus per naturam hoc inesse creator indulsit, vt cùm sint bonæ, non solùm actu suo meliorentur, sed etiam in ipsa possint malignitate conuerti, dum illud diligentia inuenit, hoc incurrit negligentia.

Sexagesima & septima hæresis est Satannianorum, à Satannio. Hi dicunt, post resurrectionem mortuorum, in eodem statu, in quo nunc sumus, nos esse mansuros: neque ita esse mutandos, vt sic cælum novum & terra noua, sicut sancta scriptura promittit. Contra hos vtriusque Testamenti scripta luctantur.

Sexagesima & octaua hæresis est Gymnopodarum. Hi nudis pedibus semper ambulant, eo quòd dixerit Dominus ad Moysem,

Solue

Solve calceamentum de pedibus tuis, & quod Sanctus Esaias legitur nudis pedibus ambulasse. Ideo hi *schisma faciunt*, quoniam calceatos condemnant.

In sexagesimam & nonam hæresim Donatistæ à Donato exorti sunt, qui propter ordinatum contra suam voluntatem Cæcilianum, Ecclesiæ Carthaginiensis Episcopum, schisma fecerunt, obiicientes ei crimina non probata, & maximè quòd à traditoribus diuinarum scripturarum fuerit ordinatus. At vbi hinc mentiri conuicti sunt, schisma in hæresim conuerterunt. Quasi etiam si vera fuissent crimina in Cæciliano, statum suum de toto orbe terrarum Ecclesia amittere potuisset propter vnius hominis culpam, seu veram, seu quod magis apparuit iudicibus, falsam: & in parte Africana solus Donatus potuerit statum Ecclesiæ conseruare, de toto autem orbe terrarum sit deletus sanctorum Apostolorum labor, & passio Martyrum. Immo ipse Saluatoris nostri cruor ad conseruandum cœtum catholicæ fidei defecit, quem solus Donatus cum aliquantis asellionibus Byzacenis obtinuit. Et ideo ausi sunt rebaptizare catholicos. In quo opere & præsumptores se & damnabiles comprobarunt, cùm Ecclesiæ vniuersali sciant placuisse, nec in ipsis hæreticis baptismatis violare virtutem. Huius hæresis principem legimus Donatum, qui de Numidia veniens Carthaginem, & contra Cæcilianum Christi diuidens plebem, adiungens sibi eiusdem factionis Episcopos, Maiorinum nomine in sua parte apud Carthaginem ordinauit Episcopum. Cum Maiorino Donatus alius in eadem diuisione successit, qui eloquentia sua sic confirmauit hanc hæresim, vt multi existiment de ipso potiùs Donatistas initium hæreseos adsumpsisse. Extant hodie scripta eius, vbi probatur in Trinitate contra fidem catholicam suscepisse. Et quamvis vnius substantiæ dicat in Trinitate Deum Patrem, tamen maiorem Filio, Filium maiorem Spiritu Sancto confirmare tentauit. Sed in hunc errorem ideo nullus de populo eius attendit, quia alia erat intentio inter partes. Hi hæretici in partibus Italiæ Montenses appellantur, in interiore Africa Parmeniani, in Carthaginiensi Donatistæ. In vtriusque Numidiæ partibus habent veluti Monachos, quos Circumcelliones vocamus, agrestes & audacissimos dæmonum famulos: qui non solùm in alios acriter sæuiunt, verùm etiam sibi ipsis miseri omnino non parcunt. Nam per mortes varias, maximeque præcipitiorum, & aquarũ, & ignium, sese interficere consueuerunt.

& ad hunc exitum ex vtroque sexu quantos potuerint seducunt. Aliquando etiam quos inuenerint rogant, vt ab eis occidantur, mortem nisi fecerint comminantes. Quod verum est, multis Donatistarum displicent tales: sed hoc verbo, non opere. Nam si verè displicerent, vtique talibus non communicarent, qui per totum orbem Ecclesiis vnius Cæciliani crimen impingunt. Nam & inter se frequenter habuere dissidia. Denique apud Carthaginem, temporibus Heracliani Comitis, cùm Maximianus contra Primianum, ab eiusdem erroris centum ferme Episcopis ordinatus, à reliquis trecentis decem Episcopis, qui ordinationi eius crimina impingebant, fuisset damnatus, docuit populum qui eum sequebatur, etiam extra Ecclesiam dari posse baptismum Christi. Denique, quicumque aut à Primiano ad Maximianum abiit, aut à Maximiano ad Primianum, non est iterum baptizatus ab eo qui contra voluntatem eorum ordinatus est, comprobantur ab eo quem vtique damnauerunt, non abiciunt, non renuunt, non mutant baptismatis sacramentum: & seu à Primiano, siue à Maximiano quis aut baptizetur, aut clericus ordinetur, quasi ab vno factum sit, non à duobus contrarijs, in ea dignitate, qua ab vno venerit quis ad alterum, perseuerat, non mutatur baptisma, nec dignitas tollitur, quia non de baptismatis altercatione, sed de ordinationis contentione facta diuisio comprobatur. De Cæciliani enim ordinatione dissentire cœperunt, non de baptismatis aut fidei transgressione sese ab Ecclesia absciderunt.

Septuagesimam hæresim Priscillianorum apud Hispanos Priscillianus legitur inchoasse. Hi animas diuinæ naturæ adfirmant. Quas ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum, per septé cælos, & per quosdam gradatim dicunt descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari. Adserunt etiam fatalibus stellis homines conligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cęli esse compositum. Prorsus sicut ij qui Mathematici vulgò appellantur, constituunt in capite arietem, taurum in ceruice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cetera nominatim signa percurrentes ad plantas, à signo Christi ad signa astrologi migrauerunt. Hæc & alia fabulosa & vana multa confingunt. Vxores à viris quas potuerint separant. Carnes sicut Manichæi fugiunt. Apocryphas simul cum canonicis scripturis accipiunt, & in sensus suos allegorizando conuertunt. Trinitatem

nitatem autem, sicut Sabelliani, ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filiú, ipsum sibi Sanctum Spiritum confitentur.

Septuagesimam & primam hæresim Adelofagi inchoarunt, dicentes non debere ita cibum sumere Christianum, vt ab alio videatur dum comedit. Et hæc sola causa eos ab Ecclesia separare dinoscitur. Trinitatem enim eiusdem substantiæ confitentur. Egerunt cum eis Episcopi de Epheso.

Septuagesimam & secundam hæresim Rhetorianorum, à Rhetorio inchoatam Philastrio scribente inuenimus. Hi ad tantam vanitatem deuoluti sunt, vt dicant omnes hæreticos rectè apud Deum incedere, quia hoc in eorum mentibus datum est, sic colunt Deum sicut possunt. Error eorum nobis videtur reprehensibilis: apud Deum autem, nec error est, nec vituperatio. Hi hoc docentur à suis doctoribus, vt præter templa & synagogas, vbicumque inuocatur Christus natus ex Virgine, introeant, & participes se faciant hæreticorum.

Septuagesima & tertia hæresis est Theoponitarum. Hi dicunt in Christo, dum pateretur, diuinitatem sic doluisse, sicut potest dolere anima dum corpus suppliciis agitur. De quibus ait Gregorius Episcopus: Infelices & miseri non vident, in arboribus, quando ferro cæduntur, Solem quidem esse in arboribus, numquid non dolet Solis splendor, quem vtique, antequam ad lignum perueniat, priorem ictus ferri contingit? Deus ergo lux est, & quomodo cædi potest lux? Nam quòd anima sit quæ doleat in corpore, hinc aduertimus, quòd recedente anima de corpore, nulla potest corpus sentire, nec aduersa, nec prospera. In corpore ergo Domini nostri Iesu Christi, anima humanitatis sensit, quam cum corpore adsumpsit, non ipse qui adsumpsit, sicut nec Sol, qui in arbore quam memoramus inluxit, etiamsi Solis lux in arbore possit à verberante concidi, in Christo diuinitas non possit à cruciante contingi: quia Solis lux creatura est, hic autem creator agnoscitur & probatur. Nam quòd anima humanitatis senserit passionem, ipse Dominus ait ad discipulos suos, dicens, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Et hinc dixisse sufficiat, accedamus ad reliquos.

Septuagesimam & quartam hæresim Triscilidæ incurrerunt, qui triformem Deum ita adserunt, vt quædam pars eius sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus Sanctus, & hinc sit Trinitas in vnitate. De quibus ait Gregorius: infelices & miseri non vident quia

totam ipsam Trinitatem blasphemant. Non est enim Deus, nisi qui in seipso perfectus est. Perfectus ergo Pater perfectum ex se genuit Filium, perfectus ex Patre procedit Spiritus Sanctus. Ecce tria perfecta non faciunt tres Deos sed vnum, quia vna est deitas. Non enim sicut sunt tres personæ, sic tres deitates, sed sunt tres, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, sed vna deitas, vna maiestas, vna virtus, vna voluntas, & vna substantia confitenda.

Septuagesimam & quintam hæresim Hydrotheitæ fecerunt, aquam Deum dicentes, non habentem nec initium nec finem, sordes luentem, peccata dimittentem, & habentem Spiritum Sanctum. Quos iustè damnat fides catholica quasi cæcos, & non videntes aquam quibus spurcitijs seruit, & potest Deus seruire? quibus etiam squaloribus, aut cuius momenti est aqua sine consecratione. Illam sermo vivus viuificat, sermo sanctus sanctificat, vt Sanctus Spiritus in ea dignetur habitare, aut vt possit credentibus peccata mundare. Et sic, quomodo accipit vim huius rei per benedictionem vt possit omnia mundare peccata, non potest mundare peccata eius, qui fidem suam non ex integro priùs Deo crediderit offerendam. Non ergo per solum abluentem, sed magis per credentem, Spiritus Sanctus infunditur in homines, & peccatorum venia condonatur.

Septuagesimam & sextam hæresim fecerunt Homuncionitæ, qui dicunt in corpore hominis esse imaginem Dei, non in anima. Vnde Gregorius, cùm imago Dei in rebus magnis & primis quæ sunt in homine debeat quæri, in memoria, in intellectu, in scientia, & in illis locis, vnde homo ad pietatem mouetur, hæc statuta in anima sunt, non in corporis liniamentis instructa, & tanto plus similis Deo est, quanto plus hæc quæ memorauimus puriùs potuerit obtinere.

Septuagesimam & septimam hæresim Ametritæ instituerunt, dicentes innumerabiles esse mundos. Hoc eos dicere novum putat qui non legit Philosophos, hoc enim olim aliquanti Philosophorum dixere Gentiles. Nos autem Moysem à Deo missum suscipimus, & de mundo quid sentiamus, & quid credamus ab ipso didicimus.

Septuagesimam & octauam hæresim Psychopneumones occuparunt, dicentes animas hominum bonas in spiritus Angelorum conuerti: animas verò hominum malas in spiritus dæmonum mutari.

Septuagesimam & nonam hæresim Adecerditæ tenent, dicentes, Christo

Christo descendenti ad inferos omnis animarum multitudo occurrit, & credidit ei, & liberata est.

Octogesima hæresis dicit, Filium Dei posteà genitum, posteàquam voluit Pater: si noluisset Pater, non genuisset, esto confiteamur æqualem Filium Patri: vt æqualis sit, non est res naturæ, sed gratiæ. Pater hoc voluit, ac per hoc totum Patris est, non Filij. Nos è contrario dicimus, sicut fons ex eo genuit flumen ex quo est, ita pater ex eo genuit Filium ex quo est, & sicut fons non volendo & nolendo genuit fluvium, sed gignendo: ita Pater non disputando, aut volendo, aut nolendo, sed sicut natura fontis hoc extat, vt de plenitudine sua emanet, ita Pater de plenitudine sua effundens Filium genuit. Et sicut fluvius circuit totum mundum, & mare ingreditur, & tamen de sinu fontis non recedit: ita & Filius de sinu Patris nunquam discessit, nec tunc quando se humiliauit factus obediens vsque ad mortem. Sic ergo inter nos per adsumptionem apparuit, sed per maiestatem suam de sinu Patris nunquam discessit. Vt enim hoc ita fieret, nec possibilitas Deo defuit, nec voluntas. Vnum horum si Deo defuit, Deus non potest nuncupari. Qui enim bonum non vult, malus est: qui non potest quod vult facere, omnipoteus non est. Hanc blasphemiam damnantes in hæretico, quem diximus, ad cęteros accedamus.

Octogesimam & primam non hæresim accusamus Luciferum, sed schisma arguimus. Catholicos quidem per omnia, sed Luciferianos faciendo populos, & diuidendo se ab Ecclesia, à fide sua charitas exclusit, dicente Apostolo, *Si fidem habeam ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*: Gloriantur quidem à fide non deuiasse: sed non parvum crimen arguimus eos incurrere, qui cum Dei Ecclesia noluerint habere charitatem.

Iouinianistæ à Iouiniano quodam octogesimam & secundam hæresim arripuisse detecti sunt. Qui sicut Stoici philosophi putant, paria dicunt esse vniuersa peccata: nec posse peccare hominem lauacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse ieiunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem sanctæ Mariæ destruunt, dicentes eam pariendo fuisse violatam. Virginitati etiam sanctimonialium, continentium castitati, & viris eligentibus cælibem vitam, coniugium castorum atque fidelium meritis adæquant, ita vt quædam virgines sacræ prouectæ iam ætatis, in vrbe Romana, vbi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Non sanè ipse Iouinianus vel

habere

habere volebat vxorem, quod factum non futuræ vitæ profuturum dicebat, sed præsenti commodo adplicabat. Contra hunc suscepit Sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, quique edidit librũ ad destruenda omnia commenta adinuentionum eius. Quo lecto in media Romana, id est Ecclesia Lateranensi, vna voce & populus Romanus, & sacerdotes, in eisdem Iouinianistis, & ipso Iouiniano, anathema clamauerunt, in ipso initio Quadragesimæ, Sancto Anastasio Episcopo Antistite. Denique in ipsa authentica hebdomada Paschæ, inuenti sunt epulantes,& porcorum carnibus trahentes cõuiuia, ita vt assum porcum, quem in mensa eorum inuenerant,populi collo eius suspenderent, & ita eum per totam ciuitatem facerent circuire. Scripsit etiam contra hos Hieronymus presbyter certos libros, quos qui plenius legerit, & quanta bona virginitas, & continentia, & abstinentia habeat,discit, & quanta mala edacitas & luxuria habeat perhorrescit.

Octogesimam & tertiam hæresim in sexto libro historiographus noster ponit Eusebius, quam nec Epiphanius alicubi memorauit, nec Polycrates, nec Africanus, nec Hesiodus, qui Græco sermone vniuersas hæreses describentes volumina multorum condidere librorum. In sexto itaque, vt dixi, libro narrat Eusebius, esse in Arabia hæreticos, quorum quia auctorem non memorat, nos possumus eos nuncupare Arabicos. Hi, inquit, dicunt animas cum corporibus mori atque dissolui, & in fine sæculi vtrumque reparari. Sed hos disputatione Origenis magna memorat ex ex parte reuocatos.

Octogesimam & quartam hæresim Helvidianos occupasse ab Helvidio memoramus. Qui ita virginitati Sanctæ Mariæ contradicunt, vt eam dicant de Ioseph post natiuitatem Christi alios filios peperisse. Isti quidem nuper, id est sub Siricio Romanorum antistite orti sunt, & per Italiam atque Gallias direxerunt suos discipulos. Contra hos scripsit Hieronymus Doctor egregius duos libros,quos lectos in tempore digna eos execratione anematizabant. Epiphanius autem noster, scrutator hæreticorum, scribens contra hos libellum, qui in illo tempore hanc blasphemijs plenam adsertionem proferebant, Antidicomaritas eos censuit appellari.

Octogesimam & quintam hæresim Paterniani inchoasse leguntur. Hi inferiores humani corporis partes non à Deo, sed à diabolo factas opinantur: & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissimè viunt. Hos dum Damasus damnaret

Epi-

Episcopus detectos in scelere, huiusmodi de his in relatione sua ad Valentinianum maiorem scripsit, dicens: *Scire volumus pietatem vestram, Venustianos in scelere turpissimo detectos ab Apostolica sede esse damnatos*. Quorum etiam confessiones simul direxit. Contra hos postea lex specialis egressa est, vt vbicumque essent reperti, vindice gladio agerentur.

Tertullianistas olim à Sotere Papa Romano damnatos legimus. Cur autem octogesimam & sextam eos hæresim dicamus arripuisse hæc causa est, quòd quædam Octauiana veniens ex Africa, cuius vir, Hesperius nomine, videbatur Duci Arbogasti valde coniunctus, qui etiam apud Maximum tyrannum multum potuit, hæc Octauiana adduxit secum quendam tergiuersatorem, versutumque dæmonem, cui vix centum occurrerent verbosanti atque in hominem cor fidenti. Hic cùm se presbyterum diceret Tertullianistam, meruit per sacrum scriptum, vt sibi collegium extra muros Vrbis fabricaret, Quod dum impetrasset à Tyranno Maximo, Sanctorum nostrorum exclusit locum, idest duorum fratrum Processi & Martiniani, dicens eos Phryges fuisse, & ideo hanc legem tenuisse, quam Tertullianus, atque hoc ordine per occasionem martyrum Dei populum seducebat. Deo autem Theodosio religioso Augusto dante victoriam, punitoque satellite Maximi, de cuius se Tertullianista potestate iactabat, statim fugit cum matrona quæ venerat, nec viuentis nec mortui rumore renouato. Martyrum suorum Deus excubias catholicæ festiuitati restituit. Tertullianus autem fuit ciuis & presbyter Carthaginiensis, opuscula eloquentissima & feruentia in defensione edidit veritatis. Hic apud Carthaginem basilicam habuit, vbi populi ad eum conueniebant. Quæ basilica vsque ad Aurelium Episcopum fuit. Agente enim Augustino Hipponiensi Episcopo, & rationabiliter cum eis disputante conuersi sunt, Ecclesiamque suam sanctæ Ecclesiæ contulerunt. Tertullianum autem Catholica hinc reprehendit auctoritas, quòd animam ex anima nasci dicit, & defendit Montanum, & Priscam, & Maximillam, contra fidem catholicam, & contra Apollonium Episcopum Orientis, & contra Soterem Papam vrbis Romæ, vt supra diximus, dum Cataphryges hæreticos detegeremus, à quibus postea diuisus, ne plebs Montani nomen Tertulliani videretur excludere, fudit à se omnem Phrygiæ vanitatem, & Tertullianistarum conuenticula propagauit; nihil tamen in fide mutauit. Nam & secundas nuptias condemnat,

firmat, vt diximus, animam ex traduce venire adserit, & nos catholicos Psychicos titulat. Vbicumque autem legeris Tertulliani aduersum Psychicos, scias eum contra Catholicos agere.

In octogesima & septima hæresi Abeloitas nominamus, qui cùm sint priores pene omnibus hæreticis, nunc nostris temporibus finiti. Isti ex filio Adæ sibi nominis deriuationem adsumpserant, id est ab Abel Abeloitas se nominari voluerunt. Hi non miscebantur vxoribus,& tamen non licebat sectæ ipsi vt sine vxoribus viuerent. Mas ergo & fęmina, sub continentiæ professione simul habitantes, puerum & puellam sibi adoptabant, in eiusdem coniunctionis pacto successores futuros. Morte præuentis quibusque singulis alij subrogabantur, dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Vtrolibet quippe parente defuncto, vni remanenti vsque ad eius quoque obitum filij seruiebant, post cuius mortem etiam ipsi puerum & puellam similiter adoptabant. Nec vnquam eis defuit vnde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, & filios suos inopes ad spem hęreditatis alienæ libenter dantibus. Hæc sola erat inter nos atque illos distantia, in quo nostros arguebant, ita non in lege nostra exerceri coniugia, vt & qui nubunt tanquam non nubentes sint.

Octogesimam & octauam hæresim in Pelagio se inuenisse sedes Apostolica sub Papa Sancto Innocentio docuit, dum Cælestius Pelagij discipulus apud Carthaginem doceret, posse homines sine peccato esse, natura sibi sufficiente sola humana. Restitit ei quidam Paulinus Diaconus, defensor & procurator Ecclesiæ Mediolanensis, eique in conuentu sacerdotum multa capitula obiecit contra fidem catholicam, quæ Cælestius damnare neglexit, dicens. Non ad me pertinet de his, quæ obiecit, vbi meum nomen est, & crimen alienum. Tunc illi obtulerunt ei libros suos, vbi dicebat, ipsam sibi hominis naturam ad perfectionem posse sufficere, hoc est, tantam potest homo exercere iustitiam, vt etiam sine peccato possit esse si velit. Adam mortalem factum, qui siue peccaret, siue non peccaret, esset moriturus. Sic lex mitit ad regnum, sicut euangelium. Infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse ideo confitemur, propter regulam vniuersalis Ecclesiæ. Nihil obfuisse generi humano peccatum Adæ. Omnia hæc oppositionum genera ad damnandum obiciebantur Cælestio. Sed ille dicebat, multa esse in his, quæ teneret fides eius, & propter ipsa cætera damnare

non

non posse. Tunc ad relationem penè omnium Afrorum Episcoporum, Papa Innocentius damnationem & Pelagio & Cælestio conscripsit. Illi autem, siue antequam damnarentur ab vniuersali Ecclesia, siue postea quàm damnati sunt, non cessauerunt scribere posse hominem sine peccato esse, & nihil obfuisse Adam generi humano, & legem sic misisse ad regnum sicut Euangelia, & infantes non ideo baptizandos, quia habere possint originale peccatum, & naturam tam bene factam à Deo, vt sibi sola sufficiat ad hoc vt possit carere peccato. Contra hos suscepit sine scriptura quidam Constantius tractator. Post hunc autem, scripsit contra hos & Augustinus Hipponiensis Episcopus, & Hieronymus presbyter Bethleites. Pelagiani tamen, seu Cælestiani, catholicæ plebi permixti sunt, quia Ecclesiam aliam non habent: & ideo vbi eis euenerit, communionem non renuunt. Dicunt enim vnius confessionis esse in hac parte, in qua Eucharistia conficitur, de quæstione enim aiunt, non de communione discernimur. Pro hoc ausu, & à nostris, si deprehendantur, periculis subiacent, & à suis execrationi habentur. Habent enim & presbyteros, & Episcopos suos. Ipse autem Pelagius ita in commentario suo ad Romanos scribit, dum ageret illum locum, quo ait Apostolus, *Quoniam per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, tangens Cœlestium, qui contra traducem peccati primus scripsit, his verbis ait. Hi, inquit, qui contra traducem veniunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ peccatum etiam non peccantibus obfuit, ergo & Christi gratia etiam non credentibus prodest. Addunt etiam hoc: Si baptismus tollit originale illud peccatum, de duobus baptizatis nati debent hoc carere peccato, quomodo enim mittunt ad posteros quod ipsi in se minimè habuerunt? Hæc sicut ab ipso Pelagio sunt scripta posuimus. De hoc itaque quod dictum est, posse hominem sine peccato esse, obiectum est illis ita. Aut potest, & adiutorium non quærit: aut non potest, & adiutorium quærit. A quocumque enim auxilium quæritur, dicit se id quod vult facere implere non posse: alioquin irrisoriè poscit qui potest hoc solus, pro quo adiutorium postulat, adimplere. Verbi gratia, decem pondo cuiuscumque rei si leuare voluerim, & adiutorium quæram, ridiculum videor exhibere dum posco. At verò si ducentas aut amplius velim leuare libras, quia id implere non possum, auxilium flagito, & im-

mensis precibus adiutorium quæro, præcipuè si status vitæ meæ in hoc videtur pondere positus, vt si pondus quod memoraui non leuauero, ad vitam peruenire non possim. De duobus autem baptizatis natum nihil habere de fide parentum, hæc nos ratio docet. Quoniam hi qui baptizati sunt duas habent natiuitates, vnam qua eos generauit caro, aliam qua eos generauit Spiritus Sanctus, & ex his duabus generationibus nati, duas generationes ad posteros mittunt: vnam de carne, coniugii ministerio, aliam de spiritu, baptismate consecrando. Hic ergo qui de baptizatis natus est, interrogo de qua re natus est: de carne, id est de prima generatione, an de spiritu, id est de secunda generatione. Si de spiritu natus est, baptizari non debet, quare? quia Spiritus Sanctus eum fecit nasci, non libido coniugij. Sin autem de coniugio carnali, id est de masculo & femina, restat vt vnde sunt regenerati de Christo & Ecclesia, suam iterum regenerent prolem. De primo enim est Adam quòd nascimur: de secundo autem quòd iterum recreamur, dicente Sancto Apostolo, *Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Ergo sicut portauimus imaginem terreni*, id est sicut creauimus filios carnaliter, *portemus & imaginem cælestis*, id est quos creauimus carnaliter, spiritaliter recreemus: aut ipsi, qui carnaliter creati sumus nutu creatoris, iterum eius gratia spiritaliter recreemur. *Hoc autem dico*, dixit Apostolus, *quia caro & sanguis*, idest prima tantùm generatione homines nati, nisi gratiam diuinam meruerint adipisci, *regnum Dei inuenire non possunt. Neque corruptio incorruptionem possidebit.*

Octogesimam & nonam hæresim Nestorius Constantinopolites Episcopus legitur incurrisse. Consuetudo est namque, vt vnum tractatum suum Episcopus Alexandrinus mittat ad Constantinopolitem, qui recitetur in Pascha, & tractatum suum Constantinopolites, qui Alexandriæ recitetur. In tractatu suo Constantinopolites Nestorius scripsit Mariam non esse Theotocon, sed Christotocon, idest non Deum peperisse, sed hominem, Cyrillus Alexandrinus hoc dictum ita reprehendit, quo diceret per epistolam, vt si eum fortè fefellisset, emendaret dictum. Ex hoc ipso quo reprehensus est Nestorius à Cyrillo, cœpit Cyrillum hæreticum inclamare. Data est Synodus apud Ephesum, & nec sic emendare voluit Nestorius,

ftorius, vt diceret Mariam Deum & hominem genuisse, sed solum inquit hominem. Si enim dixerimus quia Deum genuit, fecimus matrem Deum, sicut Gentiles. Maria ergo, inquit, templum Deo genuit, non ipsum qui in templo habitat. Accepit inducias, vt aut damnaret dictum, & rediret ad sedem suam Episcopus: aut si damnare noluisset, postea redire non posset. Noluit, & in eadem confessione permansit. Hunc Synodus apud Ephesum damnauit, in qua damnatione Romanus Papa Cælestinus scripsit, & omnes cum eo pariter Orientales atque Occidentales Episcopi subscripserunt.

Nonagesima hæresis, quam in præfatione nostra diximus de nomine Augustini Episcopi esse mentitam, Prædestinatorum nomen accepit. Hi electionem bonorum, & recusationem malorum, Deo decernente definiunt, non homine vel studente, vel negligente. Nolunt Dei iura, vel ab studentibus custodiri, vel à neglegentibus violari. Dicunt, etiamsi voluerit bonum facere, qui ad malum prædestinatus est, ad bonum peruenire non poterit, nam qui ad bonum prædestinatus est, etiamsi neglegat, ad bonum perducetur inuitus. Dicunt baptismatis vndam non vniuersa peccata mundare. Dicunt, ita antecedit gratia liberum arbitrium, vt antè accipiat homo quàm petat, antè inueniat quàm quærat, antè ei aperiatur quàm pulset. Dicunt nullum ad Christi fidem accedere, nisi fuerit à Patre tractus inuitus: illud adtendentes, *Nemo venit ad me, nisi quem pater adtraxerit*. Dicunt omnia non in re, sed ita in spe fieri, vt quod dicit Apostolus, *Spes quæ videtur non est spes*, etiam hoc mysterijs adplicent dictum, & dicant, Ea quæ percipiuntur, videntur quidem esse, sed non sunt. Dicunt, plus obfuit ad nocendum Adam generi humano, quàm Christus in subueniendo. Nam Adam aiunt quod nocuit ita manet, vt hoc nec passio Christi, nec baptismatis sanctificatio possit auferre.

Verum quid moras tibi, ô lector sancte & studiose, incutimus? Librum eorum tibi integrum, sicut est editus, in isto corpore præsentamus, cuius lectione cognosces, definitiones eius à metatoribus Antichristi adinuentas. Quotienscumque autem contra eos suscepimus, dixerunt nos ex hæreticorum argutijs contra se agere. Videntes enim se ita superari, vt suspirare non possent, hanc calumniam semper catholicis nisibus inrogauerunt, vt dum timent se hæreticos infamari, in silentio veritatis loquelam artarent. Eorum ergo ob causam omnes hæreses à Simone memorantes hucusque

deteximus, vt probemus, nos soli fidei catholicæ esse concordes. Rogamus te, Domine Pater cæli & terræ, qui cum Filio tuo, & Spiritu Sancto, vnius veritatis obtines maiestatem, vnius maiestatis obtines deitatem, vnius deitatis obtines Trinitatem, vt nos adiuves contra hostes tuos tela tractantes. Habeant illi castra Goliæ in Allophylorum acie constituta. Nos Hebræi, pueri tui Dauid pastorium adsumentes, de lapide tuo angulari pugnemus, vt fidenter cum Apostolo tuo dicere valeamus, *Deo nostro gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Sit pax omnibus Catholicis, & cum Angelis vna nobiscum voce exclament, decantantes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

LIBELLVS SECVNDVS
SVB NOMINE AVGVSTINI CONFICTVS

HÆRESIS NONAGESIMA, QVÆ ADSERIT DEI prædestinatione peccata committi.

PArticipem me intentionis vestræ, qui defenditis veritatem, fieri fratrum spiritalium suggestio inuitauit. Vnde breuiter nisibus vestris me interserens, sermonis latitudinem fugi, sensúsque qui latum quærunt certaminis campum in angustum constitui, vt fastidium vobis lectionis auferrem, & occasionem defendendæ veritatis adferrem, atque dimicantes seruos contra voluntatem sui domini confutarem, eorum scilicet, qui dicunt, Deo inuito & nolente hominum moueri arbitria, ac de potestate mortalium Dei immortalis potestatem infringi. Huc adiciunt, homines per voluntatem suam sanctos fieri, & suo arbitratu ad Dei amicitias peruenire. Leui hos impulsione videbitis corruentes, à quibus sollicitudo humana & meliores & primas accepit partes, quibus excluso Deo dicitur homo, non ordinatione Dei, sed sua se posse voluntate saluare. Vos autem, ô filij caritatis, zelum fidei signatum in vestris sensibus retinentes, estote securi de ordinatione Dei, quam de prædestinando constituit, certaque sit nostris sensibus Apostolico ore dicta sententia, *Quoniam cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* quia *habet*

pote-

potestatem figulus luti ex eadem massa facere vnum vas ad honorem & aliud ad contumeliam, & inde est quòd caro aduersatur spiritui, spiritus carni. *Hæc*, inquit Apostolus, *inuicem aduersantur, vt non quæ vultis illa faciatis*. In opere enim suo Deus omnes homines antè præuidit,& quid vnicuique competeret præuidendo constituit. Hoc maiestatis eius singulare indicium, in quo parem non habet. Deus solus est enim, qui cogitanda, loquenda, operanda præscit; & quia præsciit cunctorum generaliter gesta antequam fierent, merita disponendo quasi facta conspexit. Et idcirco res, quasi oculatas & sibi in manifesto positas, tunc quando præsciit prædestinauit, & constituit qui conformes fierent imaginis filij eius, vt esset & Filius Dei primogenitus in multis fratribus, quos autem prædestinauit hos vocauit, quos vocauit hos iustificauit, & quos iustificauit ipsos & magnificauit. Vnde & propheta dicit, *Non est in homine vita eius*. Quid putatis vos, ò fragiles, ò caduci, miseri & mortales homines, si quid bene agitis esse laudandos,aut fortè delinquentes prorsus esse damnandos? cùm ideo lex loquatur, vt timorem incutiat, ceterùm nihil fit nisi quod voluerit Deus. Quem voluerit Deus sanctum esse, sanctus est, aliud non erit: quem præscierit esse iniquum, iniquus erit, aliud non erit. Prædestinatio enim Dei iam & numerum iustorum, & numerum constituit peccatorum, & necesse erit constitutum terminum præteriri non posse. Hoc autem non quasi personarum acceptor constituit, sed quasi præscius omnium futurorum. Non enim per acceptionem personæ, sed per præscientiam Deus prædestinationem suam fixit atque constituit. Iam quos præsciit nullomodo conuerti, hos prædestinauit ad mortem: quos præsciit omni modo conuerti, hos prædestinauit ad vitam. Miror autem quòd testimonia veteris testamenti contra auctoritatem noui proferantur. Solent enim Sancti Ezechielis prophetæ testimonia vsurpare, dicentis, *Hæc dicit Dominus, cùm dixero impio morte morieris, & conuersus fuerit ab impietate sua, viuo ego dicit Dominus vita viuet*. Hoc, vt dixi, in veteri lege scriptum est pro tempore captiuitatis, pro causa qua ipsa captiuitas facta est, pro persona populi cui inrogata est,vt disceret in captiuitate positus pro peccatis suis se iugo Assyrij regis esse subiectum. Certè pro peccato captiuitas facta est: & vt quid simul captiuitatem iusti cum peccatoribus incurrerunt, nisi quia mysteria Dei à nostra fragilitate penitus sciri non possunt? Hoc ergo mysterium in veteri lege scriptum

est.

est. In nouo autem Apostolus clamat, *Vasa iræ apta in interitum*; & ideo scriptum memorat, Deum dixisse per præscientiam suam, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Cùm enim nondum nati fuissent, nec aliquid egissent boni vel mali, ex præscientia dictum est, quòd vnus haberetur odio, alius amaretur. Hæc à nobis adinuenta non sunt: nec dicimus aliquid præterquam euangelizauit Apostolus. Per præscientiam Dei prædestinationem ipse factam commemorat. De Deo ipse dicit, *quos vocauit, hos prædestinauit*. Si præscientem, & prædestinantem, & vocantem, in Apostolo legitis, nobis vt quid impingitis crimen ob hoc quòd dicimus prædestinasse Deum homines, siue ad iustitiam, siue ad peccatum, ne videretur ipse sibi quasi non prouidè facere homines, qui facerent quod nolebat? Inuictus enim in sua voluntate permanet Deus, cùm homo adsiduè superetur. Si ergo inuictum confitemini Deum, confitemini & hoc, quia quod eos voluit esse qui condidit, aliud esse non possunt. Vnde colligimus apud animum, quos Deus semel prædestinauit ad vitam, etiamsi negligant, etiamsi peccent, etiamsi nolint, ad vitam perducentur inuiti; quos autem prædestinauit ad mortem, etiamsi currant, etiamsi festinent, sine causa laborant. Nec hoc sine magisterio admittas euidentis exempli. Iudas quotidie verbum vitæ audiuit, quotidie adhæsit Domino, quotidie virtutibus occupatus, quotidie ipsum Dei Filium monitorem audiuit: & quia prædestinatus est ad mortem, vno ictu subitò interiit. Saulus quotidie persecutor, quotidie lapidator Christianorum, quotidie vastator Ecclesiarum: & quia prædestinatus est ad vitam, vno ictu subitò vas electionis est factus. Quid ergo tu, qui in peccatis permanes, expauescis? si te Deus dignatus est, sanctus eris, aut quid tu, qui in sanctitate viuis, sollicitus redderis quasi tua te sollicitudo conseruet? si Deus noluerit, nunquam corrues. Vterque de Deo securi estote. Numquid tu qui sanctus es, & sollicitus es ne corruas, & die noctuque orationibus ades, occuparis ieiunijs, & diuinis lectionibus diligenter insistis, exhortationibus vacas, atque omnibus sanctis studiis quotidie immines, numquidnam tuo hoc studio saluus eris? Numquid sanctior eris Iuda, qui accepit potestatem infirmos curandi, dæmonia fugandi, mortuos suscitandi, calcandi super serpentes & scorpiones, collega Apostolorum, Christi discipulus, & tamen quia prædestinatus est ad mortem, mortem æternam inuenit? Cessa de te, ò homo, cessa, inquam, de virtute tua esse sollicitus,

citus, & de Dei tantùm confide voluntate securus. Nihil enim boni tu Deo obtinebis inuito, sed si te dignabitur Deus vt in bono permaneas, saluus eris. Tu quoque, qui in peccato desperatione vana concuteris, disce à Paulo Apostolo, quis vnquam par eius potuit sceleribus inueniri. Numquid tu aliquando peiora potuisti, quàm ille commisit perpetrare peccata? Et tamen, quia prædestinatus ad Apostolatum, euasit subito vniuersa crimina, & ab inferioribus inferis ad superiora superiorum ascendit. Omnes itaque, quos scit dignos salute redemptionis suæ Deus, hos ad salutem prædestinauit: & hos tantùm saluat, quos se ad salutem prædestinasse cognoscit. Salus enim Dei non voluntati hominis seruit. ipse enim scit cui quid faciat. Nec enim antecedit humani arbitrij libertas gratiam Dei, sed antecedit gratia Dei humani voluntatem arbitrij. Vana est enim & infructuosa voluntas hominis, & vanum est humanæ voluntatis arbitrium. Errat qui se putat per id quod vult bonum peruenire ad Christum, cùm ipse Christus dicat: *Nemo venit ad me, nisi quem Pater adtraxerit*. Qui melius sapitis à Christo, dicite si mentitus est Christus, & ita demum adserite nos contra Christi regulam istam fixisse sententiam. Si enim verum dixit Christus, non mentimur quòd dicimus prædestinatos trahi ad vitam, quia vita ipse est. Quòd si adgrauat vos vis testimonij Euangelici, qui contra nostram venitis sententiam, & non potestis adgrauati pondere sententiæ nobis dare responsum, saltem Apostoli nobis definitionem exponite, qui dicit: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Quantumcunque igitur studii sui vires ad ædificandum moueat humana voluntas, casso certamine nititur. Aut quia vigilantiam suam putat hominis fragilitas æternis desideriis profuturam, cum Propheta euidentibus exclamet documentis dicens, [Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilauerunt qui custodiunt eam?] Quid est quòd contra diuinos apices, & contra conscientiam suam, sperat se quispiam ædificationi studere, cùm his sacris apicibus doceatur ædificatio hominis non esse certa, sed vana? Sed si contra nos venitis, non contra nos venitis, sed contra eum qui dixit, [Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilauerunt qui custodiunt eam.] Ergo nesciit quia non erat vtile populo Dei qui hæc fecit

scribi,

scribi, & per posteros vsque ad finem sæculorum dirigi? Vos itaque, qui ista reprehenditis, auferte hæc de libro psalmorum, quia legentes & psallentes hos versiculos, vt dicitis, ædificari non possunt. Sed quid putant isti se voluntate sua ad fructum posse ædificationis adtingere, cùm nec ipse vas electionis suam se adserat potuisse voluntatem implere? Dicit enim de seipso Apostolus: *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio.* Si ergo Apostolus quod vult bonum implere non præualet, quomodo isti dicunt per voluntatem suam ad fructum se gratiæ peruenire? Apostoli verba sunt, nostrum nihil adiungimus, ipse de se dicit: *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio.* Et nos culpatis, quia dicimus, non vocantur nisi prædestinati. Antecedit enim gratia Dei voluntatem hominis. Prior est enim Deus in bono hominis: homo autem, etiamsi optimus sit, in omni bono vix nouissimus inuenitur. Date primas partes Deo, vt superbiam euacuetis humanam. Quòd si volueritis superbiam nutrire hominibus, apparet vos ruinam generis humani perquirere, quia docetis, in bono opere non Deum antecedere, sed hominum voluntatem, vt ipsi videantur magis Deum, vt bonum faciat, suis suggestionibus admonere, quasi qui non faceret bonum nisi ipsi dixissent: cùm constet Deum nullo suggerente, nullo rogante, bona omnibus hominibus condonare. Non enim dicit Apostolus, cùm rogaremus, sed *cùm inimici*, inquit, *essemus, reconciliati sumus Deo, non per voluntatem nostram, sed per mortem filij eius.* Vbi est ergo voluntas hominis? exclusa est, quare? quia non omnis qui vult ipse saluatur, quia si omnis qui vellet saluaretur, nullus à salute poterat effici alienus. Omnis etenim homo saluari vult, sed non omnis saluatur homo, saluatur autem is quem voluerit Deus, vtique, inquam, is quem voluerit Deus, vt exclusa hominis voluntate, suam plenam ex integro gratiam manifestet. Quòd si aliquem vult Deus bonum esse, & bonus non est, ergo homo vincit Deum. Vincit enim Deum, si Deus eum vult esse bonum, & bonus non est. Dei ergo voluntas & effectus est in bono hominis. Non enim cùm rogaremus, neque cùm peteremus, sed cùm inimici, inquit, essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Cùm autem pro omnibus mortem filij eius legitis, miror quomodo omnes intelligatis, cùm paucos vix ad salutem cernatis adtingere. Vbicumque autem omnes legitis, generaliter omnes vultis intelligi, cùm

omnes

omnes sæpe pro parte doceantur. Nam cùm dicitur: *Omnes declinauerunt*, non tamen omnes declinauerunt, & *Omnis homo mendax*, non tamen omnis homo mendax, quia de quodam legimus, *Erat homo verax*, & illud, *Viri mendaces, non erunt illius memores: viri autem veraces inueniuntur in ea*. Pars ergo maxima omnes videtur significare, cùm vtique constet, non debere omnes intelligi. Et hoc miror, quod clausis oculis transitis hostis insidias, vos qui dicitis voluntatem hominis aliquid adquirere posse virtutis, non adtendentes quantæ ruinæ castitatis per diabolum fiant, quantaque crimina concupiscentiæ, auaritiæ, liuoris, ac perfidiæ, quotidie perpetrentur. Quæ vtique si videretis, non laboraremus vobis ostendere damna virtutum, & victorias vitiorum. Si integra enim esset libertas arbitrij, ista non fierent. Per præuaricationem itaque primi hominis periit ab hominibus libertas arbitrij. Sed vos hæresem Pelagianam iterum renouatis, cùm dicitis per libertatem arbitrij homines finem ponere posse peccatis. Excluditis enim gratiam per libertatem arbitrij. Aut enim libero arbitrio liberamur, aut gratia Dei eripimur. Eligite quid dicatis. Si gratiæ totum dederitis, vnum sapimus: si libero arbitrio, sciatis nos vobis consentire non posse. vnde autem illi maior libertas arbitrii in bono, vnde isti minor est, nisi quia Dei dispensatione censentur? In alio enim tenuem se exhibet gratia, in alio abundantem & largam, prout ipsa vult gratia, non prout nos volumus, qui à facturæ nostræ ordine recessimus. In tantum denique vitiatam per præuaricationis Adæ hominis naturam agnovimus, vt instaurationem suam per Christum non in re, sed in spe fuerit consecuta, dicente Apostolo, *Spe salui facti sumus, spes autem quæ videtur non est spes*. Si ergo spe saluati sumus, adhuc rem in præsenti sæculo non accepimus. Ideo denique baptizati iterum carnaliter concupiscunt, & illos motus corporis patiuntur, quia spe non re consecuti sunt instaurationis auxilium. Si enim re consecuti fuissent, post baptismatis gratiam non esset peccati possibilitas, nec voluntas. Verùm quia virtus baptismatis tanta est, vt vniuersa peccata deleat, pullulatio tamen peccatorum baptismatis vnda non abluitur, inesse enim per Adam naturaliter perdocetur. Nam illa membra, quæ in baptismatis hora confusione carent, postea confusionem recipiunt, qua euitant vbique conspectum, & quærunt pudendo secretum. Quæ enim Deus membra fecerat, præuaricatio in pudenda conuertit, & non dicuntur membra, sed pu-

denda. Quæ pudenda in puncto illo baptismatis membra fiunt, sed mox iterum pudenda efficiuntur ex membris, non enim re, sed spe instaurati sunt. Concupiscentia enim carnis, quæ per præuaricationem Adæ regnat in corpore tanquam lex peccati, iterum sibi vindicat baptizatum, totumque animum eius conatur euertere. Hęc enim radix illius plagæ est, quam Christus saluauit. Saluauit autem sic, sicut Apostolus dicit, *Spe salui facti sumus.* Et iubet nos animum ad inuisibilia contemplanda transferre, nec de his quæ videntur præsumendo corruere, & ideo dicit, *Spes autem quæ videtur, spes non est.* ne fortè æstimarentur per baptismum ita tolli peccata, vt etiam radices ipsæ peccatorum pariter euellantur. Motus enim ille pollutionis, qui per præuaricationem naturam inuasit, ita remanet in baptizato, sicut radix capilli, cùm fuerit nouacula in superficie emundatus & rasus. Rasus enim est, vt emundaretur locus, non est eradicatus, ne vlterius nasceretur. Si enim ex integro per baptismum omnis præuaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullus sordibus inquinaretur humanis, nullus concupiscentiæ stimulo pungeretur. Sed quia spe salui facti sumus, quod adhuc non videmus, per patientiam exspectamus. Veniet tempus, in quo neque nubant, neque vxores ducant, sed sint sicut Angeli in cœlis. Cùm enim corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, *Absorpta est mors in victoria, vbi est mors contentio tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum, virtus vero peccati lex.* Tunc dicemus, Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

PROLOGVS LIBELLI Sequentis.

FInitus est liber inimicus hominum, contra fidem catholicam confictus, liber dolosus, circumdatus fallacijs, adulter integræ diffinitionis, quique, vt Sanctus Cyprianus, ait, falsa ostentat, vt vera subripiat. Qui sub specie pietatis editus, agit contra omnium instituta Sanctorum. Huius libri causa, vt memorauimus

in

in præfatiuncula, omnium hæreticorum in vnum librum collegimus sectas, vt sciant defensores eius cunctis nos hæresibus aduersari, & nullius contra eos vti consensu. Itaque ò sancta mater Ecclesia, puræ fidei genitrix, contra occultos hostes tuos, contra nouos barbaros pacificum habitum mentientes, contra eos, qui per te contra te arma corripiunt, nostras vires exalta, & volentes inire certamen adiuva, contra hos præcipuè, contra quos adhuc nullus scribendo pugnauit, cùm illi scriptis suis, sub Sacerdotis Augustini nomine, totum pene iam vulnerauerint mundum, vitiatos libros proferendo, & varias epistolas dando, quas memorati Hipponensis Episcopi esse confiugunt. Et vos omnes catholicæ fidei defensores precibus exoramus, vt exclusa omni occupatione, intentius nostrum prælium adtendatis, & futurum iudicem iudicij vestri ante oculos habentes, ex integro defendenda defendite, ex integro damnanda damnate. Cur autem, intermissis aliis prauitatibus, hunc librum in medium adtulimus solum, hæc ratio est, quia in modum Symboli eis quos deceperint tradunt. Hunc ergo totum per ordinem credidimus scribendum, ne videantur ea quæ facilè vinci poterant ex eorum libro fuisse discerpta, & illa callide prætermissa, quæ ipsum librum poterant ab accusationis nostræ iniuria vindicare. Nihil ergo prætermisimus, sed omne corpus eius his detegentes scriptis, gladium contra eum verbi Dei proferimus, atque in partes eum concidentes, singula quæque membra eius catholicorum oculis denudamus, ostendentes quæ venena in capite habeat, quæ in ore contorqueat, quas ex pectore sagittas emittat, ac per singula membrorum officia aduersarietatis eius arguentes astutias, & captiuum eum Ecclesiæ catholicæ pedibus prosternentes, omnibus eum facimus manifestum, vt ex hoc ipse sui damnator existat, qui Catholicam doctrinam deserens consensum suum huius libri voluerit contagione violare.

LIBELLVS TERTIVS

Refutatio Libri superioris sub Sancti Augustini nomine confictι.

HActenus hæreticorum omnium incensæ sunt siluæ, in quibus latrocinante perfidia diuitiæ fidei peruasæ sunt, prædumpasfa Ecclesia, animarum sanguis effusus. Verum quia solitum est spinis, post incendium iterum pullulare, falcem diuini iudicij teneamus, vt rediuiua & contra cœlum euntia spinarum capita amputemus. Non deerunt, procurante Deo, huic agro cultores, vt possint beati immaculati in via, immaculati in fide, qui ambulant in lege Domini, absque impedimento sentium peruenire quo pergunt. Nonagesimam hæresim Prædestinati fecerunt, ostendentes libros falsos, quos Augustini confingunt, cuius dicta in multis locis leguntur istis libris valde contraria. Datur ergo Catholicis vera suspicio, quod tam scelerata dicta viri orthodoxi esse non possint, quę
[I.] dantes manus Mathematicis, dicunt humanum genus ita diuinis prædestinationibus subiacere, vt mala omnia quæ geruntur in sæculo, Dei dicantur voluntate committi. Ne ergo participes nos eorum timor humanus aut verecundia faceret, omnium hæreticorum egimus curas, & inuenimus neminem peius potuisse errare, quàm hos, qui dicunt mala omnia & crimina Dei prædestinatione committi. Habeant ergo omnes hæretici vnum librum, in quo eos non de potestate, sed de ratione vera damnauimus, vt sciant Prædestinati nulli nos consentire hæretico. Habeant & Prædestinati vnum librum, in quo eos Deus ipse conuincit, qui scit se nullum prædestinasse ad malum, omnes autem prædestinasse ad bonum, vt quod bonum est, ipsius comprobemus. Omnia enim bona, quæ faciunt nunc homines, aut quæ ab initio fecerunt, vel facturi sunt, Dei gratia, Dei clementia, Dei dicimus auxilio, Dei etiam prædestinatione completa. Prædestinatione autem, non qua vim faciat Deus bonum nolentibus, sed qua ipse nunquam mutet sententiam bonitatis, & incessanter sit bonum volentibus promptus, malum autem volentibus imparatus. Si quidem venientibus ad bonum, fidei eorum statim remunerationem exhibeat, conferendo indulgentiam

pec-

peccatorum, & Dei filios faciendo: euntibus autem ad malum non statim pœnam inferat quam merentur, sed expectationis suæ pias largiatur inducias. [II.] Hoc propositum Dei prædestinatum confitemur & fixum. Ergo dum mala fiunt, non Deus propositum subduxit, sed homo suum contemptum induxit: nec Deo volente factum est aliquando peccatum, sed homine est negligente commissum. In tantum Deo nolente humanum deliquit genus, vt semper peccata exercentibus irasceretur, & iustitiam agentibus subueniret. Denique dum totus mundus à iustitia declinasset, & dignus esset diluvii perire naufragio, docetur Deus voluisse eum per suam correptionem saluari. Nam quid est quod Apostolus Petrus dicit? [III.] *Expectauit Dei patientia eos qui increduli fuerunt in diebus Noe, cùm fabricaretur arca.* Dicite nobis, quid expectabat Dei patientia? Numquid prædestinatam perditionem, an prouocatam conuersionem? Fabricatio itaque arcæ diluvij extitit prædicatrix. Clamabat ascia, sonabat malleus, contestabatur serra, & ipsa infidelibus prædicabant ferramenta diluvium. Datis itaque centum annorum induciis, præcessit lex, quæ perituros diceret posse pœnitendo euadere: quam non prædestinatio impediit, quæ negaret posse corrigendo saluari. Si enim prædestinatio finibus suis terminum fixit, iniusta est lex, quæ fines cupit inuadere alienos. Ergo vt prædestinationem constituas, præcepta conuince, da legi repudium, vt regnum prædestinationi inducas, lex enim imperare omnibus semper voluit, & nunquam ulli seruire. Si ergo prædestinatio imperium legis euacuat, & lex prædestinationis iura conturbat, una è duabus tyrannidem gestat. Eligite nunc, catholici, cui colla subdamus. [IV.] Si legi, negemus prædestinationem ab imperio suo legem excludentem, quia lex dicit, Custodi præcepta mea, & viues: prædestinatio autem dicit, vasa iræ iam aptata ad interitum, & vasa misericordiæ quæ vocantur ad vitam. Vtrumque scriptum est, quid nunc faciamus, eligite. Si iam sunt vasa iræ aptata à Deo ut peccent, & sunt vasa misericordiæ aptata ad vitam ut viuant, fundamus nos omnes prædestinationis imperio, & legem cum suis prædicatoribus expellamus. Et ne forte hoc ausu facinoris novum putetis esse peccatum, fecit hoc ab initio omnis turba peccantium, Nam vt quid interfecta est Prophetarum, & Apostolorum, & omnium turba Sanctorum, nisi hac de causa, quia legem Dei humanis sensibus ingerentes, arguebant in peccatoribus vitia?

Qui

Qui si voluissent adulationis voce regnum prædestinationis inducere exclusa lege iustitiæ, nullus fuisset occisus. Dicebant enim illis, sicut scriptum est, *Nolite prædicare nobis dura*. Quid est, nolite prædicare nobis dura? Hoc est sine dubio, nolite nobis per legem comminantem prædicare supplicia. Illi ad hæc, si vos nostri temporis monitores audissent, habuerant illis in his verbis adulando seruire, & sicut vos facitis, per legis eos testimonia male interpretata decipere.

Estote secuti de ordinatione Dei, quam prædestinando constituit; Cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere vnum vas ad honorem, alium ad contumeliam, caro aduersatur spiritui, spiritus carni. Hæc inuicem sibi aduersantur, vt non quæ vultis ipsa faciatis. Iam prædestinauit Deus quos præsciit, & quos prædestinauit, hos vocauit, quos vocauit, hos iustificauit, quos autem iustificauit, hos magnificauit. Non est in homine via eius. Quid putatis vos in eo quòd bene agitis esse laudandos, cùm ideo lex loquatur, vt timorem incutiat? cæterùm nihil fit, nisi quod voluerit Deus; quem voluerit esse sanctum sanctus est, aliud non erit: quem præscierit esse iniquum, iniquus est, non erit aliud. Prædestinatio enim Dei iam & numerum iustorum, & numerum constituit peccatorum, & necesse erit constitutum terminum præteriri non posse. Hæc quæ vos dicitis si dixissent, hominum quidem temporales euaserant iras, sed inuenerant Dei æterna supplicia [V.] Non ergo hoc dixerunt, sed dixerunt: *Hæc dicit Dominus, si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ edetis. si autem nolueritis, neque audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est hæc*, & iterum, *Hæc dicit Dominus: Quia vos recessistis à me, & ego recedam à vobis, & tradam vos Assyriis in deprædatione, filios vestros in conspectu vestro occident gladio, & vxores vestras abducent, quoniam contempsistis legem meam, & quæ ego nolui elegistis*, & iterum, Hæc dicit Dominus: *Numquid opprobrium factus sum domui Israel, quoniam me dereliquerunt, & præcepta mea & legitima mea computauerunt pro nihilo?* & iterum. *Quoniam vocaui & contempsistis, ego quoque in vestra perditione ridebo; & gratulabor dum venerit super vos repentina calamitas.* Hæc & his similia dicentes, diuersis sunt interfecti suppliciis. Vnde & Dominus ad populum ciuitatis, in qua Prophetæ fuerant interfecti, clamat tam in Prophe-

tis, quàm in Euangeliis suis dicens: (Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quotiens uolui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti?) [VI.] Noluisti, inquit, quod uolui, uoluisti quod nolui. Si ergo noluit Deus quod illi uoluerunt, & uoluit quod illi noluerunt, aut coactus à potentiore alio prædestinationem constituit, aut si ipse constituit, calumniam fecit. Vt quid enim dicit homini, hoc volui quod noluisti, si scit se eum prædestinasse ne vellet? Secundùm vestram blasphemiam excluditur reatus hominis, & apparet calumnia Dei, & probatur innocens qui delinquit, & iniustus qui punit. Dolendum enim est peccanti potiùs quàm irascendum, quia vim passus est à prædestinatione diuina, cùm rueret ad præcipitia criminum. Hoc enim voluit qui creauit, qui enim creauit ipse prædestinauit. Quod si ita est, constat non suum esse vitium omnino qui peccat. Si ergo non suum habet vitium omnino qui peccat, & constat à iusto Deo extranea esse vniuersa, quæ damnat, cuius inuenitur factum, huius inuenietur esse peccatum. Nulla enim ratio patitur, ut ubi alter prædestinator est, ibi alter præuaricator esse dicatur: nec recipit hoc boni & iusti æquitas, vt prædestinationem suam crimen faciat alienum. Ergo ut peccantem punias, ostende prædestinantem: da auctorum prædestinationis, vt possis iudicem monstrare peccati: quia unum eundemque ostendere non potes prædestinantem atque damnantem. Si enim Deus auctor est prædestinationis, & operum nostrorum ipse est constitutor, ostendite alium qui puniat prædestinata peccata: aut si quasi iustos iniusta humani operis facta condemnat, huius iniustitiæ alium nobis prædestinatorem ostendite. Cui enim displicet factum, nunquam potuit ab eo ut fieret constitutum. Perquam enim stultum est; si ipsum prædestinatorem eundem damnatorem operum confiteris. (VII.) Nullus enim tam impius quàm is qui rem à se præordinatam exhorreat, & id puniat factum, quod ipse præordinauit ut fieret. Nisi si forte, animo ad meliora conuerso, mutabilitate consilij, quòd prius fecit iudicat esse damnandum, quod qui agit doctrina melioris impellitur. Qui verò in omnipotentiæ virtute consistit, & nec parem nouit, nec superiorem metuit, dicite nobis prædestinationem suam quo compellente damnauit? quia si prædestinati opera rea est, multò magis prædestinantis ordinatio criminosa. Si enim is qui prædestinatus est, per prædestinationem

ipsam

ipsam reus est, quanto magis ille, cuius prædestinatio facta est, vocatur in culpam? Cauete, obsecro, ne hæc adulterini seminis zizania casto Ecclesiæ dogmati aspergantur, quia peccatum non à prædestinante dirigitur, sed à delinquente committitur. Recedant ergo vana argumenta verborum. Nihil habent omnino commune præuaricatio delinquentis & prædestinatio vindicantis, quia peccatum in voluntate transgressoris est, prædestinatio autem in redemptoris est ordinata virtute. Non enim aliud prædestinauit iste qui condidit, nisi ut secundum eius homo possit viuere voluntatem. Nefas est enim, & nimis est criminosum, ut præsumptio hominis ex Dei credatur prædestinatione descendere, & delinquentis vitium præordinatio futuri iudicis æstimetur. Occurrunt hoc loco, & dicunt per præscientiam Deus prædestinationem suam constituit. Nam quos præscijt nullo modo conuerti, hos prædestinauit ad mortem, & quos præsciit omnimodo conuerti, hos prædestinauit ad vitam. Videamus nunc, si non iniquis ambagib. iudicium Dei ad præiudicium iustitiæ trahitis. Ergo adhuc non sunt creati homines, & iam à iusto Deo præiudicium patiuntur? (VIII.) Videtur mihi quòd alterum uobis inuenissetis Deum, qui tam impius sit, ut à præiudicio circumueniat humani generis massam, & nondum nati hominis merita dispungendo constituat, ac prædestinationis suæ vinculo ad peccandum adstringat, & cui adhuc conceptio non est, iam illi præparet æterna supplicia, & cui adhuc non dedit lucis huius labentis transitoria munera, iam illi perpetuas tenebrarum præpararet pœnas. Quærite vobis, vt dixi, alterum Deum de quo ista dicatis. Nam hunc pium & clementem nostrum nunquam ad hoc prouocabitis, ut saltim blasphemiis vestris commotus, etiam vobis hoc faciat. Nam qui vos patienter tolerat, nescio iam cui peccanti non parcat. Quotidie nobis iniustè agentibus subuenit, & recentioribus delictis subinde recentiora indulgentiæ suæ dona largitur, & vos dicitis, iam ante mundi constitutionem indignatus nobis pro futuris peccati prædestinauit sententiam. In præsenti se blasphemantibus veniam tribuit, & vos dicitis, Iam tunc indignatus est contra peccaturos, & prædestinauit eos ad mortem, quando prima liniamenta generationis humanæ formauit. [IX.] Iam ergo tunc egit iudicium mundi, antequam ipsum mundum statueret, vt iam post finem sæculi non inueniat quem puniret. Laborem sibi forte voluit tollere, & ne non occurreret post facta sua homines iudicare, ante

eos prædestinauit ad mortem, quàm crearentur ad vitam. Et tamen, si ipse creauit quos prædestinauit ad pœnas, præuenit meritum occidendi, & qui adhuc non cœpit viuere, sententiam iam æternæ mortis accepit. Hoc Deus noster nunquam fecit, si vester est aliquis alius, ipsi istas inrogare blasphemias. De Deo autem nostro dicit Propheta, *Viuo ego dicit Dominus, quia cùm dixero peccatori, morte morieris, & peccator se abstulerit à via sua mala, & ab studijs suis pessimis, viuo ego dicit Dominus, vita viuet, & non morietur in delicto suo quod fecit. Et si dixero iusto vita viues, & recesserit post hac à iustitia sua, viuo ego, dicit Dominus, quia morte morietur, iustitia eius non liberabunt eum, in die qua recesserit à iustitia, & fecerit iniquitatem, in iniquitate sua morietur.* Vides nostrum Deum ex vtroque latere, & iustum monere, ne per securitatem corruat, & peccatorem adloqui, ne pro desperatione non surgat. (X.) Si alicubi vos legistis de Deo, Viuo ego dicit Dominus, quia quem prædestinaui ad vitam, aliud non erit, & quem prædestinaui ad mortem, sine dubio morietur, quis vos ferret ista docentes? Ecce contra sententiam vestram Deus loquitur, & ipsi Deo de se testimonium danti non creditis. Nec iustus securus sit, inquit, si dixero ei vita viues, quia si recesserit à iustitia, in iniquitate morietur, & cùm dixerim peccatori morte morieris, & conuersus fuerit, viuo ego dicit Dominus, iniquitatum eius non recordabor, vita viuet. Nolo enim mortem morientis, tantùm ut conuertatur & viuat. Occurrunt nobis iterum clamantes, Hoc in veteri lege scriptum est, in nouo autem Apostolus clamat, *Vasa iræ aptata in interitum.* Ergo si ante aduentum pietatis pietas iam exuberabat, quanto magis nunc, ubi pietas ipsa pro impijs sententiam impietatis accepit, vt impios à reatu suo absolueret, & eos ad indulgentiæ gratiam reuocaret? Videamus ergo vasa iræ quo ordine aptentur in interitum. (XI.) Audi Apostolum, non Dei præordinationi hoc, sed hominis negligentiæ vel diligentiæ adplicantem. [In magna, *inquit*, domo non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem sunt in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo mundauerit semetipsum ab his, erit vas in honore sanctificatum, vtile Deo ad omne opus bonum paratum. [Ergo vasa aptata iræ in interitum, si se emundauerint ab his pro quibus aptata sunt in interitum, erunt vasa in honore sanctificata, & Deo vtilia ad omne opus bonum parata, secundum quod supra dixit ad Pro-

phetam, *Cùm dixerim peccatori, morte morieris*, hoc est, cùm dixerim, eris vas aptatum ad interitum, & hic peccator conuerterit se ab iniquitate sua, hoc est, cùm sit vas aptatum ad interitum, mundauerit semetipsum ab his, erit vas in honore sanctificatum. Posteaquam hinc eos superaueris, ad obscuriora loca scripturarum confugiunt, vt sagittent in obscuro rectos corde. *Nescitis, inquiunt, quia scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui? Cùm enim nondum nati fuissent, nec aliquid egissent boni vel mali, ex præscientia dictum est, vt vnus haberetur odio, alius amaretur.* Necesse nobis erit in hoc loco, de lumine sacræ legis interpretatiunculæ huius lumen incendere, ut detegamini, non aliud in obscuris locis vos fingere, nisi ut simpliciter ambulantes exspolietis catholicos vestitu deaurato, & induatis eos pannis hæreticorum sordibus plenis. In Geneseos libro de Rebecca dictum est, *Duæ gentes & duo populi de tuo vtero prodient, & populus populum superabit, & maior seruiet minori.* (XII.) Prophetia ergo non de his est qui secundum carnem nascebantur, sed de duobus populis Iudæorum & Gentium, in quo maior populus Iudæorum seruiet minori, idest Gentium. Sic enim & sequitur Apostolus, *à præsciente*, inquit, *dictum est, quia maior seruiet minori.* Vt quid hoc dixisti, ò beate Paule Apostole? peto ut respondeas. Numquidnam propterea hoc dixisti, ut prædestinatio præiudicium nasciturіs adferret? Respondet ita Apostolus: Ego propter hoc dixi, maior seruiet minori, ut electio ex Gentibus fieret. Ergo si prophetiæ huius mysterium nobis interpretatur Apostolus, tu quis es qui aliter, quàm explanauit nobis magister verus, istum sensum exponas: cùm scias dictum ab eo, quòd *si Angelus de Cælo euangelizauerit vobis præterquam euangelizauimus vobis, anathema sit?* Occurrunt hoc loco renouato certamine dicentes: *Nos non dicimus præterquam euangelizauit Apostolus. Per præscientiam Dei prædestinationem factam ipse commemorat. de Deo ipse dicit, Quos vocauit, hos prædestinauit.* Si præscientem & prædestinantem, & vocantem in Apostolo legitis, nobis ut quid impingitis crimen? Nos vobis crimen non impingimus, sed probamus. Siue enim vos peritos dicatis, arguimus non sic sensus Apostolicos vos debere concidere: siue vos probetis imperitos, increpamus nonscientes præsumere non debere, & eius rei magisterium polliceri, cuius nunquam voluistis esse discipuli. (XIII.) Vos enim, si voluissetis discere priùs, & sic docere, ab istis interpretationibus fugientes,

tes, à Dei æquitate nunquam recederetis, nec diceretis, quia non omnes homines vult saluos fieri. Apostolus autem legis peritus noster, omnibus se omnia factum dicit, ut omnes lucrifaceret peccatores. Iam enim didicerat, quia conclusit Deus omnia in incredulitate, & vult ut omnibus misereatur. Didicerat quòd omne os deberet obstrui, & subditus deberet fieri omnis mundus Deo, & ideò dicebat, (Dico autem per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui in vobis sunt, *& iterum*, Corripientes omnem hominem, & docentes, *& iterum*, Idem Deus diues in omnibus vobis, *& iterum*, Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, & docens, ut sit omnis homo perfectus in Christo.) Et quia sciebat Filium Dei pro omnibus natum, pro omnibus passum, ideo clamat, dicens: (Hoc placitum est coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.) Vnde etiam quotidie nobis in Euangeliis suis ipse Dominus clamat, dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.* Vnde ut doceret se nullum hominem à sua largitate repellere, prõptus, liberalis, abundans, numquam minus faciens, loquitur in Euangeliis suis dicens, *Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur*. Nam & scriptura veteris Testamenti omnes ad audiendum gentes inuitans, dicebat, *Audite hæc omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filij hominum, simul in vnum diues & pauper.* Et ideo idem Apostolus, videns quia omnes homines vult Deus, non tamen omnes homines Deum volunt, futurum iudicium memorans clamat, dicens, *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala.* Vnde & Apostolus Petrus, *Gratia*, inquit, *Dei super omnes, & in omnibus vobis.* Prophetæ omnes vocant, Christus omnes vocat, in toto orbe terrarum sacerdotes Dei innumerabiles omnes vocant ad gratiam & ad misericordiam Dei, & ad indulgentiam. Soli duo, aut tres homunciones, cæcum habentes cor, egrediuntur cum his libris apostaticis, quos viri catholici esse confingentes, totum vulnerant mundum. quibus novum genus blasphemiæ inducentes dicunt, quòd Deus nõ omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, atque vnius loci obscuritatem passi, tanto lumini, tamque immenso splendori, tenebrarum suarum volunt inferre caliginem. Sed quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non valent comprehendere, iuvante Domino,

ex eius thesauris accipientes, locum quem putant hæresi suæ magnum porrigere explanauimus. Dicamus nunc & de præscientia & de prædestinatione. Præscijt Deus & prædixit quòd in semine Abrahæ, hoc est in Christo, benedicerentur omnes gentes. Quod dum fieret, Iudæi satis molestè ferebant. Nam ideo comprehendebant Apostolos, & in custodijs retinebant, dicentes eis, (Præcepimus vobis ne prædicaretis hoc nomen: vos autem replestis omnes doctrina vestra.) Apostolus autem Paulus, videns Iudæos in eo deficere quòd gentes introirent ad fidem, & excluderent Iudæos à priuilegio Synagogæ per priuilegium Ecclesiæ, adloquitur eos ut non contristentur, dicens, Quid nunc prohibetis nos Gentibus loqui ne saluæ fiant, cùm sciatis Deum dixisse ad Abraham, quòd in semine tuo hæreditabo omnes gentes? Præscijt enim Deus, quòd Filium eius essent negaturi Iudæi, & essent ei Gentium populi credituri. Et ideo ait: (Quos præsciit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.) Iudæi enim per circumcisionem filii Abrahæ docentur, Gentes autem per baptismum filii Dei fiunt, & est illis frater primogenitus Filius Dei. Vnigenitus, inquam, specialiter Filius Dei, frater fit eorum, qui generaliter filii Dei adoptantur, unde & dicit Patri, *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. (XIV.) Hos ergo gentium populos præsciit, vt diximus, quòd Filium suum, quem Iudæi crucifixuri erant, sincero corde susciperent, & ut decebat Dei filium adorarent. Quos ergo præsciit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui, ut Filius eius esset primogenitus in multis fratribus, hos prædestinauit, quos autem prædestinauit, hos vocauit. Si interrogas Apostolum, quando prædestinauit? dicit tibi, tunc quando dixit Abrahæ, *In semine tuo hæreditabo omnes gentes*. Et ideo per Prophetam dicit, *Audite hæc omnes gentes*. Dicit ergo Iudæis, Nihil novum vobis videatur fecisse Deus, qui voluit promissum patri nostro Abrahæ complere quod promiserat, ut in semine eius hæreditentur omnes gentes. Ergo quia omnes gentes prædestinauit, omnes gentes conclusit in incredulitatem ut omnibus misereatur. Ergo quos prædestinauit hos vocauit, quos vocauit hos iustificauit auferendo uniuersa peccata: quos autem iustificauit, ipsos & magnificauit, id est filios Dei fecit. Quid ergo murmurantes estis ô Iudæi, prohibentes nos gentes adloqui? Si Deus pro nobis, quis contra nos? idest quid in nos mittitis manus, & in Apostolos Dei

scandalum patimini? Si enim Deus filio suo non pepercit, sed (XV.) pro omnibus nobis tradidit eum. Nota tibi, Prædestinate, quid dicat, sed pro omnibus tradidit eum. Dicendo pro omnibus tradidit eum, & Iudæis amputauit scandalum, & vestram intentionem exclusit. Miror autem prudentiam vestram sic legisse locum istum, *quos prædestinauit hos vocauit*, ut ad unum versiculum qui in antè est timuissetis accedere. Quando enim venistis ad hunc locum, quasi satisfactum putantes intentioni vestræ, noluistis in antè ad versiculum qui vos conuincebat adspicere, idest, *pro omnibus tradidit eum*, sed clausistis codicem, & cœpistis clamare, Non omnes vocat Deus ad gratiam suam, non omnes inuitat & dicentibus nostris, Ergo non omnes vocat? vos respondistis; Non omnes vocat. Stupentes itaque nostri atque anxiantes, eo quòd audirent quod nullus unquam hæreticorum dixerat, interrogauerunt peritiam vestram dicentes, (XVI.) Vnde probatis quia non omnes vocat Deus ad gratiam suam? (XVII.) Ipse Deus non vult eos vocare? an vult & non potest? an non merentur? Si vult & non potest, blasphematur impotens: si potest & non vult, videtur iniquus: si ipsi non merentur, ergo iam gratia non est gratia, & res meriti humani est vocatio, non gratiæ Dei, si autem gratiæ Dei est, & non meriti hominis, omnes vocat, *Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei*, ut dicit Apostolus, & adiecit, (Iustificati itaque gratis in gratia ipsius in redemptionem quæ est in Christo.) Ecce gratis, ecce & redemptio. Audenter dico, ubi est præsumptio de merito humanitatis, non est gratia diuinitatis, omnia enim quæ gratiæ Dei esse credimus, meritis nostris adplicare non possumus. Ergo si gratiæ est & non meriti, quomodo vos dicitis aliquos non vocari, quia sunt eius vocatione indigni? Si enim nullus ex suo merito vocatur: sed ex dono gratiæ Dei, & alius vocatur alius recusatur, personarum Deus blasphematur acceptor. Arguuntur etiam Apostoli eius falsi testes iudicij. Nam beatus Apostolus Petrus clamat, (In veritate, *inquit*, comperi, quia non est personarum acceptio apud Deum: *Et beatus Paulus*, Non est enim personarum acceptio apud Deum; *Et iterum Dominus dicit de seruis*, Eadem, *inquit*, facite illis remittentes minas, scientes quia & vester & illorum Deus in cœlis est, & non est apud illum personarum acceptio.) Si ergo ita est, immo quia ita est, vnde probatis quia non omnes vocat ad gratiam suam? aut quem non vult saluare qui pro crucifigentibus orat? In hac hærese diabolus

tyran-

tyrannidis suę furore grassatur, ut lethali plaga pene uniuersum vulneret mundum. Infert bellum creatura creatori, (XVIII.) & dicit ipsum prædestinasse quod punit, ipsum ut fieret constituisse quod prohibuit. Quod quàm sit impium, quamque sacrilegum, quamlibet imperitus agnoscet. Omne enim peccatum tunc peccatum rectè dicitur, cùm & reatus delinquentis & æquitas iudicantis ostenditur, quia peccati supplicium præcedit semper meritum facti: reum autem nemo facit, nisi eum qui potuit declinare peccatum. Peccatum ergo inter prædestinantem & operantem discerne, ut illius factum malum hic, quasi alienum à se, aut damnet, aut corrigat. A iusto autem Deo aliena sunt vniuersa quæ damnat. Vnde si prædestinatio in peccantem ostenditur, nihil iusto iudici probatur debere peccator: quia cuius adseritur prædestinatio, huius etiam operatio comprobatur. Videtisne, obsecro, quàm grauiter blasphemetur his adsertionibus Deus? Si enim prædestinationis eius vis eousque adducitur, ut eius dicatur præordinatione peccatum, fructus malus non nisi ex impia radice procreatur. Erit ergo secundum Manichæũ alius Deus malorum, alius bonorum, ut quæ bona sunt bono adscribantur, & quæ mala sunt malo, ne videamur peius Manichæis inclamare blasphemium, cùm unum eundemque Deum, quem bonum confitemur & iustum, hunc prædestinasse omnia scelera æstimemus. Recedant igitur vana argumenta verborum. Nihil habet commune præuaricatio delinquentis & prædestinatio vlciscentis: quia peccatum in contemptu transgressoris est, ultio verò in iudicis æquitate consistit. Tollite itaque è duobus unum, aut iudici prædestinationem ut probetis iustum, aut alterum iudicem futurum ostendite. Nulla enim ratione constitutum suum poterit punire qui iudicat: quia si malum prædestinationi dederis Dei, voluntati hominis dare non poteris. Aut enim accusa reatum in homine, & tolle te à blasphemio Dei, aut si prædestinationem à Deo asseris constitutam esse peccanti, reatum quidem peccatori tulisti, sed Deo crimen impingis. Certè peccatum certum est nihil aliud esse, quàm præuaricationem hominis, & prædestinationem nihil aliud, nisi ordinationem Dei. Quomodo ergo tam diuersa sibimet tamque contraria ad unam compaginem venire potuerunt, vt quod bonum Dei est malum hominis fiat, & delinquentis vitium dicatur præordinatio prohibentis? Illud autem cur non consideratis, qui prædestinatione Dei putatis homines consentire peccatis? Omne certe pecca-

tum vult & desiderat diabolus fieri, & creditis quod prædestinatio- nem suam Deus ad diaboli desiderium, & ad hominis interitum posuit, & voluit prædestinationem suam seruire voluntati diabolicæ, ut ad libitus dæmonum homines, ante propriæ voluntatis meritum, reos iam addiceret inimico? Hactenus blasphemias huius loci detexisse sufficiat. Pauido enim corde intolerabili tremore deficio. Octoginta & nouem hæreses in primo libello conscripsimus, nullam ita hominibus ad crimina fræna laxasse conspeximus; nullam sic blasphemias in Deum adstruentem inuenimus. Fateor, catholici confessores, crescunt eis in hac defensione blasphemiæ. Peto itaque vestræ fidei puritatem, ut dimicantem me vestris precibus adiuvetis, contra hos agentem, quorum tota verba blasphemiæ sunt. Fateor, inquam, carissimi, vniuersa mei corporis membra torpescunt, animus deficit, auditus intremuit, facies pallore distabuit, capillorum seges in vertice riget, mens intus cum suis consiliis metu quassante adflicta est, lingua ipsa in suo atrio moueri non præualet: quoniam contra eos loquimur, qui dicunt Deum diaboli voluntati seruire. *Iam enim, inquiunt, prædestinauit Deus homines, siue ad iustitiam, siue ad peccatum, & idcirco quod eos voluit esse qui condidit aliud esse non possunt.* Cùm interrogaueritis eos, ut quid tantum blasphemiæ proferant, dicunt quia dixit Apostolus: *Quos prædestinauit, hos vocauit. Ideoque aiunt, quos semel Deus prædestinauit ad vitam, etiamsi negligant, etiamsi peccent, etiamsi nolint, ad vitam perducentur inuiti, quos autem prædestinauit ad mortem, etiamsi currant, etiamsi festinent, sine causa laborant.* Quis non videat, quòd hoc dicto tollatur sollicitudo iustis timendi ne corruant, & peccatoribus amputetur affectus sperandi ne surgant? Euasimus blasphemias Dei, ad ruinas hominum venimus. (XIX.) Si enim ita est, ut unusquisque hoc sit quod prædestinatus est, cessat lex, cessat sacerdos, cessat deuotio populi, clauditur aula confugij, euacuatur sinus Ecclesiæ, nullus genu curuat Deo, nullus benedictionibus inclinat caput, clauduntur apices Dei atque uniuersa simul virtutum studia euanescunt. *Quantumuis enim, aiunt, quicumque studeat, & à Dei Ecclesia, & à Dei sacerdotibus, & à diuinis studijs non recedat, si semel eum Deus prædestinauit ad mortem saluus esse non poterit. Iudas quotidie verbum vitæ audiuit, quotidie adhæsit Domino, quotidie virtutibus occupatus, quotidie ipsum filium Dei monitorem audiuit, & quia prædestinatus est ad mortem, vno ictu subito interijt.*

Saulus

Saulus quotidie persecutor, quotidie lapidator Christianorum, quotidie vastator Ecclesiarum, & quia prædestinatus est ad vitam, vno ictu subito vas electionis est factus. Quid ergo, inquiunt, tu qui in peccatis permanes, expauescis? si te Deus dignabitur, sanctus eris: aut quid tu qui in sanctitate viuis, sollicitus redderis? si Deus noluerit, nunquam corrues. Vterque de Deo securi estote. Numquid tu qui sanctus es, & sollicitus es ne corruas, & die nocteque orationibus ades, occuparis ieiunijs, & diuinis lectionibus diligenter insistis, exhortationibus vacas, atque omnibus sanctis studijs quotidie immines, numquid tua voluntate saluus eris? Numquid sanctior eris Iuda, qui accepit potestatem infirmos curandi, dæmonia fugandi, mortuos suscitandi, calcandi super serpentes & scorpiones, collega Apostolorum, Christi discipulus, & tamen quia prædestinatus est ad mortem, mortem æternam inuenit? Cessa esse sollicitus, & de Dei esto voluntate securus: quoniam si te dignatur Deus vt permaneas, sanctus eris. At tu qui peccator es, disce à Paulo Apostolo. Numquid tu aliquando peiora poteris committere quàm ille commisit? & tamen quia prædestinatus est ad Apostolatum, euasit subitò vniuersa peccata, & ab inferioribus inferiorum ad superna superiorum ascendit. Hic est omnis summa consilij vestri, hinc decipitis mundũ, hinc penetratis domos, & captiuatis mulierculas oneratas peccatis, quæ circũducuntur varijs desideriis; semper discentes, & nunquam ad scientiam Dei peruenientes. Iuvante itaque Domino, spiritus ille, qui falsorum senum aduersus Susannam agentium scidit consilia, hic spiritus nunc vos diuidit aduersum immaculatam Dei Ecclesiam falsa tractantes. Et sicut illi de sua sibi accusatione inuenti sunt pleni fallacijs, ita vos ex vestris vobis oppositionibus abscedetis superati. Ipsa itaque verba dicimus inter initia quæ ipsi dixistis: sed aliter eorumdem verborum finem colligimus. Dicimus enim iusto, Certe Iudas Apostolus fuit, & à Christi vestigiis non recessit, ex ore eius die nocteque consilia salutis accepit, signa virtutum exercuit, & vniuersa obtinuit Apostolatus insignia, & tamen quia negligens fuit, cecidit. Vigila ne corruas, esto sollicitus, quia aduersarius tuus sicut Leo rugiens circuit quærens ut transuoret. Hoc autem quòd cecidit Iudas, non putes fuisse impietatis Dei: neque enim Deus illum voluit esse malignum, sed quia fur erat, & loculos habebat, & erat in corde eius radix omnium malorum auaritia, ideo corruit miser, & crepuit medius, qui tanta dona diuina neglexit, qui medico præsen-

te, vulnera sua non solum non curare, sed etiam augmentare studuit. In peccato enim Iudæ vos ipsos Iudices petimus. Ita enim vos iuvante Christo concludimus, ut vos ipsos ex vestro iudicio superetis. In peccato Iudæ grande est sacrilegium, incomparabile facinus, crimen immensum. Dicite nobis, cui vultis hoc crimen adscribi? Ipsi Iudæ traditori, an Deo prædestinatori? Si, quod dici peius peccatum est, quàm hoc quod Iudas exercuit, Hoc peccatum Dei prædestinatoris esse probaueritis, fateor vicistis, si autem ipsius Iudæ est traditoris, defensio nostra accepit palmam, non enim Deus ipsum talem vel prædestinauit, vel talem esse voluit. Defendamus ergo sanctum & immaculatum à crimine Dominum, ne quem ille tradidit per auaritiam, nos per iniustitiam accusemus: & tollentes crimen Iudæ, Dominum vocemus in culpam. Si enim ideo talis extitit, quia talem illum Deus prædestinauit, non quia ipse neglexit, ipsum quidem liberamus ab omni pondere criminis, & tollentes nos ab increpatione traditoris hominis, prædestinatoris Dei astutiam accusamus, qui quasi voluerit Apostolum fieri, ut eum ex Apostolo faceret traditorem, quem quasi voluerit eleuare ad cœlos, ut eum ex alto iactaret: quem quasi voluerit dæmonia eiicere, ut eum dæmonum traderet potestati. Quid moras innectimus? ante oculos vestros utrosque habetis, ò nostri temporis tractatores, servum & dominum, magistrum & discipulum, Deum bonum & hominem malum, unum accusate quem vultis, & unum laudate quem vultis. Si Deum prædestinantem, Iudas immunis est, si Iudam tradentem, crimen eius Deum prædestinasse docere minime poteritis, quia Dei prædestinatio bona est, Iudæ autem traditio mala. Bonus ergo rem bonam fecit, quia malum numquam fecisse credendus est. Et si prædestinatio Dei bona est, & Iudæ traditio pessima, rei malæ Iudæ, & rei bonæ Dei, conuenire non potuit. Impossibile est enim, tenebris & lumini, bono & malo, vitæ & morti, veritati & mendacio, simul habere consortium. Reddentes ergo Iudæ soli peccatum suum ex integro, & Deo honorem æquitatis suæ integerrimum exhibentes, nobis quoque reddite osculum charitatis. Laboratis enim vano certamine, qui per Iudam omnes peccatores excusatis atque defenditis, Dei autem iustitiam accusatis. Nunc veniamus ad magistrum bonum & verè beatissimum Paulum, & amota tergiuersationis insania, quod verum & integrum negari

non potest explicemus. Aliud est, zelo malitiæ persequi aliquem innocentem, sicut fecit Cain; aliud est zelo Dei persequi, sicut fecit Helias: nec solùm persecutus est, sed etiam in conspectu suo multū populum gladio iussit occidi. Cain unum occidit, & æterna damnatione punitur: Helias multos occidit, & ad gloriam rapitur sempiternam, [XX.] Non ergo, sicut vos putatis, Cain imitatus est Paulus, sed zelo Dei ductus Heliam secutus est. Dicas forsitan, vnde hoc probas? Lege ad Galatas eundem sibi testimonium perhibentem, atque dicentem: *Persequebar*, inquit, *Ecclesiam Dei, & expugnabam illam super multos coætaneos meos in genero meo, abundantius*, inquit, *æmulator existens paternarum mearum traditionum*. Numquid non omnibus Catholicis notum est, Deum hebræorum hunc esse patrem Domini nostri Iesu Christi? Quem ergo defendebat? Patrem sine dubio, quia Sacerdotes sui ei dixerant hunc non esse filium Dei quem crucifixerant. Credens itaque legi suæ, credens Sacerdotibus Dei viui, accepit ab eis Epistolas, ut pergens Damascum ad synagogas, vinctos adduceret Christianos. Prudentissimus vir atque sapientissimus, qui sciebat se zelo Dei agere, sine dubio videbatur ei, quòd inimicos Dei persequeretur. Pro fide enim Dei, & pro veritate currebat. Non enim filium Dei esse Dominum nostrum Iesum Christum didicerat, sed seductorem & deceptorem populi sui, à magistris suis & à Sacerdotibus suis ut audierat, æstimabat. Animum itaque Heliæ non Cain habens, erga nouos cultores Dei fortiter insistebat, & ignorans crimina pro virtutibus exercebat. Deus autem, cordis inspector, & fidei contemplator, fecit eum misericordiam inuenire, quia ignorantiam eius innocentia comprobabat. Vnde hoc probamus? Ipse dicit ad Timotheum. *Fui*, inquit, *persecutor & iniuriosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*. Vides ergo, quia ubi ignorantia est, inuidia non est? A iustitia enim Dei ignoranti doctrina traditur, scienti verò & contemnenti dictatur sententia. Vnde per obscurum ignorantiæ ambulans Paulus, putabat se inimicum Domini sui persequi, ardebat in persecutione, quia placere Domino bonus famulus studebat. Non quiescebat, furebat, abundantius omnibus zelator existens paternarum traditionum. Quorum patrum gerens zelum? sine dubio Abrahæ, & Isaac, & Iacob: & qui horum Deus? sine dubio pater Domini nostri Iesu Christi. Ergo huic placere studens, putabat se eius insequi inimicum: passus obscuritatem sacer-

dotum

dotum suorum, quibus legis diuinæ imperio fidem suam testimonium dantibus exhibebat. Omnibus notum est quid habeat obscuritas. Numquid non ipse usus nos poterit edocere, obscuritatis hanc esse naturam, ut notum & ignotum, parentem & extraneum, ciuem & barbarum, uno modo ante oculos adferat, qui nisi locutus fuerit, quis ille sit penitus sciri non poterit? Hic ergo, velut bonus custos vineæ Domini sabaoth domus Israel, velut bonus circitor, adprehenso baculo, per noctem ignorantiæ circumibat, ut quoscumque inueniret legentes vindemiam Domini, Heliæ animo deuastaret. Seruo itaque bono, pro domini sui vinea vigilanti, seruo zelo fidei persequenti, seruo Heliam imitanti, seruo in tenebris ignorãtiæ pro veritate certanti, seruo cui se sciebat dixisse ut pro veritate certaret usque ad mortem, laboranti ergo, & in obscuro fidei persequenti, & nescienti quòd ipse esset dominus suus, quem putabat inimicum domini sui, succurrit dicens, Quiesce, ego sum dominus tuus. Modò tu ipse iudica de te ipso. Si introieris in vineam tuam nocte, numquid homo tuus, aut servus tuus, in obscuro noctis dum te senserit, & cœperit venire ut te comprehendat, dic mihi obsecro, veritatem profer ex ore tuo, dic mihi numquid taces, & permittis te teneri ab eo, quem probas quia non zelo non inimicitiis facientibus te persequitur, sed te defendens, dum te æstimat furem te ipsum pro te ipso persequitur? Huic tali seruo & laus debetur & præmium. Denique cùm dixeris ei persequenti te & volenti percutere, Cessa, ego sum Dominus tuus, statim abiecto fuste de manu sua, prosternens se pedibus tuis veniam postulat ignorantiæ, atque ex illa hora hoc faciet quod ei præceperis. Ita ergo tunc B. Paulus, missus à sacerdotibus Dei, iam meritis Apostolicis plenus, vas electionis erat, habens intra se spiritum Heliæ persequebatur, ut ei videbatur, inimicos legis Dei, & quem putabat esse furem vineæ Domini sui, ipse erat Deus suus. Patiebatur enim noctem, cuius ei obscurum fecerat incredulitas sacerdotum. Iustus vero Dominus in hac ipsa sibi persecutione, quam ipse patiebatur pro sua iustitia, complacebat, quia ipse dederat legem, quam ille seruabat. Non ergo quasi personarum acceptor adprehendit nolentem & fecit volentem, adprehendit infidelem & fecit fidelem, adprehendit inimicum & fecit amicum, adprehendit malum & fecit bonum: sed suum fidelem & pro se laborantem adloquitur, & dicit, *Quid me persequeris?* At ille ipsa verba quæ solent in obscuro dici ait, *Quis es Domine?* & Dominus,

Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Statim credit, statimque transfert se à synagoga ad Ecclesiam, non mutando dominum sed ipsum esse quem semper coluit agnoscendo. Non ab alio Deo ad alterum Deum veniendo, sed eumdem esse Deum, quem semper coluerat, comprobando. Non ab infidelitate ad fidem veniendo, sed ipsam fidem, quam iure habuerat, possidendo. Iustus ergo Dominus seruum suum cognouit, secundum quod ipse Apostolus ad Timotheum dicit: *Cognoscit Dominus qui sunt eius.* His autem quos videt non veritatis defensione, sed vanæ gloriæ & cupiditate aliqua, eius se seruos esse iactantes; clamat eis dicens: *Discedite à me quia non noui vos.* Verùm quid stamus in hoc loco, cùm non solùm has iniurias Apostolo inrogetis, ut dicatis eum inuitum tractum, cùm ad unam vocem legatis eum de se dicentem: *Si nolens hoc ago, dispensatio mihi credita est: si autem volens hoc ago, mercedem accipio.* Excludite eum à mercede sua, & dicite, Quia nolens hoc agis inuitus tractus, non tu curris, neque enim de cursu tuo proficis; esto iam securus, scias te etiam si volueris peccare non posse. Ad hæc vobis ipse respondet, *Ego sic curro, non quasi in incertum: ego quotidie festino, & ad brauium supernæ vocationis extendor. Et licet nihil mihi conscius sim, sed tamen non in hoc iustificatus sum. Nolite errare, Deus non irridetur.* Ego enim, nisi in ieiuniis multis institero, & macerauero carnem meam, & seruituti tradidero, ipse reprobus efficiar. O magistrum bonum! ò sapientem architectum, & bonorum omnium instructorem.

Sic fabricat Ecclesiam qui vult exemplum salutis offerre. Non resupinat animos in bono cursu satagentes, ut putent se ita ad Deum peruenire, ut ab animis suis tollant studium placendi Deo, & dicant, Non ei placebimus de nostro studio, quid studemus? non ei placebimus de nostro cursu, quid currimus? non ei placebimus de nostra voluntate, quid volumus? non ei placebimus de nostra vigilantia, quid vigilamus? non ei placebimus de nostra oratione, quid oramus? si prædestinati sumus ad vitam, reprobi non erimus. Hoc excludens Petrus Apostolus clamat: *Vigilate quia aduersarius vester sicut leo rugiens circuit aliquem vestrum transuorare festinans.* Et Apostolus Paulus, *Nolite consentire operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite.* Nolite, inquit, consentire. Videtis consensum nostrum quam cautè informat? Scit enim per consensum nostrum unumquemque decipi, unumquemque saluari. [XXI.] Consensum

sensum autem dico, in quo consentimus medico, qui nos gratis curare volens clamat ad nos quotidie: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam*. Ideo audis vocantem, ut te exhibeas respondentem. Hic qui clamat ut omnes ad eum veniant, ignorauit doctrinam vestram. Nam non diceret, venite ad me omnes: sed diceret, veniant ad me qui sunt prædestinati ad salutem, ut saluentur: recedant à me qui sunt prædestinati ad mortem, ut puniantur. Sed non ita est ut ipsi docetis. Homo enim, si consensum suum à vocatione Dei subtraxerit, perit. Medicus hic noster gratis quidem curat, sed imperat obseruantiam. Qui non fuerit saluatus, aut vocantem contempsit, aut inuitantem renuit, aut ab his quæ ei abstinere sunt mandata neglexit. Hoc nos dicimus de medico perfecto. Vos quid dicitis? Dicite quod vultis, si laudatis medicum, & culpatis ægrotum, ostenditis medici diligentiam, & negligentiam ægrotantis. Non hoc dicitis, sed hoc dicitis quod habetis in fallaciæ vestræ libello conscriptum. *Omnes quos scit dignos salute redemptionis suæ Deus, hos ad salutem prædestinauit: hos tantùm saluat, quos se ad salutem prædestinasse cognoscit. Salus enim Dei non voluntati hominis seruit. Ipse enim scit cui quid faciat. Nec enim antecedit arbitrij libertas gratiam Dei, sed antecedit gratia Dei libertatem arbitrij*. Hæc vestra scripta sunt, vestra sunt dicta, veris falsa permixta. Respondeamus ad singula. Si omnes quos scit dignos vocat, ergo omnes ad salutem prædestinauit, quia omnes quotidie vocare non cessat. Si hos tantum saluat, quos se prædestinasse cognoscit, ergo omnes prædestinauit ad salutem, quia omnium dominus & saluator est. [XXII.] Si salus Dei non voluntati hominis obtemperat, sed anticipat gratia Dei voluntatem hominis, ostendite nobis quis nolens consecutus sit baptismatis sacrosancta mysteria, & postea cœpit per gratiam velle quod noluit: aut quis vnquam nolens egerit pœnitentiam, & posteaquam reconciliatus est, sic cœpit post indulgentiam pœnitere. Duæ istæ res sunt salutis humanæ, sacrificium & confessio. Sed & voluntariè sacrificamus Deo, & voluntariè confitemur. Sacrificium, quo sanguine Christi redimimur, & lateris eius unda perfundimur: confessio verò, qua confitentes errorem iterum meremur veniam peccatorum. Ergo duas istas species, quas solas scimus humano generi posse succurrere, quas dicit sanctus spiritus voluntariè fieri, videamus vtrùm, ut vos dicitis, ab homine exigantur inuito, an a voluntario flagitentur

tur

tur obsequio. Si ab inuito & à nolente, damus vobis manus, victi stis, si à consentiente, & à desiderante atque volente, consensus veritatis dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christū. Voluntariè enim sacrificamus Deo, & confitemur nomini eius, quoniam bonus est. *Non ita est, inquiunt, Vana est & infructuosa voluntas hominis. vanum est humanæ voluntatis arbitrium.* Si ad comparationem diuinæ gratiæ hoc diceretis, unum diceremus. Non enim humanam voluntatem diuinæ gratiæ præponimus. Omnia enim quæ bona sunt, non homini superbienti, sed Deo adscribimus miserenti. Non tamen hæc dicentes, non possumus dicere quod vos & dicitis & scribitis, (Vana voluntas est hominis.) Nos autem dicimus, Voluntas hominis non est vana: quia si vana est, nec præmium consequetur digna, nec supplicium meretur indigna. Sed ne tam hebetes sitis, ut neglegendo, nec audiendo ista quæ adserimus cognoscatis, Ite cum cathecumenis, & cùm pœnitentibus vestris ad omnium Ecclesiarum pontifices: & si videritis eos nolentibus gratiam baptismatis tradere, aut nolentibus pœnitentiæ imponere manum, sciatis vos esse Catholicos. Sin verò, nec baptismatis gratiam ausi sunt tradere, nisi veram & integram explorauerint voluntatem, nec manum imponere pœnitenti, nisi confessionem voluntariam ostendenti, quid insaniæ vestræ vanitate adtracti dicitis hoc loco, antecedit gratia voluntatem?

[XXIII.] Maior quidem est gratia Dei quàm voluntas hominis: sed prior est voluntas hoc loco quam gratia. Illa merito præcedit, hæc ordine. Scio hoc loco quas nebulas soleatis ignorantibus excitare, & calumnioso calliditatis ingenio in hac voce garrire, (Ecce dicunt, Prior est voluntas quàm gratia.) Nos in his duobus locis dicimus priorem voluntatem quàm gratiam, in baptismatis consecutione, & in pœnitentiæ conuersione, ut non vestro consilio ducti homines, incipiant declinare cor suum ad excusandas excusationes in peccatis, dum unus dicit, Si vult Deus, veniet ad me indulgentia peccatorum: & si voluerit me in numero gregis sui addere Christus, fiet. Huic dicimus, nisi volueris ex toto corde tuo credere, non ad te veniet indulgentia, neque gratia hæc ut gregis diuini particeps fias. Item in peccatis permanentibus si dicatur, pœnitentiam agite, adpropinquat regnum Dei: hi cùm dixerint, Si Deus dignatur dare veniam peccatis, in potestate eius est, his dicimus, Nisi volueritis ex toto corde vestro pœnitentiam agere, ad vos Dei indulgentia nun-

quam

quam adtinget. In his ergo duabus causis dicimus, antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Hanc ipsam rursus voluntatem hominis dicimus quo modo antecedit gratia Dei: quia non haberet hoc ipsum velle, nisi Vnigenitus nobis de Cœlo veniens, omnibus officinam suæ gratiæ reserasset. Veniens enim pro omnibus hominibus passus est. Ergo hoc ordine præcedit gratia Dei voluntatem hominis. Quod ideò dicimus, ut duobus capitibus vos excludamus. Qui enim dicitis, antecedit gratia voluntatem, bene sonatis, sed malè percutitis. Ideò enim dicitis, antecedit gratia voluntatem, ut homo nec incipiat velle bonum, sed expectet ut trahatur, expectet ut nolens fiat bonus, & cùm sit malus, dicat, Deus hoc vult, quia gratia eius ad me non accedit. Nos in isto loco, & vobis, & illi, qui hoc dicit, occurrimus dicentes, antecedit voluntas hominis gratiam Dei. [XXIV.] Non enim dixit Dominus, accipietis priùs, & sic petite, inuenietis prius, & sic quærite, aperietur vobis priùs, & sic pulsate: sed dixit, *Petite, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit.* Dicendo *omnis* generalem causam instituit, & prædestinationis suæ specialitatem exclusit, & dicendo *qui petit accipit*, priorem voluntatem hominis, quàm donum gratiæ demonstrauit. Et tamen fit prior voluntas hominis quàm gratia, fit & prior Dei gratia quàm voluntas. Non enim nos iuimus ad sanctum peccatores, sed ad peccatores sanctus aduenit: nec nos rogauimus ut veniret, sed non rogatus aduenit, & ut ascenderet ad Deum homo, Deus descendit ad hominē, exinaniuit se ut nos repleret, humiliauit se ut nos exaltaret, pauper factus est, ut nos diuites faceret: esuriit panis vivus, ut nos reficeret; sitiit fons perennis, ut nos aridos melliflui & æterni fontis unda perfunderet. Tentus est ut nos dimitteremur, ligatus est ut nos solueremur, venditus est ut nos redimeret, spineam coronam accepit in capite, ut spinas & tribulos primæ maledictionis eriperet: exspoliatus est, ut nos vestiret, in cruce suspensus est, ut nos à cruciatibus æternæ mortis auferret. Damnans de ligno crucis lignum concupiscentiæ, pandit immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis, pro concupiscentiæ gustu esca fellis accipitur, & mors vitæ pro vita mortis infertur. Nobis enim vicit, non sibi. Semper enim ipse victoriosissimus fuit, est, & futurus est. Sed quia nos omnes in Adam perdidimus vitam & paradisum, per Christum & paradisum, & vitam æternam, & adoptionem filiorum Dei, & regnum conse-

quimur sempiternum. Hoc loco eum, qui dicit antecedit voluntas hominis gratiam Dei, execramur vehementer. Sic tamen execramur, ut dicamus iam ex tempore passionis, & resurrectionis, & in cœlos ascensionis, quo iam gratia in mundo diffusa est, & in gremio Ecclesiæ hæc dona omnia diuinæ gratiæ conlocata, [XXV.] qui nō cucurrerit ad ista tanta dona Dei, & ipse, non vadens ad Ecclesiam Dei, expectet ut ad ipsum veniat Ecclesia Dei, dicimus hunc insanum. In hoc loco dicimus his & talibus, gratia Dei, absque personarum acceptione, in gremio est conlocata Ecclesiæ, si quis eam voluerit quærere, inuenit, si quis ad eam pulsauerit, aperietur ei, nolentibus autem, aut tepidè volentibus, gratia diuina non datur secundum id quod Philippus Apostolus dicit spadoni, *Si credis ex toto corde tuo, licet vt baptizeris*. Velle enim nostrum non exclusit gratia, sed incitauit, & dormientem quotidie excitat voluntatem. Iam ergo gratia posita, scriptum est, in medio terræ clamat, Venite. hic sermo Dei anticipat venientem: petite, hic sermo anticipat petiturum: quærite, hic sermo anticipat quæsiturum, pulsate, hic sermo anticipat pulsaturum: Si quæsierit homo, & inuenerit, gratiæ Dei est: quia Deus inuitauit ut quæreres, Deus fecit ut inuenires, si non quæsieris, nec inuenies, hoc liberi arbitrij tui est. Tantam enim habes liberi arbitrij potestatem, ut & vocantem Dominum tuum contemnere præualeres. Quicumque ergo saluatur, gratiæ Dei est, qui ut velles instituit: qui & per Prophetas, & per se, & per Apostolos suos quotidie te inuitat ut velis, si volueris & audieris, quæ bona sunt terræ illius æterna suscipies. Ergo & quod vis Dei est, & quod petis Dei est, & quod consequeris Dei est, quia in hac parte anticipat gratia voluntatem. Nescires enim quid velis, nisi te ipse & per se, & per suos vocaret, & ut peteres, & qualiter peteres, edoceret. Si ita est, quid nunc faciemus de te qui non petis? (XXVI.) Deus te noluit, aut tu noluisti Deum? Deus te noluit bonum operari, aut tu noluisti bonum operari? Deus te noluit esse iustum, aut tu noluisti esse iustus? Ideo te interrogo, ò sanctissime prædestinator, ut unū è duobus facias. Aut enim fateberis te vinci, aut Deum blasphemare conuinceris. Si enim permittis te vinci, dic nobiscum, Homo noluit bonum, & ideo malus est, quia si voluerit petere, dabitur ei gratia Dei. Cùm hoc dixeris, das manus fraternitati, & per reuerentiam te deitatis concilias. Si autem dixeris, ideo malus est, quia Deus hoc voluit, non quia homo noluit, probaris blasphemasse

se Deum, quem malum velle confirmas, & necesse erit ut blasphemantem Deum anathematizet Ecclesia. Dicamus nunc quæ sequuntur libri vestri falsa commenta. *Errat qui se putat volendo bonum peruenire ad Christum*, cùm ipse Christus dicat, *Nemo venit ad me, nisi quem pater adtraxerit. Qui melius à Christo sapitis, dicite si mentitus est Christus, & ita demum adserite nos contra Christi regulam istam fixisse sententiam. Si enim verum dixit Christus, non mentimur quod dicimus prædestinatos trahi ad vitam, quia vita ipse est*. Non est novum vocis sono decipi posse stultos. Sic vanus Arius secutus vocis sonum, dicit filio patrem eius esse maiorem. Et hoc dicit nobis, quod dicitis vos, (Si ipsi filio creditis, ipsum audite. Dicit enim, *quia pater maior me est.*) Vocis sonum qui adtendit, sicut Arianorum hæresi, sic prædestinatorum vanitati coniungitur. Quis enim nesciat, non posse venire ad filium, nisi quem pater adtraxerit? Tamen antequam loci istius occultum mysterium per nos Dominus manifestet, sensum vestrum detegimus. Ideo enim dicitis hoc testimonium, ut nullus monita sacerdotum studiosa aure suscipiat, nullus festinet ad matris Ecclesiæ gremium, & duorum testamentorum uberibus coalescat, omnes fugiant domum Dei, & quis ad quod voluerit vitium occupetur, expectans quando mittat manum pater de Cœlis, ut eum trahat inuitum, & nolentem, atque contradicentem, & non consentientem faciat electum & sanctum. Hæc vestra adsertio, vestrumque deprehenditur dogma. Nos autem dicimus, quod quamuis quicumque sanctus sit, ille sit Apostolus, ille sit martyr, ille Propheta sit, ille sit iustus, vires non habet proprias ut ad Christum ascendat. Solus enim Dominus sua virtute pro sua deitate ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram patris. Quamuis ergo quisque sit sanctus, quamuis amicus Dei, non habet vires ascendendi in cœlos. Et quia filius dicit patri, *Pater volo vt vbi sum, & isti sint mecum*, explanans concordiam deitatis ait: (XXVII.) *Nemo venit ad me*, idest virtute sua nemo potest venire ad me: Non est enim sanctitati hominis possibile ascendendi ad me, ubi sedeo ad dexteram patris, nisi quem pater adtraxerit. Vnde in unius persona omnis cœtus sanctorum dicit Deo, *Tenuisti manum dexteram meam, in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria adsumpsisti me*, unde & adiecit, *Quoniam qui se longe faciunt à te, peribunt*. Non dixit, quos tu longè facis à te, sed qui se longè faciunt à te, peribunt ostendens non de Dei execratione, sed de elongatione hominis, ho-

ab Apostolo imperatur? Dicit enim Paulus Apostolus, [Ædificate alterutrum, omnia vestra ad ædificationem fiant, *& iterum*, ut sapiens architectus fundamentum posui, si quis superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.] Et Dominus in Euangelio laudat virum sapientem, quia ædificat domum suam super petram, quæ nec ventorum, nec fluminum deiicia tur impulsu, Ergone in vanum ædificant sacerdotes Ecclesiam? in vanum vigilant, ut ouium simplicitatem luporum morsibus tollant? Et quomodo omnes hæreticos æterno anathemate ferientes gregē Christi custodiunt? Vbique catholicorum pascuntur oues, & vernantibus puræ fidei pascuis, montes exultant, ut arietes, & colles veluti agni ouium. Vbique à solis ortu usque ad occasum, unus grex & unus est pastor, à quo lupi interficiuntur, ne noceant gregi Dei, & adhuc non videtis ædificationem bonæ voluntatis vanam non esse sed certam? Quotidie ædificatur domus Dei per verbum bonum, per exemplum sanctum, per studium optimum. Quotidie clamat per Prophetam Dominus, *Ædificate vobis domos*, non luteas quæ à vento moueantur, sed quæ maneant in soliditatem petræ. Sed vobis ista omnia quæ diximus inania videntur & vana. Dicunt enim libri vestri, Ædificatio hominis non est certa, sed vana. Ab initio omnes sancti ædificationem mentibus contulerunt. Verbi causa, Primus Abel ædificauit iustitiam, Noë innocentiam, Abraham fidem, Isaac sacrificium, Iacob ambitionem rerum sanctarum, Ioseph castimoniam, Moyses Sacerdotium, Iesus filius Naue constantiam animi, David defensionem populi Dei, Salomon sapientiam, Ioannes pœnitentiam. Hos carptim de multis memorauimus, ut per hos cæteros, quos siluimus, ad memoriam suam reuocans lector, inquirat utrumnam homines fuerint. Si homines fuerunt, quomodo dicunt libri eorum, Ædificatio hominis non est certa, sed vana? Vnde agimus nunc conclusionibus catholicis dictum hæreticorum. Aut non fuerunt homines, quia manet ædificatio eorum: aut illi homines fuerunt, & istorum assertio euanuit. *Sed si contra nos venitis, inquiunt, non contra nos venitis, sed contra eum qui dixit, Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam, &, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum laborauerunt qui custodiunt eam. Ergo nescit, quia non erat utile populo Dei qui hæc fecit scribi, & ad posteros vsque ad finem sæculi dirigi?*

Vos

Vos itaque, qui ista reprehenditis, auferte hæc de libro psalmorum, quia legentes & psallentes hos versiculos, ut dicitis, ædificari non possunt. Nos dictum prophetæ laudamus, probamus, confitemur, confirmamus, & psallimus, atque hoc ordine secundum regulam catholicam explanamus. Ab initio, ut diximus, à sancto Abele iusto usque ad Zachariam & Ioannem, omnes ædificauerunt domū, non cementis, ut diximus, sed sanctis exemplis. Verùm tamen nisi Dominus Iesus Christus venisset, & ipse ædificasset domum hanc, in qua illi laborauerunt, in vanum laborauerant qui ædificauerant eam. Nam & vigilanter institerunt gregi, sed nisi Dominus Iesus Christus suam custodiam exhibuisset, in vanum & laborauerant custodientes eum. Vnde etiam sequitur, *In vanum est vobis ante lucem surgere*.

Lux enim Christus esse & à Prophetis, & ab Euangelistis, & ab Apostolis declaratur. Prophetæ ergo omnes ante lucem surrexerunt, idest ante natiuitatem Christi. His in vanum fuit ante lucem surgere, non enim potuerunt noctem patientibus veritatem ostendere. Sed venit lux, & manifestauit occulta tenebrarum: & tunc demum laus cæpit esse unicuique à Deo. Nisi ergo ipse venisset & ædificasset domum, in vanum laborauerant ædificantes eam. (XXXI.) Nunc ergo quia venit & ædificauit domum, iam non in vanum laborant qui ædificant eam. Et quia venit ut custodiat ciuitatem, iam non in vanum vigilant qui custodiunt eam. Et quia lux venit, & lucet in tenebris, iam non in vanum ante lucem surgimus. Et quia panis lætitiæ de Cœlo descendit, iam non manducamus panem doloris. Hic enim sequitur in psalmo versiculus, vos, inquit, in vanum ante lucem surgitis, qui manducatis panem doloris. Nos autem, qui non manducamus panem doloris, sed panem salutis, ædificemus domum nostram super petram, & vigilemus expectantes Dominum, quia nescimus diem neque horam. Beatus ille seruus, quem dum venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Si videtur, accedamus ad reliqua. *Sed qui putant isti se voluntate sua ad fructum ædificationis adtingere, cùm nec ipse vas electionis suam adserat voluntatem implere potuisse? Dicit enim de se ipse Apostolus, Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio. Si ergo Apostolus quod vult bonum implere non praualet, quomodo isti dicunt per voluntatem suam ad fructum se posse gratia peruenire?* Nunquam festinat ad veniam qui longum vult esse quod peccat. Da

veniam

non potest explicemus. Aliud est, zelo malitiæ persequi aliquem innocentem, sicut fecit Cain, aliud est zelo Dei persequi, sicut fecit Helias: nec solùm persecutus est, sed etiam in conspectu suo multũ populum gladio iussit occidi. Cain unum occidit, & æterna damnatione punitur: Helias multos occidit, & ad gloriam rapitur sempiternam. [XX.] Non ergo, sicut vos putatis, Cain imitatus est Paulus, sed zelo Dei ductus Heliam secutus est. Dicas forsitan, vnde hoc probas? Lege ad Galatas eundem sibi testimonium perhibentem, atque dicentem: *Persequebar*, inquit, *Ecclesiam Dei, & expugnabam illam super multos coætaneos meos in genere meo, abundantius*, inquit, *æmulator existens paternarum mearum traditionum*. Numquid non omnibus Catholicis notum est, Deum hebræorum hunc esse patrem Domini nostri Iesu Christi? Quem ergo defendebat? Patrem sine dubio, quia Sacerdotes sui ei dixerant hunc non esse filium Dei quem crucifixerant. Credens itaque legi suæ, credens Sacerdotibus Dei viui, accepit ab eis Epistolas, ut pergens Damascum ad synagogas, vinctos adduceret Christianos. Prudentissimus vir atque sapientissimus, qui sciebat se zelo Dei agere, sine dubio videbatur ei, quòd inimicos Dei persequeretur. Pro fide enim Dei, & pro veritate currebat. Non enim filium Dei esse Dominum nostrum Iesum Christum didicerat, sed seductorem & deceptorem populi sui, à magistris suis & à Sacerdotibus suis ut audierat, æstimabat. Animum itaque Heliæ non Cain habens, erga nouos cultores Dei fortiter insistebat, & ignorans crimina pro virtutibus exercebat. Deus autem, cordis inspector, & fidei contemplator, fecit eum misericordiam inuenire, quia ignorantiam eius innocentia comprobabat. Vnde hoc probamus? Ipse dicit ad Timotheum. *Fui*, inquit, *persecutor & iniuriosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*. Vides ergo, quia ubi ignorantia est, inuidia non est? A iustitia enim Dei ignoranti doctrina traditur, scienti verò & contemnenti dictatur sententia. Vnde per obscurum ignorantiæ ambulans Paulus, putabat se inimicum Domini sui persequi, ardebat in persecutione, quia placere Domino bonus famulus studebat. Non quiescebat, furebat, abundantius omnibus zelator existens paternarum traditionum. Quorum patrum gerens zelum? sine dubio Abrahæ, & Isaac, & Iacob: & qui horum Deus? sine dubio pater Domini nostri Iesu Christi. Ergo huic placere studens, putabat se eius insequi inimicum: passus obscuritatem sacer-

dotum

dorum suorum, quibus legis diuinæ imperio fidem suam testimonium dantibus exhibebat. Omnibus notum est quid habeat obscuritas. Numquid non ipse usus nos poterit edocere, obscuritatis hanc esse naturam, ut notum & ignotum, parentem & extraneum, ciuem & barbarum, uno modo ante oculos adferat, qui nisi locutus fuerit, quis ille sit penitus sciri non poterit? Hic ergo, velut bonus custos vineæ Domini sabaoth domus Israel, velut bonus circitor, adprehenso baculo, per noctem ignorantiæ circumibat, ut quoscumque inueniret legentes vindemiam Domini, Heliæ animo deuastaret. Seruo itaque bono, pro domini sui vinea vigilanti, seruo zelo fidei persequenti, seruo Heliam imitanti, seruo in tenebris ignorãtiæ pro veritate certanti, seruo cui se sciebat dixisse ut pro veritate certaret usque ad mortem, laboranti ergo, & in obscuro fidei persequenti, & nescienti quòd ipse esset dominus suus, quem putabat inimicum domini sui, succurrit dicens, Quiesce, ego sum dominus tuus. Modò tu ipse iudica de te ipso. Si introieris in vineam tuam nocte, numquid homo tuus, aut servus tuus, in obscuro noctis dum te senserit, & cœperit venire ut te comprehendat, dic mihi obsecro, veritatem profer ex ore tuo, dic mihi numquid taces, & permittis te teneri ab eo, quem probas quia non zelo non inimicitiis facientibus te persequitur, sed te defendens, dum te æstimat furem te ipsum pro te ipso persequitur? Huic tali seruo & laus debetur & præmium. Denique cùm dixeris ei persequenti te & volenti percutere, Cessa, ego sum Dominus tuus, statim abiecto fuste de manu sua, prosternens se pedibus tuis veniam postulat ignorantiæ, atque ex illa hora hoc faciet quod ei præceperis. Ita ergo tunc B. Paulus, missus à sacerdotibus Dei, iam meritis Apostolicis plenus, vas electionis erat, habens intra se spiritum Heliæ persequebatur, ut ei videbatur, inimicos legis Dei, & quem putabat esse furem vineæ Domini sui, ipse erat Deus suus. Patiebatur enim noctem, cuius ei obscurum fecerat incredulitas sacerdotum. Iustus vero Dominus in hac ipsa sibi persecutione, quam ipse patiebatur pro sua iustitia, complacebat, quia ipse dederat legem, quam ille seruabat. Non ergo quasi personarum acceptor adprehendit nolentem & fecit volentem, adprehendit infidelem & fecit fidelem, adprehendit inimicum & fecit amicum, adprehendit malum & fecit bonum: sed suum fidelem & pro se laborantem adloquitur, & dicit, *Quid me persequeris?* At ille ipsa verba quæ solent in obscuro dici ait, *Quis es Domine?* & Dominus,

Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Statim credit, statim que transfert se à synagoga ad Ecclesiam, non mutando dominum sed ipsum esse quem semper coluit agnoscendo. Non ab alio Deo ad alterum Deum veniendo, sed eumdem esse Deum, quem semper coluerat, comprobando. Non ab infidelitate ad fidem veniendo, sed ipsam fidem, quam iure habuerat, possidendo. Iustus ergo Dominus servum suum cognouit, secundum quod ipse Apostolus ad Timotheum dicit: *Cognoscit Dominus qui sunt eius.* His autem quos videt non veritatis defensione, sed vanæ gloriæ & cupiditate aliqua, eius se seruos esse iactantes; clamat eis dicens: *Discedite à me quia non noui vos.* Verùm quid stamus in hoc loco, cùm non solùm has iniurias Apostolo inrogetis, ut dicatis eum inuitum tractum, cùm ad unam vocem legatis eum de se dicentem: *Si nolens hoc ago, dispensatio mihi credita est: si autem volens hoc ago, mercedem accipio.* Excludite eum à mercede sua, & dicite, Quia nolens hoc agis inuitus tractus, non tu curris, neque enim de cursu tuo proficis; esto iam securus, scias te etiam si volueris peccare non posse. Ad hæc vobis ipse respondet, *Ego sic curro, non quasi in incertum: ego quotidie festino, & ad brauium supernæ vocationis extendor. Et licet nihil mihi conscius sim, sed tamen non in hoc iustificatus sum. Nolite errare, Deus non irridetur.* Ego enim, nisi in ieiuniis multis institero, & macerauero carnem meam, & seruituti tradidero, ipse reprobus efficiar. O magistrum bonum! ò sapientem architectum, & bonorum omnium instructorem.

Sic fabricat Ecclesiam qui vult exemplum salutis offerre. Non resupinat animos in bono cursu satagentes, ut putent se ita ad Deum peruenire, ut ab animis suis tollant studium placendi Deo, & dicant, Non ei placebimus de nostro studio, quid studemus? non ei placebimus de nostro cursu, quid currimus? non ei placebimus de nostra voluntate, quid volumus? non ei placebimus de nostra vigilantia, quid vigilamus? non ei placebimus de nostra oratione, quid oramus? si prædestinati sumus ad vitam, reprobi non erimus. Hoc excludens Petrus Apostolus clamat: *Vigilate quia aduersarius vester sicut leo rugiens circuit aliquem vestrum transuorare festinans.* Et Apostolus Paulus, *Nolite consentire operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite.* Nolite, inquit, consentire. Vides consensum nostrum quam cautè informat? Scit enim per consensum nostrum unumquemque decipi, unumquemque saluari. [XXI.] Con-

sensum autem dico, in quo consentimus medico, qui nos gratis curare volens clamat ad nos quotidie: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam*. Ideo audis vocantem, ut te exhibeas respondentem. Hic qui clamat ut omnes ad eum veniant, ignorauit doctrinam vestram. Nam non diceret, venite ad me omnes: sed diceret, veniant ad me qui sunt prædestinati ad salutem, ut saluentur: recedant à me qui sunt prædestinati ad mortem, ut puniantur. Sed non ita est ut ipsi docetis. Homo enim, si consensum suum à vocatione Dei subtraxerit, perit. Medicus hic noster gratis quidem curat, sed imperat obseruantiam. Qui non fuerit saluatus, aut vocantem contempsit, aut inuitantem renuit, aut ab his quæ ei abstinere sunt mandata neglexit. Hoc nos dicimus de medico perfecto. Vos quid dicitis? Dicite quod vultis, si laudatis medicum, & culpatis ægrotum, ostenditis medici diligentiam, & neglegentiam ægrotantis. Non hoc dicitis, sed hoc dicitis quod habetis in fallaciæ vestræ libello conscriptum. *Omnes quos scit dignos salute redemptionis suæ Deus, hos ad salutem prædestinauit: hos tantùm saluat, quos se ad salutem prædestinasse cognoscit. Salus enim Dei non voluntati hominis seruit. Ipse enim scit cui quid faciat; Nec enim antecedit arbitrij libertas gratiam Dei, sed antecedit gratia Dei libertatem arbitrij*. Hæc vestra scripta sunt, vestra sunt dicta, veris falsa permixta. Respondeamus ad singula. Si omnes quos scit dignos vocat, ergo omnes ad salutem prædestinauit, quia omnes quotidie vocare non cessat. Si hos tantum saluat, quos se prædestinasse cognoscit, ergo omnes prædestinauit ad salutem, quia omnium dominus & saluator est. [XXII.] Si salus Dei non voluntati hominis obtemperat, sed anticipat gratia Dei voluntatem hominis, ostendite nobis quis nolens consecutus sit baptismatis sacrosancta mysteria, & postea cœpit per gratiam velle quod noluit: aut quis vnquam nolens egerit pœnitentiam, & posteaquam reconciliatus est, sic cœpit post indulgentiam pœnitere. Duæ istæ res sunt salutis humanæ, sacrificium & confessio. Sed & voluntariè sacrificamus Deo, & voluntariè confitemur. Sacrificium, quo sanguine Christi redimimur, & lateris eius unda perfundimur: confessio verò, qua confitentes errorem iterum meremur veniam peccatorum. Ergo duas istas species, quas solas scimus humano generi posse succurrere, quas dicit sanctus spiritus voluntariè fieri, videamus vtrùm, ut vos dicitis, ab homine exigantur inuito, an a voluntario flagitentur

tur obsequio. Si ab inuito & à nolente, damus vobis manus, victi stis, si à consentiente, & à desiderante atque volente, consensus veritatis dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christũ. Voluntariè enim sacrificamus Deo, & confitemur nomini eius, quoniam bonus est. *Non ita est, inquiunt, Vana est & infructuosa voluntas hominis. vanum est humanæ voluntatis arbitrium.* Si ad comparationem diuinæ gratiæ hoc diceretis, unum diceremus. Non enim humanam voluntatem diuinæ gratiæ præponimus. Omnia enim quæ bona sunt, non homini superbienti, sed Deo adscribimus miserenti. Non tamen hæc dicentes, non possumus dicere quod vos & dicitis & scribitis, (Vana voluntas est hominis.) Nos autem dicimus, Voluntas hominis non est vana: quia si vana est, nec præmium consequetur digna, nec supplicium meretur indigna. Sed ne tam hebetes sitis, ut neglegendo, nec audiendo ista quæ adserimus cogrosatis, Ite cum cathecumenis, & cùm pœnitentibus vestris ad omnium Ecclesiarum pontifices: & si videritis eos nolentibus gratiam baptismatis tradere, aut nolentibus pœnitentiæ imponere manum, sciatis vos esse Catholicos. Sin verò, nec baptismatis gratiam ausi sunt tradere, nisi veram & integram explorauerint voluntatem, nec manum imponere pœnitenti, nisi confessionem voluntariam ostendenti, quid insaniæ vestræ vanitate adtracti dicitis hoc loco, antecedit gratia voluntatem?

[XXIII.] Maior quidem est gratia Dei quàm voluntas hominis: sed prior est voluntas hoc loco quam gratia. Illa merito præcedit, hæc ordine. Scio hoc loco quas nebulas soleatis ignorantibus excitare, & calumnioso calliditatis ingenio in hac voce garrire. (Ecce dicunt, Prior est voluntas quàm gratia.) Nos in his duobus locis dicimus priorem voluntatem quàm gratiam, in baptismatis consecutione, & in pœnitentiæ conuersione, ut non vestro consilio ducti homines, incipiant declinare cor suum ad excusandas excusationes in peccatis, dum unus dicit, Si vult Deus, veniet ad me indulgentia peccatorum: & si voluerit me in numero gregis sui addere Christus, fiet. Huic dicimus, nisi volueris ex toto corde tuo credere, non ad te veniet indulgentia, neque gratia hæc ut gregis diuini particeps fias. Item in peccatis permanentibus si dicatur, pœnitentiam agite, adpropinquat regnum Dei: hi cùm dixerint, Si Deus dignatur dare veniam peccatis, in potestate eius est, his dicimus, Nisi volueritis ex toto corde vestro pœnitentiam agere, ad vos Dei indulgentia nunquam

quam adtinget. In his ergo duabus causis dicimus, antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Hanc ipsam rursus voluntatem hominis dicimus quo modo antecedit gratia Dei: quia non haberet hoc ipsum velle, nisi Vnigenitus nobis de Cœlo veniens, omnibus officinam suæ gratiæ reserasset. Veniens enim pro omnibus hominibus passus est. Ergo hoc ordine præcedit gratia Dei voluntatem hominis. Quod ideò dicimus, ut duobus capitibus vos excludamus. Qui enim dicitis, antecedit gratia voluntatem, bene sonatis, sed malè percutitis. Ideò enim dicitis, antecedit gratia voluntatem, ut homo nec incipiat velle bonum, sed expectet ut trahatur, expectet ut nolens fiat bonus, & cùm sit malus, dicat, Deus hoc vult, quia gratia eius ad me non accedit. Nos in isto loco, & vobis, & illi, qui hoc dicit, occurrimus dicentes, antecedit voluntas hominis gratiam Dei. [XXIV.] Non enim dixit Dominus, accipietis priùs, & sic petite, inuenietis prius, & sic quærite, aperietur vobis priùs, & sic pulsate: sed dixit, *Petite, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit*. Dicendo *omnis* generalem causam instituit, & prædestinationis suæ specialitatem exclusit, & dicendo *qui petit accipit*, priorem voluntatem hominis, quàm donum gratiæ demonstrauit. Et tamen fit prior voluntas hominis quàm gratia, fit & prior Dei gratia quàm voluntas. Non enim nos iuimus ad sanctum peccatores, sed ad peccatores sanctus aduenit: nec nos rogauimus ut veniret, sed non rogatus aduenit, & ut ascenderet ad Deum homo, Deus descendit ad hominē, exinaniuit se ut nos repleret, humiliauit se ut nos exaltaret, pauper factus est, ut nos diuites faceret: esuriit panis vivus, ut nos reficeret: sitiit fons perennis, ut nos aridos melliflui & æterni fontis unda perfunderet. Tentus est ut nos dimitteremur, ligatus est ut nos solueremur, venditus est ut nos redimeret, spineam coronam accepit in capite, ut spinas & tribulos primæ maledictionis eriperet: exspoliatus est, ut nos vestiret, in cruce suspensus est, ut nos à cruciatibus æternæ mortis auferret. Damnans de ligno crucis lignum concupiscentiæ, pandit immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis, pro concupiscentiæ gustu esca fellis accipitur, & mors vitæ pro vita mortis infertur. Nobis enim vicit, non sibi. Semper enim ipse victoriosissimus fuit, est, & futurus est. Sed quia nos omnes in Adam perdidimus vitam & paradisum, per Christum & paradisum, & vitam æternam, & adoptionem filiorum Dei, & regnum consequimur

quimur sempiternum. Hoc loco eum, qui dicit antecedit voluntas hominis gratiam Dei, execramur vehementer. Sic tamen execramur, ut dicamus iam ex tempore passionis, & resurrectionis, & in coelos ascensionis, quo iam gratia in mundo diffusa est, & in gremio Ecclesiæ hæc dona omnia diuinæ gratiæ conlocata, [XXV.] qui nō cucurrerit ad ista tanta dona Dei, & ipse, non vadens ad Ecclesiam Dei, expectet ut ad ipsum veniat Ecclesia Dei, dicimus hunc insanum. In hoc loco dicimus his & talibus, gratia Dei, absque personarum acceptione, in gremio est conlocata Ecclesiæ, si quis eam voluerit quærere, inuenit, si quis ad eam pulsauerit, aperietur ei, nolentibus autem, aut tepidè volentibus, gratia diuina non datur secundum id quod Philippus Apostolus dicit spadoni, *Si credis ex toto corde tuo, licet vt baptizeris*. Velle enim nostrum non exclusit gratia, sed incitauit, & dormientem quotidie excitat voluntatem. Iam ergo gratia posita, scriptum est, in medio terræ clamat, Venite: hic sermo Dei anticipat venientem: petite, hic sermo anticipat petiturum: quærite, hic sermo anticipat quæsiturum, pulsate, hic sermo anticipat pulsaturum: Si quæsierit homo, & inuenerit, gratiæ Dei est: quia Deus inuitauit ut quæreres, Deus fecit ut inuenires, si non quæsieris, nec inuenies, hoc liberi arbitrij tui est. Tantam enim habes liberi arbitrij potestatem, ut & vocantem Dominum tuum contemnere præualeres. Quicumque ergo saluatur, gratiæ Dei est, qui ut velles instituit: qui & per Prophetas, & per se, & per Apostolos suos quotidie te inuitat ut velis, si volueris & audieris, quæ bona sunt terræ illius æterna suscipies. Ergo & quod vis Dei est, & quod petis Dei est, & quod consequeris Dei est, quia in hac parte anticipat gratia voluntatem. Nescires enim quid velis, nisi te ipse & per se, & per suos vocaret, & ut peteres, & qualiter peteres, edoceret. Si ita est, quid nunc faciemus de te qui non petis? (XXVI.) Deus te noluit, aut tu noluisti Deum? Deus te noluit bonum operari, aut tu noluisti bonum operari? Deus te noluit esse iustum, aut tu noluisti esse iustus? Ideo te interrogo, ò sanctissime prædestinator, ut unū è duobus facias. Aut enim fateberis te vinci, aut Deum blasphemare conuinceris. Si enim permittis te vinci, dic nobiscum, Homo noluit bonum, & ideo malus est, quia si voluerit petere, dabitur ei gratia Dei. Cùm hoc dixeris, das manus fraternitati, & per reuerentiam te deitatis concilias. Si autem dixeris, ideo malus est, quia Deus hoc voluit, non quia homo noluit, probaris blasphemas-

se

se Deum, quem malum velle confirmas, & necesse erit ut blasphemantem Deum anathematizet Ecclesia. Dicamus nunc quæ sequuntur libri vestri falsa commenta. *Errat qui se putat volendo bonum peruenire ad Christum*, cùm ipse Christus dicat, *Nemo venit ad me, nisi quem pater adtraxerit. Qui melius à Christo sapitis, dicite si mentitus est Christus, & ita demum adserite nos contra Christi regulam istam fixisse sententiam. Si enim verum dixit Christus, non mentimur quod dicimus prædestinatos trahi ad vitam, quia vita ipse est.* Non est novum vocis sono decipi posse stultos. Sic vanus Arius secutus vocis sonum, dicit filio patrem eius esse maiorem. Et hoc dicit nobis, quod dicitis vos, (Si ipsi filio creditis, ipsum audite. Dicit enim, *quia pater maior me est.*) Vocis sonum qui adtendit, sicut Arianorum hæresi, sic prædestinatorum vanitati coniungitur. Quis enim nesciat, non posse venire ad filium, nisi quem pater adtraxerit? Tamen antequam loci istius occultum mysterium per nos Dominus manifestet, sensum vestrum detegimus. Ideo enim dicitis hoc testimonium, ut nullus monita sacerdotum studiosa aure suscipiat, nullus festinet ad matris Ecclesiæ gremium, & duorum testamentorum uberibus coalescat, omnes fugiant domum Dei, & quis ad quod voluerit vitium occupetur, expectans quando mittat manum pater de Cœlis, ut eum trahat inuitum, & nolentem, atque contradicentem, & non consentientem faciat electum & sanctum. Hæc vestra adsertio, vestrumque deprehenditur dogma. Nos autem dicimus, quod quamuis quicumque sanctus sit, ille sit Apostolus, ille sit martyr, ille Propheta sit, ille sit iustus, vires non habet proprias ut ad Christum ascendat. Solus enim Dominus sua virtute pro sua deitate ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram patris. Quamuis ergo quisque sit sanctus, quamuis amicus Dei, non habet vires ascendendi in cœlos. Et quia filius dicit patri, *Pater volo vt vbi sum, & isti sint mecum*, explanans concordiam deitatis ait: (XXVII.) *Nemo venit ad me*, idest virtute sua nemo potest venire ad me: Non est enim sanctitati hominis possibile ascendendi ad me, ubi sedeo ad dexteram patris, nisi quem pater adtraxerit. Vnde in unius persona omnis cœtus sanctorum dicit Deo, *Tenuisti manum dexteram meam, in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria adsumpsisti me*, unde & adiecit, *Quoniam qui se longe faciunt à te, peribunt.* Non dixit, quos tu longè facis à te, sed qui se longè faciunt à te, peribunt ostendens non de Dei execratione, sed de elongatione hominis, ho-

mini interitum euenire. Quid autem nunc dicat liber prædestinatus audite. *Quod si adgrauat vos vis testimonij Euangelici, & non potestis adgrauati pondere sententiæ nobis dare responsum, saltem Apostoli nobis explanate sententiam, qui dicit,* (XXVIII.) *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Nos & euangelicum testimonium veris adsertionibus declarauimus, & istam beati Pauli sententiam euidenti manifestamus instinctu. Prius tamen vestrum sensum detegimus, ut cur à vobis usurpentur sancta testimonia detestemur. Vultis enim ut nemo velit bonum, nemo currat ad bonum, sed dicat in corde suo, Quantumcunque velim, quantumcunque curram, nihil poterit prodesse volenti, nihil poterit prodesse currenti. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. (XXIX.) Nos autem adserimus, neminem gratiam Dei consequi, nisi qui ex fide cucurrerit. Quam dum fuerit consecutus, Apostoli monitis prohibetur extolli. Non enim secundum cursum suum, & secundum voluntatem suam, accepit gratiam Dei. Cursus enim & voluntas eius, quamuis in magno sint, quamuis in amplo sint, tamen mensuram habent, Dei autem gratia mensuram non habet. Et ideo, dum etiam ad coronam peruenerit iustus, non permittitur in sua corona extolli. Dicit enim Spiritus Sanctus, qui coronat te, non in merito tuo, sed in misericordia sua & miseratione sua. Vnde & Apostolus, *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo cursum suum & voluntatem suam ad hoc extendit, ut acciperet à donante, donum autem pro gratia donantis supergreditur meritum laborantis. (XXX.) Sic est enim velle nostrum inter nos & Deum, sicut est inter mendicantem atque donantem. Ille itaque qui donat eleemosynam vult omnibus dare, si quidem hic noster largitor gratiæ clamat quotidie, *Venite ad me omnes*, & iterum, *Petite, & accipietis*. Verbi gratia, cucurrit quispiam egenus, & à donante accepit, acceptisque diuitiis cœpit esse locuples qui fuerat egenus & pauper, quid nunc dicturus est? Ego de labore meo diues sum, quia volui, quia cucurri? Non hoc dicit, sed dicit, Ego nihil pro merito voluntatis meæ, aut cursus mei, aliquid habere me certus sum: sed eius est totum gratiæ qui donauit. Et hoc dicto potest dicere cum Apostolo verè, quia *non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Ecce diximus de isto qui voluit, & cucurrit, quia tanta sunt dona Dei, ut & cursum hominis & voluntatem superent. Cursus enim & studium hominis, nisi inuisibilibus

bilibus Dei adminiculis iuvati fuerint, euanescunt. Nam & Apostolus certamen bonum certans, & cursum consummans, & fidem seruans, & iam tantummodo coronam expectans, dicit, *Gratia Dei sum id quod sum*, & iterum nobis dicit, *Gratia salui facti estis*. Magnus infelix est, qui putat donum Dei se merito suæ consequi voluntatis. Omne donum optimum desursum est à patre gloriæ, nihil vindicamus humanæ potentiæ, totum quicquid bonum est, Dei misericordiæ applicamus. Sic tamen omnia bona dicimus Dei esse dona, ut omnia mala quæ agimus nostræ neglegentiæ imputemus. Aliter enim veniam non meremur, nisi nos verè ostendamus nostra culpa peccasse, non præiudicio creatoris. Et sicut diximus de bono, quia totum bonum quod fecerit, Dei est gratiæ, ita quicquid malum fecerit, suæ æstimet neglegentiæ. Vnde clamat Spiritus Sanctus. *Si volueritis & audieritis me, bona terra edetis: si autem nolueritis, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est hæc*. Per occasionem itaque boni testimonij, sed mali interpretis, vos dicitis, Nolite velle, quia non est volentis: Sanctus Spiritus dicit, si volueritis. Vos dicitis, nolite currere, quia non est currentis: Sanctus Spiritus dicit, currite ut omnes comprehendatis. Dominus Iesus Christus clamat: *Currite cùm lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant*. Dantes ergo vobis repudium, Sancto Spiritui adhæremus. *Melius est enim*, ut dicit Apostolus Petrus, *obaudire magis Deo, quàm hominibus*. Verùm quid agimus? rursus ad peiora ucitrorum crescit dogma librorum, in quibus legitur. *Quantumcumque studij sui vires ad ædificandum moueat humana voluntas, casso certamine nititur, aut quid vigilantiam suam putat hominis fragilitas æternis desiderijs profuturam, cùm Propheta euidentibus exclamet documentis, dicens: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilauerunt qui custodiunt eam? Quid est quod contra diuinos apices, & contra conscientiam suam speras se quispiam ædificationi studere, cùm his sacris vocibus doceatur ædificatio hominis non esse certa, sed vana?* Primò omnium quæro, quam ædificationem dicatis. Si de cementis & luto agitis, cum Ægyptiis ista tractate. Nos autem hoc loco ædificationem verbi Dei intelligimus. Verbum autem Dei in toto orbe terrarum à Dei sacerdotibus ad ædificationem Dei Ecclesiis exhibetur. Vanus est ergo sermo Pontificis? inanis doctrina & inane studium? Et si vana est ædificatio huius operis, ut quid

ab Apostolo imperatur? Dicit enim Paulus Apostolus; [Ædificate alterutrum, omnia vestra ad ædificationem fiant, *& iterum*, ut sapiens architectus fundamentum posui, si quis superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.] Et Dominus in Euangelio laudat virum sapientem, quia ædificat domum suam super petram, quæ nec ventorum, nec fluminum deiiciatur impulsu, Ergone in vanum ædificant sacerdotes Ecclesiam? in vanum vigilant, ut ouium simplicitatem luporum morsibus tollant? Et quomodo omnes hæreticos æterno anathemate ferientes gregẽ Christi custodiunt? Vbique catholicorum pascuntur oues, & vernantibus puræ fidei pascuis, montes exultant, ut arietes, & colles veluti agni ouium. Vbique à solis ortu usque ad occasum, unus grex & unus est pastor, à quo lupi interficiuntur, ne noceant gregi Dei, & adhuc non videtis ædificationem bonæ voluntatis vanam non esse sed certam? Quotidie ædificatur domus Dei per verbum bonum, per exemplum sanctum, per studium optimum. Quotidie clamat per Prophetam Dominus, *Ædificate vobis domos*, non luteas quæ à vento moueantur, sed quæ maneant in soliditatem petræ. Sed vobis ista omnia quæ diximus inania videntur & vana. Dicunt enim libri vestri, Ædificatio hominis non est certa, sed vana. Ab initio omnes sancti ædificationem mentibus contulerunt. Verbi causa, Primus Abel ædificauit iustitiam, Noë innocentiam, Abraham fidem, Isaac sacrificium, Iacob ambitionem rerum sanctarum, Ioseph castimoniam, Moyses Sacerdotium, Iesus filius Naue constantiam animi, Dauid defensionem populi Dei, Salomon sapientiam, Ioannes pœnitentiam. Hos carptim de multis memorauimus, ut per hos cæteros, quos siluimus, ad memoriam suam reuocans lector, inquirat utrumnam homines fuerint. Si homines fuerunt, quomodo dicunt libri eorum, Ædificatio hominis non est certa, sed vana? Vnde agimus nunc conclusionibus catholicis dictum hæreticorum. Aut non fuerunt homines, quia manet ædificatio eorum: aut illi homines fuerunt, & istorum assertio euanuit. *Sed si contra nos venitis, inquiunt, non contra nos venitis, sed contra eum qui dixit, Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam*, &, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum laborauerunt qui custodiunt eam. Ergo nescit, quia non erat utile populo Dei qui hæc fecit scribi, & ad posteros vsque ad finem sæculi dirigi?*

Vos

Vos itaque, qui ista reprehenditis, auferte hac de libro psalmorum; quia legentes & psallentes hos versiculos, ut dicitis, adificari non possunt. Nos dictum prophetæ laudamus, probamus, confitemur, confirmamus, & psallimus, atque hoc ordine secundum regulam catholicam explanamus. Ab initio, ut diximus, à sancto Abele iusto usque ad Zachariam & Ioannem, omnes ædificauerunt domũ, non cementis, ut diximus, sed sanctis exemplis. Verùm tamen nisi Dominus Iesus Christus venisset, & ipse ædificasset domum hanc, in qua illi laborauerunt, in vanum laborauerant qui ædificauerant eam. Nam & vigilanter institerunt gregi, sed nisi Dominus Iesus Christus suam custodiam exhibuisset, in vanum & laborauerant custodientes eum. Vnde etiam sequitur, *In vanum est vobis ante lucem surgere*.

Lux enim Christus esse & à Prophetis, & ab Euangelistis, & ab Apostolis declaratur. Prophetæ ergo omnes ante lucem surrexerunt, idest ante natiuitatem Christi. His in vanum fuit ante lucem surgere, non enim potuerunt noctem patientibus veritatem ostendere. Sed venit lux, & manifestauit occulta tenebrarum: & tunc demum laus cæpit esse unicuique à Deo. Nisi ergo ipse venisset & ædificasset domum, in vanum laborauerant ædificantes eam. (XXXI.) Nunc ergo quia venit & ædificauit domum, iam non in vanum laborant qui ædificant eam. Et quia venit ut custodiat ciuitatem, iam non in vanum vigilant qui custodiunt eam. Et quia lux venit, & lucet in tenebris, iam non in vanum ante lucem surgimus. Et quia panis lætitiæ de Cœlo descendit, iam non manducamus panem doloris. Hic enim sequitur in psalmo versiculus, vos, inquit, in vanum ante lucem surgitis, qui manducatis panem doloris. Nos autem, qui non manducamus panem doloris, sed panem salutis, ædificemus domum nostram super petram, & vigilemus expectantes Dominum, quia nescimus diem neque horam. Beatus ille seruus, quem dum venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Si videtur, accedamus ad reliqua. *Sed qui putant isti se voluntate sua ad fructum adificationis adtingere, cùm nec ipse vas electionis suam adserat voluntatem implere potuisse? Dicit enim de se ipse Apostolus, Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio. Si ergo Apostolus quod vult bonum implere non praualet, quomodo isti dicunt per voluntatem suam ad fructum se posse gratia peruenire?* Nunquam festinat ad veniam qui longum vult esse quod peccat. Da

veniam magister gentium quæsumus, ne nos participes iniuriarum tuarum esse permittas. Videamus ergo quid volebat Apostolus, & facere non valebat, & quid est quod cogebatur facere quod nolebat. (XXXII.) Volebat verum loqui, mentiri autem penitus non volebat, ergo mentiebatur. Volebat pudicitiam, impudicitiam perhorrebat, ergo polluebatur. Volebat contemptum mundi, execrabatur omnem gloriam sæculi, ergo cenodoxus, idest inanis gloriæ cupidus existebat. Postremo volebat omne bonum, omne autem quod est malum omnimodis exhorrebat, nihil ergo bonum quod volebat Apostolus operabatur, sed omne quod est nequissimum perpetrabat. Dicitis enim, Dicit de seipso Apostolus, *Non quod volo bonum hoc ago, sed malum quod nolo illud facio.* Videtisne obsecro, in qua blasphemiorum fouea cæcus sensus vester vos præcipites dederit? Apostolum criminibus occupatum fuisse vultis ostendere, ut nemo se peccatorem esse suspiret, nemo imi cordis gemitum pro suis sceleribus reddat, nec studeat quispiam flentibus lauare oculis quod concupiscentibus inquinauit, cùm audiat illum vas electionis, illum magistrum omnium Ecclesiarum, non bonum quod voluisse se memorat, sed malum, quod noluisse se adserit, perpetrasse. Aperuistis portas, non iustitiæ, sed iniquitatis omnibus hominibus, & ex verbis Apostoli contra Apostolum bella sumpsistis, volentes esse magistri, cùm nunquam fuisse vos discipulos ostẽdatis, & sonum litteræ adtendentes ipsi vobis subitò cœpistis esse Doctores. Quid nunc facimus, qui vestras blasphemias non duramus? Si tacuerimus, vos videmini rectè dixisse, nec solum dixisse, sed etiam scripsisse. Loquimur iuvante Domino, fugientes gloriam hominum, nescios docentes, studiosos instruentes, scientes lætificantes, vos detegentes. Scriptura libri vestri est, quæ quod peius est vobis morientibus illa non moritur, & ad euertendos incautos tanquam cancer serpit. Videamus quid sequatur liber à vestra vanitate conscriptus. [Apostoli verba sunt, nostrum nihil adiungimus. *Ipse de se dicit, Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio.* Arrius in tertio libro suo epigramma huiusmodi posuit, dicẽs, [Nos verba filij Dei accepimus, & vera credimus, uera etiam confitemur. Ipse dicit, Pater maior me est, &;] Ego & pater unum sumus, quia ego in patre, & pater in me. Noluit legere, iungere enim potuit duo ista, idest, *Pater maior me est*, & *Ego & pater vnum sumus*. Et dum ista duo iunxisset, inuenerat filium hominis & filium Dei.

Dei. Omnia enim passibilitatis genera, à deitate sublata, soli filio hominis poterant conuenire. Deus enim nec minor, nec maior est: sed hoc est quod est idem semper, carens incremento, carens detrimento. Nunquam augmentando proficit, nunquam deficit minuendo: sed ante omnia idem qui post omnia, & in omnibus præteritis, præsentibus, & futuris immutabilis perseuerat. Hæc quasi in alio opere dicta sint. Memorauimus enim anathemabilem Arrium in tertij libri sui capite hoc dixisse, ordine quo Prædestinati dixerunt, Apostoli uerba sunt, nostrum nihil addidimus, ipse dicit de se, *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum hoc facio*. Vestram nunc interrogamus prudentiam. Apostolum legimus dixisse, *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus: quod autem nunc in carne viuo, in fide viuo Dei*. Quid nunc dicitis? Carnalis erat uir iste, an spiritualis? Si dixeritis carnalis, conuincemini, clamat enim, Viuo iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Si consenseritis quod spiritalis fuerit, nobiscum istum locum explanabitis. Caput enim loci huius in hoc sermone reperies quod infit, *Scimus quod lex spiritalis est, ego autem carnalis sum*. Si carnalis es, beate Apostole, quomodo arguis carnales, dicens, *Et ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus sed quasi carnalibus*, & iterum, *Cùm dicatur*, inquit, *in vobis zelus & contentio, nonne carnales estis?* & iterum, *Quotquot*, inquit, *spiritales sumus, hæc sapimus*. Docemur autem scriptis tuis, uir Dei, quòd non solùm ipse spiritalis fueris, & in terra positus iure diceres conuersationem tuam esse in Cœlis, uerùm etiam hoc docemur, quòd & discipuli tui spiritales fuerint. Ais enim ad eos, *Si prauentus quis fuerit in aliquo delicto, vos qui spiritales estis corripite huiusmodi in spiritu mansuetudinis*. Quid ergo nunc nobis dicis, *Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum*? Ad hæc ipse nobis dignabitur dare responsum, *Factus sum carnalibus quasi carnalis, vt eos qui carnales erant lucifacerem*. Aperuit se nobis veritas, & fallacia est à veritate exclusa. (XXXIII.) Personam itaque carnalis hominis in se magister spiritalis excepit. Et ne quasi iniuriosus doctor à se repelleret auditorem, se increpat ut aliũ corrigat. Vnde hoc ipsum alibi commemorat dicens, *Aut numquid peccatum feci me humilians, vt vos exaltemini?* Quid ergo? *Ego*, inquit, *carnalis sum*. qui tu? *ego*, inquit, *qui venundatus sum sub peccato*. Nunquid tu, Apostole, uenundatus es sub peccato, qui olim Christi sanguine redemptus, innumerabilem per Christum Deo

popu-

populum redemisti? Constat ergo, quòd non suam Apostolus, sed alterius, id est carnalis viri, voluit hoc loco declarare personam. Ille est venundatus sub peccato, qui adhuc Christi sanguine redemptus non est, qui adhuc carnalis: & ideo dicitur, quod operor non intellego. Non enim intellegit operationem suam gentilis contra salutem suam esse, qui licet sit gentilis, bonum sibi uult prouenire, bonum adipisci, bonum possidere, bonum adquirere, bonum salutis suæ, bonum uitæ suæ, sed non quod vult bonum hoc exercet, sed quod odit malum hoc facit. Odit mortem, sed opera mortis exercet, odit periculum, sed operatio eius plena est periculo, odit omnia mala, sed quæ odit hæc operatur. Quare? quia *non habitat in carne mea*, inquit, *bonum*, idest non habitat in me Deus uerus. Nam uelle adiacet mihi, Deum uerum me uelle certum est, sed hoc quod uolo non inuenio. Occurrunt enim mihi homini carnali, homini venundato sub peccato, homini qui quod operor non intelligo, homini qui non quod uolo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio, homini in cuius carne non habitat bonum. Occurrunt mihi ista omnia, ut perficere bonum non inueniam. Condelector tamen legi Dei secundum interiorem hominem, idest interior homo meus, in quo est intellectus, meus, condelectatur legi Dei, quæ dicit unum & inuisibilem Deum debere adorari. Quamuis enim carnalis sim, scio lignum & lapidem Deum esse non posse: sed video aliam legem contra sensum meum repugnantem legi mentis meæ, quæ dicit & probat hos Deos esse non posse, repugnat tamen lex hæc carnalis legi mentis meæ, captiuum me ducit in lege peccati, quæ lex non est in mente mea, sed in membris meis. Corpore enim ducor, ubi animo non consentio. *Infelix ego homo!* Non hoc de se dicit Paulus. Non enim erat infelix, sed beatus & sanctus est. *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum.* Veniet ergo gratia baptismatis sacri, & carnalem hunc faciet spiritalem, & uenundatum sub peccato redimet à peccato, & iam non dicit, quod operor non intellego. Non enim quod odit malum hoc agit, sed quod uult bonum hoc faciet. Scit enim quoniam iam habitat in carne eius bonum, idest Spiritus Sanctus, per quem & uelle ei adiacet, & perficere inueniet pro sua bona uoluntate. Iamque securus est, & condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem: quia non uidet aliam legem in membris suis. Solam enim legem Christi in

se

se habet, quæ non repugnat legi mentis eius, & non eum ducit captivum in lege peccati, sed liberum eum ducit ad vitam æternam. Et iam non infelix homo, sed felix ego homo, quia hæc omnia mala euasi, & hæc omnia bona inueni. Quis autem hoc mihi præstirit, si requiris, Gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum. Et ne remaneret expositionis huius ambiguitas, qua putaretur Apostolus de se ista dixisse, ponit verba increpatiuo modo legenda, quibus ait: *Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo damnationis est in Christo Iesu his qui secundum carnem ambulant.* Hoc est, si ego, qui sum Apostolus, carnalis existimor, nihil habebunt damnationis hi qui carnaliter vivunt? & adiecit: *Lex autem spiritus & vitæ liberabit te à lege peccati & mortis*. Vnde & in alio loco dicit: *Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Nunc autem liberati à peccato serui facti estis Dei*. Deus autem in eo de seruitijs omnium gloriatur, quia seruitia quæ habet nullis poterunt seruitiis comparari. Vniuersa enim seruitia coactiua noscuntur: Dei autem seruitia, nisi voluntaria fuerint, stare non possunt, secundum hoc quod scriptum est, *Pater neminem trahit inuitum*. Vnde Propheta plenus Spiritu Sancto clamat: *Ex voluntate mea confitebor Domino*. Et iterum, *Voluntariè sacrificabo tibi*. Sed his omnibus contrarij librum nobis proferunt cæcis ambagibus circumdatum, & quasi nescium sui, iterum eadem repetentem atq; dicentem, *Non vocantur nisi prædestinati, antecedit enim gratia Dei voluntatem hominis, prior est enim Deus in bono hominis, homo autem in omni bono vix nouissimus inuenitur. Date primas partes Deo, ut superbiam euacuetis humanam. Quòd si volueritis superbiam nutrire hominibus, apparet vos ruinam generis humani perquirere, qui docetis in bono opere non Deum antecedere, sed hominis voluntatem, vt ipsi videantur magis Deum ut bonum faciat suis suggestionibus admonere, quasi qui non faceret bonum nisi ipsi dixissent, cùm constet Deum nullo suggerente, nullo rogante, bona omnia hominibus condononare. Non enim dixit Apostolus, cùm rogaremus, & peteremus, & curreremus, & vigilaremus, sed* cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo, *non per voluntatem nostram, sed* per mortem filij eius. *Vbi est voluntas hominis? exclusa est. Non ergo omnis qui vult saluatur, quia si omnis qui vellet saluaretur, nullus poterat à salute effici alienus. Omnis itaque homo saluari vult, sed non omnis saluatur homo. Saluatur enim is quam voluerit Deus. Vtique, inquam, is quem voluerit Deus,*

ut exclusa hominis voluntate suam plenam ex integro gratiam manifestet. Beatos dico priores nostros, qui tantum facinoris usum minimè cognouerunt. Quis unquam suspicaretur de rebus bonis contra bonitatem agendum, & contra iustitiam armis iustitiæ dimicandum? Non vocantur, inquit, nisi Prædestinati. Et nos vobiscum dicimus, non vocantur nisi Prædestinati. Nam qui omnes gentes iussit discipulis suis ut vocarent dicens: *Euntes baptizate omnes gentes*, omnes ipse ante aduentum suum prædestinauit. [XXXIV.] Omnes ergo gentes prædestinauit ad vitam, qui omnes gentes vocauit ad vitam. Qui venerit, imputabit diuinæ clementiæ prædestinanti pariter & vocanti, qui autem non venerit, imputet suæ negligentiæ contemnenti pariter & nolenti. Non est enim diuinæ prædestinationis ut hominis perditio fieret, nec voluntas Dei est quando diaboli voluntas impletur. Inimicæ enim sibi sunt istæ & contrariæ voluntates, & non potest una fieri absque contemptu alterius. Quòd si non vocantur aliqui ad vitam, in illis qui non vocantur diaboli voluntas impletur. Et miror qua fronte eius intretis Ecclesiam, quem dicere non timetis diaboli voluntati subiectum. Diaboli enim voluntatem implere probatur, qui non vult omnes homines pertingere ad salutem. Sicut enim in his quos vult saluare, suam creditur voluntatem implere, sic in istis quos non vult, diaboli voluntas impletur. Sed bonus Deus bonos esse vult omnes, & hinc errorem patimini, quia omnes quos bonos esse vult boni non sunt. Soletis enim dicere, Qui non sunt boni, Deo eos à se repellente mali sunt, ut hi qui peccant videantur non suo vitio esse peccantes. Si ergo hinc errorem patimini, quod Dei voluntas non impleatur, cur non magis hinc iudicium detis peccantibus, quo laudetur Deus de suæ patientia pietatis, & culpetur homo de impatientia propriæ voluntatis? Dicitis enim, *Ergo homo vincit Deum. Vincit enim Deum, si Deus eum vult esse bonum, & bonus non est.* Quid ergo hoc loco adtenditis vos? Numquid luctantem videtis Deum & hominem, ut ista dicatis? Si luctantem videretis, rectè uni parti victoriam traderetis. [XXXV.] Nunc autem, quia Medici normam tenens Saluator hominum, dat monita, non suæ utilitati necessaria, sed nostræ saluti utilia, quædam fieri iubet ut vitam obtineas, quædam prohibet fieri ut mortem euadas: si audieris, imputabis saluatori quod viues, si contempseris, tuæ reputabis ignauiæ, dum cœperis mortis sentire tormenta. Quòd si tu dicas mortem ægroti Medici

dici imperitia euenisse, nos docemus medicum ex omni parte perfectum. Si autem dixeris, eius voluntate mortis interitum deuolutum, ipse tibi exclamat, dicens: *Nolo mortem peccatoris*. Quem si interrogare merearis, & dicas, Si hoc non vis, ostende quid velis, respondebit, Volo ut conuertatur & viuat. Vnde facimus & nos clausulam catholicam vestris astutiis obuiantem. Si potest homo Deo nolente delinquere, quanto magis potest Deo volente delictis finem imponere? Si potest homo velle quod Deus non vult, quanto magis potest homo velle quod Deus vult? si potest homo Deo nolente perire, quanto magis potest Deo volente saluari? (XXXVI.) Si potuit homo Deo nolente implere voluntatem diaboli, quanto magis potest Deo volente implere voluntatem Dei? Si potuit homo prædestinationem Dei sua auersione contemnere, quanto magis potest prædestinationem Dei sua conuersione complere? Dixit itaque Deus, Hoc nolo, illud volo, idest dixit, nolo mortem morientis, volo ut conuertatur & viuat. Quod dixit volo, hoc prædestinauit, nihil enim prædestinauit inuitus: quod dixit nolo, destituit. Si potest homo velle & facere quod Deus non vult, quanto magis potest & velle & facere quod Deus vult? De perditione hic agitur hominis, & salute. Deus vult ut saluemur, diabolus vult ut pereamus. Si potest fieri perditio hominis, quam vult diabolus per nostram negligentiam: quanto magis potest fieri liberatio hominis, quam vult Deus, per diligentiam bonæ & fidelissimæ voluntatis? Sed dicit liber vester, *Antecedit gratia Dei voluntatem hominis*. Nos dicimus, Non solum antecedit, sed etiam sequitur Dei gratia hominis voluntatem. Priùs tamen quàm ostendamus quomodo antecedat & quomodo sequatur, vos exponimus quid velitis ostendere. Dicitis itaque, antecedit gratia Dei hominis voluntatem, ut dum audierit homo tam dignam, tamque veram sententiam, illud quod sequitur non adtendat, sed vobis exponentibus discatur ut cesset voluntas hominis: ne dum cœperit, velle Deum excitare videatur in zelum, expectet ut priùs gratia veniat quæ nolentem trahat, quæ cogat fastidientem, quæ teneat fugientem. Voluteturr homo in cœno, efficiatur fex cloacarum, & criminum gurgitibus dimergatur, & sit securus ex vitio. Si enim venerit gratia antecedens, erit homo recedens à crimine. Non enim prior erit homo Dei gratiæ, sed gratia Dei prior erit hominis voluntate. Detex imus hoc vestrum studium. Nunc contra hoc quid catholici teneamus,

neamus, necesse est ut iustis adsertionibus demonstremus. Memores estote quia vobiscum dicimus, Antecedit gratia Dei hominis voluntatem. Diximus itaque, & antecedit & sequitur, antecedit, quia non petentibus, non rogantibus, non etiam volentibus nobis, venit filius Dei vniuersum mundum à morte eripere, & ut ascenderet ad Deum homo, sicut iam diximus, Deus descendit ad hominem. Venit inuitare esurientes ad epulas, sitientes ad fontem, miseros ad fortitudinem, mendicos ad diuitias, tristes ad lætitiam, venditos ad redemptionem, seruos ad libertatem, captiuos ad requiem. Ecce hoc loco docemus quòd antecedit gratia Dei voluntatem hominis. Nunc videamus quomodo iterum ipsa sequatur, quæ antecesserat, subsequendo. (XXXVII.) Gratia enim quæ antecessit, ostendit quid petas, quem petas, & qualiter petas: ostendit quid quæras, qualiter quæras, ubi quæras: ostendit quid pulses, ubi pulses, qualiter pulses, & ab hac indagine nullum exclusit. Non solum nullum exclusit, sed etiam cunctos vniuersaliter inuitauit, dicens, *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur*, & iterum dixit, *Numquid filius si petit panem patrem suum, lapidem porrigit ei? aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Petentibus utique. Sicut ergo tecum dixi in superiori loco, quia antecedit gratia Dei voluntatem hominis: ita nunc mecum dic in isto loco, antecedit voluntas hominis gratiam Dei, non superbiendo, sed petendo, non extollendo sed quærendo, non luctando sed pulsando. Nisi enim ex fide voluerit, nullus ei baptismatis donum gratiæ diuinæ impertit, nisi, inquam, ex fide voluerit credere, non erit particeps indulgentiæ: nisi ex fide desiderauerit, ad donum Dei peruenire non poterit. Si enim ad Christum veniens dixerit gentilis, nolo baptizari, baptizari non poterit. Si ad pœnitentiæ fructum delinquens veniens dixerit, nolo reconciliari, reconciliari non poterit. Vtrosque sacerdotalis censura examinat, quibus nihil gratiæ conferre præualet, nisi integerrimam ex ore eorum didicerit voluntatem: aut si ausus est, vos ipsi cognoscite. Maius aliquid dicamus. Si etiam infirmitatis vis sermonis auferat facultatem, nullatenus poterit tacenti gratiæ Dei copia ministrari. Mentis enim secretum, nisi linguæ internuntio fuerit declaratum, consequi non valebit gratiam. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fiet confessio ad salu-

salutem. Dicente ergo Domino, *Omnis qui petit accipit*: [XXXIIX.] antecedere videtur voluntas petentis, ut possit concedi petentibus gratia retribuentis. Et ne fortè fluctuantem te in isto loco videar reliquisse, qui omne bonum gratiæ tribuis, non mecum laboras: non solum tunc dicam antecessisse gratiam, cùm Deus adiungi homini non dedignatus, non petentibus nobis venire dignatus est: sed & usq; hodie antecedit voluntas Dei voluntatem hominis. Vult enim ut saluemur, & nos nolumus. Væ autem mihi, & mei similibus, quia quotidie antecedit voluntates nostras & gratia, & inuitatio, & voluntas Dei, & compunctio, & promissio gaudij sempiterni, & terror æterni supplicij. (XXXIX.) Quotidie ergo præcedit voluntates nostras gratia Dei innumerabilibus plena suffragiis, sed nostra volũtas uniuersa ista Dei dona non sequitur. Quid ergo dicit liber vester? præcedit voluntatem hominis voluntas Dei. Et nos quid diximus? & præcedit, & sequitur. Quid ergo laborauimus loquentes: quia vos tantummodo *præcedit* dicitis, *sequitur* denegatis. Ipsum autem quod dicitis quia præcedit, idcirco dicitis, ut homo in criminibus positus velle suum faciat quiescere, & expectet ut veniat ad eum prior gratia, ne incipiat velle suum anteponere gratiæ Dei. Nos autem catholici hæc execramur, & dicimus, Antecedit gratia voluntatem hominum ostendendo vitam æternam in qua delectentur, ostendendo incendium sempiternum in quo terreãtur, ut à peccatorum delectationibus reuocentur. Antecedit, inquam, quotidie gratia voluntates nostras: sed nostra, quod est peius, voluntas non sequitur. Inde est quod flemus orantes, gemimus pœnitentes, quia antecedentem non sequimur, inuitantem contemnimus, & neque blandientem patrem ut filij honoramus, neque terrentem dominum timemus ut serui. Vnde etiam ipse ad nos loquitur per Prophetam: *Filius honorat patrem, & servus timet dominum. Si dominus ego sum, vbi est timor meus? Si pater vbi est honor meus?* Interrogamus nunc. Aliquid exigit à nobis antecedens gratia, an non exigit? Procul dubio exigit: quid exigit? hoc vtique quod ipsi dicitis voluntatem ipsam. Ergo antecedit gratia. Quid est gratia? ut quod petieris gratis accipias. Et ideo non dixit, emite & dabitur vobis, sed petite & dabitur vobis. Et unde apertius fratrum simplicitas hunc sensum agnoscat, aliquam similitudinem offeramus. Ostensa est Salomoni sapientia, ecce gratia, quid nunc dicat cui ostensa est, ipsum Salomonem loquentem audiant. *Amator*, inquit,

quit, *factus sum forma eius, & hanc quasiui adsumere mihi, & currebam post eam: eo magis illa elongabat à me*. Non tibi videtur puellam pulcherrimam inlicientem & prouocantem amatorem in cursu? Vt quid nunc voluerimus huius exempli facere mentionem? Audite gratiam Dei. Ponamus filiam patris. Hanc tibi, ò homo, scias euidentibus indicijs à suo patre manifestatam, ut videas & amator efficiaris pulchritudinis eius. Ostendit etiam quantæ sint eius diuitiæ, quanta dilectio, quanta adfabilitas, quanta fides. Est ergo pulcra, est diues, est fidelis, est sapiens, est etiam summi regis filia. Hanc tibi, ò homo, ad hoc ante oculos tuos pater exhibuit, ut amator eius factus petas eam tibi in matrimonio, & ex ea Deo filios facias, sicut fecit ille qui dicebat, *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, non tamen habebitis multos patres, nam in Christo Iesu per euangelium ego vos genui*. De qua coniuge nos genuit Paulus Deo? utique de gratia Christi, cuius amator factus, uniuersa pro amore eius suauia habere se adserebat supplicia. Cape ergo à carnis exemplo comparationem puellæ, ut ad sensum meliùs spiritalem adtingas. Ergo est tibi ostensa puella à patre, ecce gratia patris antecessit voluntatem. Iam tu incipe velle. Ostensa utique gratia eius qui ostendit, ut quantum te amare credi debeat ex hoc consideres, quia ut te suum faceret, filiam suam tibi ostendit, pulcram, diuitem, sapientem, ad hoc ut amator eius effectus possis eam adsumere tibi in matrimonio. [XL.] Ecce gratia antecedens voluntatem, ecce gratia stimulans pectus, ecce gratia inliciens mentem, ecce gratia excitans dormientem. Quid nunc iubetis ut faciat pater non petenti, non roganti, non concupiscenti, & calorem amoris sui non ostendenti? Tollit filiam suam, & iungit eam tibi fastidiis occupato, aut alijs amoribus circumdato? Non hoc facit. Sed nisi quæsieris eam ut argentum, & nisi ut thesaurum vestigaueris eam, & nisi ex fide volueris, & nisi ex fide cucurreris, & nisi tuam veram dilectionem ostenderis, non eam omnino percipies. Sufficiat tibi, quia cùm tu mendicus sis, & illa sit diues, suis te diuitiis locupletat, degener tu, illa summi imperij filia, & sua te generositate nobilitat, quid autem dicat pater eius amatoribus filiæ suæ, sollicitus diligenter ausculta. *Qui diligit*, inquit, *patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus*. Non dixit qui pauper est, aut qui degener, aut qui mulier est: seu qui diligit aliquid aliud plus quàm me, non est me dignus. O gratia antecedens voluntatem, amorem solum flagitans! ò homo,

ò homo, ama & accipe, sed si amas factis ostende. Omnis qui amat, vult, cupit, rogat, vigilat, currit, festinat, satagit per amicos, per notos, per familiares, per seruos, per seipsum. opportunè, importunè, obsecrationibus, promissionibus, fixo pacto, integroque amoris indicio. Et ut aperiam tibi oculos, tu qui te putas inuitum & nolentem gratiæ diuinæ posse sociari, quid est quòd quando eam dat pater per familiares suos gratia antecedens exprimitur? Inquiritur ab eo qui eam accipit, quomodo veniat, si abrenuntiet omnibus amoribus mundi, omnibus pompis inimici, qui nisi velle suum expresserit verbis, numquid datur ei gratia quam poposcit? Quid ergo vult, quid cucurrit, quid desiderauit homo? gratiam consequi, & quid promittit? abrenuntio omnibus pompis diaboli & voluptatibus eius. [Ostendit se nolle quod voluit, & incipit velle quod noluit: & tunc iam gratiæ participio incipit delectari, per quam & diues & regis filius nuncupetur. Ecce gratiam Dei vobis & antecedentem & sequentem ostendimus. (XLI.) Antecedit, quia vocat, quia prouocat, quia inuitat ut venias, sequitur, quia dum veneris, & volueris, & petieris, donat. Videamus nunc quò uestra pergat intentio. Dicit enim anathemabilis liber à uestra uanitate conscriptus. *Non enim cùm rogaremus, neque cùm peteremus, sed cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, non per nostram voluntatem, sed per mortem filij eius.* Iubetis ergo, ut non rogent homines Deum ut reconcilientur ei, sed efficiantur inimici eius, ut possit stare Apostoli Pauli sententia, neque voluntatem suam bonis nisibus tradant: quia hoc quòd reconciliantur homines Deo, dicitis, Dixit nos Apostolus reconciliari Deo, non per voluntatem nostram, sed per mortem filii eius. Ergo qui inimicus fuerit Deo, ipse reconciliandus est Deo, ipse saluandus secundum uos? hi qui Christum crucifixerunt hi saluandi sunt, & qui dixerunt, nolumus hunc, ipsi sunt liberandi? hi autem qui inimici non fuerunt sed amici, & uoluerunt animam suã in amore eius ponere, hi erunt in execratione altissimi? Probatis uos omnibus hæreticis acriùs blasphemare, qui nolentes rectum tramitem ingredi, anfractibus vos plenis erroribus tradidistis. Non enim inimicitias nostras ad Deum Apostolus, sed charitatem inuitat. Dicit namque, *Commendat itaque charitatem suam Deus in nobis, quoniam si cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus ab ira per ipsum.* Commendat ergo hoc opere charitatem suam in nobis, ut vel sic amorem

rem nostrum ei ex integro conferendo, videamur saltem amoris voto rependere quod viribus non valemus. Nam quòd nos diligit Deus nobis prodest: nos si diligimus Deum, illi prodesse non possumus. Deus enim nullius eget, nullo honorante sublimatur, nullo contemnente deiicitur. Ergo ut quid commendat charitatem suam in nobis? Vt dicamus utique, si cùm inimici essemus ita nos dilexit, ut etiam unicum suum pro nostra omnium pateretur salute interfici, quantò magis nunc iam reconciliatos sibi saluos faciet in vitam ipsius? Vnde excludens vestram specialem defensionem, generalem gratiam introduxit, dicens, *Considerantes hoc quòd vnus pro omnibus mortuus est*, & adiecit. *Ergo omnes mortui sunt, quia pro omnibus mortuus est, vt & qui vivunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est*. Occurrit nobis hoc loco insanus liber vester, & dicit; *Vos*, inquit, *vbicumque omnes legitis, generaliter vultis intelligi, cùm omnes sæpe pro parte doceantur. Nam cùm dicitur, Omnes declinauerunt, non tamen omnes declinauerunt*, &, *omnis homo mendax, non tamen omnis homo mendax; quia legimus de quodam, Erat homo verax. Pars ergo maxima omnes videtur significare, cùm vtique constet non omnes intelligi*. Nullum in libro vestro locum sine blasphemiis inuenimus. [XLII.] Hæc assertio ubi adtendit? Vt consentientes vobis dicant Christum non pro omnibus passum. Si hoc non vultis intelligi, ergo non pro parte hoc loco Apostolus nominauit omnes, sed omnes generaliter memorauit. Corrigite ergo librum vestrum, quia Christus pro omnibus passus est, omnibus hominibus subuenire festinat. Omnes vocat, omnes inuitat, qui saluatus fuerit, imputabit gratiæ Dei vocanti, inuitanti, succurrenti: qui non saluatus fuerit, imputabit sibi negligenti, contemnenti pariter & deserenti. Omnia enim bona nobis à Domini gratia conferuntur petentibus, omnia autem mala à diabolo nobis Deum contemnentibus irrogantur. Non enim poterit potestatem suam exercere diabolus in his qui diuinis defensionibus vivunt. Numquid potest sibi subicere victoris sui vasa captivus? *Nemo*, inquit Dominus, *intrat in domum fortis, & vasa eius dirripiet, nisi prius fortem ligauerit, & tunc vasa eius diripiet*. Fortem vos ponitis inimicum: sed nos religatum, & crucis trophæo credimus esse subiectum, insidiosum, sed insidias eius detectas ostendimus. Numquid signo victoriæ munitum contingere præualet victus? numquid scuto Domini circumdatum, & lorica fidei indutum, & galea spei & salutis munitum, ictus possunt inuade-

re sagittarum? Non vincitur à diabolo homo, nisi quando à suo recesserit defensore, dicente Apostolo, *Subditi estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Inuisibilis hostis est, ab inuisibili defensore prosternitur. Sed contradicit hic etiam liber vester insanus, & ausus est dicere, tantùm diabolum posse, vt homines trahat inuitos, etiam hos quos Christus suo cruore redimens Deo filios fecit. Dicitis, *Clausis oculis transistis hostis insidias vos qui dicitis voluntatem hominis aliquid posse virtutis adquirere, non adtendentes quanta damna Deus quotidie patiatur, quanta ruinæ castitatis per diabolum fiant, quantaque criminum concupiscentiæ. Quæ vtique si videretis, non laboraremus vobis ostendere damna virtutum, & victorias vitiorum.* Dicite obsecro, damna quæ Deus quotidie patitur, diabolo vincente hæc patitur, an homine contemnente? Si diabolo vincente dicatis, blasphemia vestra in caput vestrum refundimus, si homine contemnente, adsertio nostra victoriam cepit. Diabolus enim nec dominus, nec creator, nec pater est. Deus autem nobis & dominus, & creator, & pater esse dignatur. Corpus suum victoriosissimum nostro corpori sociauit, ut corporis nostri fragilitatem excluderet. Sanguinem suum nostro sanguini miscuit, ut feruor genuini caloris quiesceret diuino sanguine temperatus. Chrismatis sui virtute nos unxit, ut luctantem contra nos diabolum vinceremus. Scuto bonæ voluntatis suæ nos sese protegere repromittit, *Qui sperat*, inquit, *in me, ego liberabo eum, protegam eum, quia cognouit nomen meum.* Vnde & superiùs ait propheta de eo, *qui habitat in adiutorio altissimi*, quòd non eum possit inuadere, nec sagitta quæ volat per diem, nec negotium quod perambulat in tenebris, nec ruina aut dæmonium meridianum, & cetera. Vnde his indiciis declaratur diabolus tunc habere virtutem, cùm nos inuenerit neglegentes, cùm nos inuenerit dormientes in fide. Omnis enim qui ex fide inuocauerit nomen Domini, hic saluus erit. Verum quid prodest, quòd humanum genus ostendimus per Dei victoriam à diabolo liberari, & suo vitio homines capi? Additur nobis alter oppositionis articulus. Dicit enim liber eorum, *Per præuaricationem primi hominis peryt ab hominibus libertas arbitrij.* (XLIII.) Nos autem dicimus, Per præuaricationem primi hominis manifestata est libertas arbitrii, quæ potuit hominem facere velle quod Deus non vult. Si ergo periit libertas arbitrii, unde sumus homines peccatores? Aliunde non sumus peccatores, nisi quia vo-

lumus quod Deus non vult, & nolumus quod Deus vult: committimus quod fieri prohibet, & facere nolumus quod præcepit adimpleri. Per quid hoc tantum mali facimus, si nolentes hæc facimus? Alius est qui per nos operatur, ipsi ergo debuit lex dari, non mihi. Non lex gladio datur, ne occidat hominem: sed illi datur lex, qui per gladium iugulat. Gladius enim, siue occidat, siue non occidat, idem est, nec laudem enim quiescendo adquirit, nec occidendo culpam incurrit. Si ergo & nos agimur non agimus, exclusi sumus à peccatis dum delinquimus, exclusi sumus à fide dum credimus. Hinc itaque superati ad calumniam conuertuntur. Ait enim liber eorum, *Hæresem Pelagianam iterum renouatis, cùm dicitis per libertatem arbitrij homines finem ponere posse peccatis*. Pelagium non hinc condemnauit Ecclesia. Obiicit enim ei, quòd in tantum exaggerasset libertatem arbitrij, ut Dei adiutorium recusaret. Nos autem dicimus, per libertatem arbitrij peccatum omne committimus: ab omni autem peccato per Dei gratiam liberamur consensu arbitrij. Deum autem gratiam suam non petentibus nō dare ex isto loco docuimus quod ipse ait, *Petite & accipietis*. Ostensum est nobis non petentibus quid petamus, ostensum est nobis non quærentibus quid quæramus, ostensum est nobis non pulsantibus quid pulsemus. Si noluerimus petere, non accipiemus, si noluerimus quærere non inueniemus, si noluerimus pulsare non aperietur nobis. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur*. Libertas itaque arbitrij ita in nobis viget, ut Deo posset obedire: ita infirmata est in nobis, ut etiam ipsum Deum possit contemnere, à quo ipsa libertas est data. Quæ vtique ad hoc data est, ut de ea solus diabolus contemneretur. Si enim cessasset libertas arbitrij per præuaricationem primi hominis, cessasset utique lex, quæ non potest loqui nisi illi qui eam potest & contemnere & audire. Sed non cessauit lex, siue naturalis per quam placuit Abel, Enoch, Noe, Sem, & Iaphet, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & ceteri. Hi placuerunt, legis utique naturalis instinctu. E contrà displicuerunt, siue ij quos diluvij charybdis bibit, siue ij quos sulfurea flamma consumpsit. Nec illi enim placuerant, nec isti displicuerant, si lex naturalis non extitisset, & libertas in eis arbitrij non fuisset. Quid ergo agimus? calumniam non euadimus, nisi Dei solam gratiam dixerimus. Latrat enim liber eorum dicens, *Excluditis gratiam per libertatem arbitrij. Aut enim libero arbitrio liberamur, aut gratia*

Dei

Dei eripimur: Eligite quid dicatis. Si gratiæ totum datis, vnum sumus: si libero arbitrio, sciatis nos vobis consentire non posse. Audite calumniosi, & hoc quod timetis audite. Nos liberum arbitrium ibi dicimus esse ubi diuina gratia consistit. Sine gratia enim Dei non est liberum sed captivum arbitrium. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas. Nos libertatem istam non hominis superbiæ tradimus, sed gratiæ Dei & eius gloriæ definimus; quæ tantum concedit, ut plus faciant alii quàm præcepit bonum, ex quo etiam plus faciant alii quàm prohibet malum. (XLIV.) Manus enim, quæ exspoliare potest vestitum, quod prohibet Deus, hæc vestire potest nudum, quod præcepit Deus. Quid tu dicis? una manus est quæ nudum vestiuit, & quæ vestitum exuit, culpatur cùm exspoliauit, quia vestire potuit: laudatur cùm vestiuit, quia potuit denudare. Tolle utriusque rei arbitrium liberum, & neque ex vitio culpam incurrit, neque ex virtute laudem adquirit. Vt autem dispungam tibi libertatem arbitrii, arbitrium in anima est, libertas in corpore. Libertas sine arbitrio non peccat, cùm arbitrium sine libertate delinquat. Denique si aliquem furem tenueris clausum, libertatem ei furandi tulisti, arbitrium non tulisti, manus enim eius ligasti, non mentem. Si cæcus fiat aliquis, cùm concupiscentiis deditus oculorum, libertas quidem oculorum eius est vincta, arbitrium in suo iure permāsit, animi enim arbitratu concupiscentiis exercetur. Vnde & non mœchantem mœchum Christus appellat eum, qui ad concupiscendum viderit mulierem, arbitrium enim habet, licèt non habeat libertatem. Fit per arbitrium suum sine facto reus: voluntas enim perfecta pro facti opere à iusto iudice reputatur, & impleſſe dicitur omnia qui quod potuit fecit. Corpus enim prohibetur ab impossibilitate eius rei quia arbitrium animi non tenetur. Nunc ergo quid facit gratia? non tollit liberum arbitrium, sed curat, sed amplificat, sed ornat, sed instruit, & exaltat. Non tamen nolentem sed volentem exaltat. Nisi enim ex fide volueris, & ex fide cucurreris, aliter à gratia liberari non poteris. Certi ergo efficiamur, quòd nos gratia non recusat dum delinquimus, sed nos recusamus gratiam quando peccamus. (XLV.) Vnum enim hic è duobus censura iudicantis adtendit, aut gratiam recusantem, aut hominem contemnentem. Si enim gratia recusauit, hominem à peccato liberum fecit. Numquid culpandus est, qui non prandit apud eum, qui eum à suo conuiuio recusauerit, & non potius miseratione dignus ostenditur, cùm alios vocauerit &

hunc recusauerit? Immanis crudelitas est, si prohibitus est prandere cum prandentibus, & cur non pranderit, ab eo, qui eum simul prandere noluerit, iubeatur occidi. Tandem aliquando liber vester, vanus effectus, concedere videtur libertatem arbitrij, ea tamen conditione, ut de mensuris agat, non de specie. *Vnde*, inquit, *illi maior libertas arbitrij in bono, vnde isti minor est, nisi quia Dei dispensatione censentur? In alio enim tenuem se exhibet gratia, in alia abundantem & largam, prout ipsa vult, non prout nos volumus*. Non tecum hic ego concertor, hic te enim & Christus vincit & Paulus. Nam Christus dicit, *Qui plus diligit, plus illi dimittitur, qui minus diligit, minus*. Et Paulus adserit, dicens: *Qui parcè seminat, parcè metet*. Non ergo est gratia per personarum acceptionem in Deo, sed per hominis dilectionem in mente, siue sit magna dilectio, siue sit parua. Quis enim plus diligens Deum, minus diligitur à Deo? Immo, ut verius dicam, non diligens Deum à Deo diligitur, & parum diligens Deum multum diligitur. Qualiter autem diligi Deus possit, ipse Dominus edocet, dicens: *Qui audit verba mea & facit ea, hic est qui diligit me*. Vnde & Discipulis suis ait, *Si diligitis me, præcepta mea seruate*. Videamus itaque, homo per ipsam libertatem arbitrij quid faciat, ut Dei gratiam perfectè conquirat. Exinaniuit libertatem suam, & seruum se efficit Dei. Quòd autem nostro hæc arbitrio faciamus, ipse Apostolus edocet dicens, *Nescitis quia cui vos seruos exhibetis ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue iniquitatis ad peccatum, siue iustitiæ ad sanctificationem?* Qui ergo se sub iugum miserit Dei, exinaniuit sui libertatem arbitrij, ut per libertatem diuini arbitrii liberetur. Non tibi videtur exinanire libertatem arbitrii sui, qui sibi esurienti denegat panem, sitienti denegat potum, dormitanti denegat somnum? Sed in his dignus esse non poterit, nisi se voluntarium comprobauerit. *Non enim ex tristitia*, inquit Apostolus, *nec ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*. Vnde & propheta dicit Deo, *Voluntariè sacrificabo tibi*, & iterum, *Refloruit caro mea*, inquit, *& ex voluntate mea confitebor illi*. De iniusto autem legimus, *Noluit intelligere vt bene ageret*. Vnde & beatus Iacob, *Simeon*, inquit, *& Leui fratres consummauerunt iniquitatem ex voluntate sua*. Si ergo antequam vera & integra libertas nostra veniret, Dominus Iesus Christus, iustus voluntariè sacrificauit Deo, & ex voluntate sua confessus est, peccator ex voluntate deliquit: quanto magis nunc, instaurata nobis libertate per Christum,

stum,

num; uniuersa nostro iure sunt reddita, non natura dominante, ut Pelagius & Cælestius definiuit, non natura hominis dominante, sed Christi gratia condonante? (XLVI.) Non suis viribus imputando, sed de Dei adminiculis præsumendo, non sibi aliquid usurpando, sed totum Dei gratiæ imputando? Totum, inquam, totum dixi, totum repeto, totum, sed bonum: malum autem ex nostro vitio, ex nostra negligentia, & ex nostra incurrimus voluntate. (XLVII.) Quid conuertitis caput ad calumnias & Pelagii nobis dogma obicitis? Anathemamus omnes qui dicunt, adiutorio Dei sublato, posse hominem sine peccato esse si velit: anathemamus qui dicunt, nec per Adam mors, nec per Christum vita: anathemamus qui dicunt, de duobus baptizatis qui nascitur baptismum indigere non posse: anathemamus qui dicunt, infantes non debere in remissionem peccatorum baptismatis sanctificatione censeri: anathemamus omnia, quæ in omnibus hæreticis damnat Ecclesia: anathemamus & librum vestrum vobiscum qui dicit. *In tantum vitiatam per prauaricationem Adæ hominis naturam agnouimus, vt instaurationem suam per Christum non in re sed in spe fuerit consecuta, dicente Apostolo, Spe salui facti sumus, spes autem quæ videtur non est spes. Si ergo spe salui facti sumus, adhuc rem in præsenti sæculo non tenemus. Ideo denique baptizati iterum carnaliter concupiscunt, & illos motus corporis patiuntur, quia spe non re consecuti sunt instaurationis auxilium. Si enim re consecuti fuissent, post baptismatis gratiam non esset peccati nec possibilitas, nec voluntas. Verùm quia virtus baptismatis tanta est, ut vniuersa peccata deleat, pullulatio tamen peccatorum baptismatis vnda non abluitur, inesse enim per Adam naturaliter perdocetur. Nam illa membra, quæ in baptismatis hora confusione carent, postea confusionem recipiunt, quæ vitant vbique conspectum, & quærunt pudendo secretum. Quæ enim Deus membra fecerat, prauaricatio in pudenda conuertit, & non dicuntur membra, sed pudenda. Quæ pudenda in puncto illo baptismatis membra fiunt: sed mox iterum pudenda efficiuntur ex membris. Non enim re sed spe instaurati sunt. Concupiscentia enim carnis, quæ per prauaricationem Adæ repugnat in corpore tanquam lex peccati, iterum sibi vindicat baptizatum, totumque animum eius conatur euertere. Hæc est enim radix illius plagæ, quam Christus sanauit, saluauit autem sic, sicut Apostolus dicit, Spe salui facti sumus. Vt iubet nos animum ad inuisibilia contemplanda transferre, nec de his quæ videntur præsumendo corruere. Et ideo dicit,*

spes

ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes. Ne fortè æſtimarentur per baptiſmum ita tolli peccata, ut etiam radices ipſa peccatorum ſimul putarentur auferri. Motus enim ille pollutionis, qui per præuaricationem naturam inuaſit, ita remanet in baptizato, ſicut radix capilli cùm fuerit nouacula in ſuperficie emundatus & raſus. Raſus enim eſt, ut emundaretur locus: non eſt eradicatus, ut ulteriùs non naſceretur. Si enim ex integro per baptiſmum omnis præuaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullus ſordibus inquinaretur humanis, nullus concupiſcentiæ ſtimulo pungeretur, ſed quia ſpe ſalui facti ſumus, quod adhuc non videmus, per patientiam expectamus. Veniet tempus, in quo neque nubant feminæ, neque viri uxores ducant, ſed ſint ſicut Angeli in cælis. Cùm enim corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoriam, vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt ſtimulus tuus? ſtimulus autem mortis peccatum eſt: virtus verò peccati lex. Tunc dicemus, Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. (XLVIII.) Hic eſt libellus veſter, quem nulli datis legendum niſi ſub ſacramento. Vide ne prodas, ne des legendũ imperitis, regnum Dei paucorum eſt. In hoc apparet quia te Deus prædeſtinauit ad vitam, ſi hunc libellum tu ſicut tuam animam ſeruues. Maxima pars mulierculárum à vobis hunc meretur libellum accipere. Denique quæ eum prodidit, femina corpore, ſed vir animo, dum iſtum à vobis libellum ſub ſacramento ſuſcepiſſet, ſcriptũ legens exhorruit, & his quos catholicos nouerat examinandum dedit. Legimus eum & nos, quod ſemper timuiſtis, & iuvante Domino blaſphemias eius euidenter detegentes, omnes catholicos admonemus, ut hunc libellum fugiant, execrentur, & æterno anathemate feriant. Damnabilitas enim eius eouſque peruenit, ut uniuerſa myſteria Saluatoris euacuet. (XLIX.) Dicit baptiſmum Chriſti fructum ullum penitùs, dum traditur, non habere. Spes, inquit, quæ videtur non eſt ſpes, id eſt remiſſio peccatorum: & quicquid in præſenti promittitur, non eſt, quia in futuro ſeruatur, hic tamen, id eſt in hoc mundo, non accipitur. Dicit enim Apoſtolus, *Spes quæ videtur non eſt ſpes.* Ergone hoc Apoſtolus ad iſtum veſtrum ſenſum dixit? Prius itaque Beati Pauli cum debita reuerentia ſenſum exponemus: & ita demum per partes concidemus pedes libri veſtri, in his quæ concluſio eius circa nos finem ſe autumat inueniſſe perfectum.

rum. Apostolus consolationem filijs Dei adferens dicit, ut in isto mundo nihil quærant, ne fortè considerantes impios & incredulos prosperis successibus gratulari, se verò adfligi, dicerent, Ecce hi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias, nos autem vsque in hac hora, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. Tollens ergo præsentis sæculi considerationem, gaudia futura promittit. Et quamuis magnis, inquit, passionibus fatigemini, non sunt tamen condignæ passiones huius temporis ad futurā gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et ideo *spe* inquit *salui facti sumus*. Nota tibi *salui facti*, non dixit saluandi, sed *salui facti*. Præteritum fecit salutis, dum credidimus salui facti sumus Quare spe? Speramus enim nos resurgere, non enim iam resurreximus. Quia ergo speramus non pro bonis præmia accepturos, & pro malis gehennæ posse incurrere supplicia, sperantes bona, & timentes mala, salui facti sumus, & qui eramus filii iræ, facti sumus filii Dei. Vnde & alius Apostolus clamat, *Carissimi filij Dei sumus*. Non ergo adoptio filiorum promittitur in baptismo, sed confertur. Vos autem de hoc quod iam accepimus dicitis, spes quæ videtur non est spes. Nobis spes tota videtur in baptismatis sanctificatione constare, ergo quod nobis videtur spes, non est spes. In chrismatis Christi unctione spei nostræ cernimus firmamentum, ergo spes quæ videtur non est spes. Corpus Christi spem nostram videmus, ergo spes quæ videtur non est spes. Sanguinem Christi redemptionem nostram adtendimus, ergo spes quæ videtur non est spes. Euacuastis omnia sacramenta, exinanistis mysteria, & quasi fidi & idonei metatores Antichristi, locum ei ubi possit succedere eiectis nobis ab aliquibus præparatis. Nam hæc quæ Apostolus de mundi istius gaudiis dicit, *Spes qua videtur non est spes*, vos ea ad diuina mysteria transmigrastis. Quod ille de caducis rebus & labentibus memorat, hoc vos etiam ipsi sacro baptismati adscripsistis. Non habeamus partem vobiscum in æternum, nec sensus noster ultra his blasphemiis inquinetur. *Ideo*, inquiunt, *baptizati iterum polluuntur, & carnaliter concupiscunt, quia spe non re consecuti sunt instaurationis auxilium*. Nos autem sic spe tendimus ad futura præmia, ut in præsenti quod accepimus non negemus. Non enim meretur consequi beneficia, qui non confitetur accepta. Si quod accepisti iam denegas, confutaris ingratus. Ergo si adhuc non estis gratiam consecuti, sed consecuturi estis, quid nobiscum clanculò communicatis? Expectate

alterum

alterum Christi corpus, alterum Christi sanguinem, istum enim non in re, sed in spe esse iactatis. *Si enim re*, inquiunt, *consecuti essemus, post baptismatis gratiam non esset peccati nec possibilitas, nec voluntas*. Ideo ergo vultis ostendere baptismatis gratiam non rem contulisse, quia iterum post baptisma possumus & velle malum, & operari malum. Et cui habebat dari lex Dei, si possibilitas mali fuisset ablata? aut quis de custodia mandatorum Dei præmium peteret, si præuaricari non posset? sicut nec mutus de taciturnitate, nec spado de virginitate laudatur. Carent enim laude in bono, quibus ad malum transitus denegatur. Nos ergo dicimus, possibilitatem mali bonam esse his qui eam contemnunt: & possibilitatem boni malam esse his qui eam contemnunt. Dabo his singulis titulis breue responsum. Potuit quis exspoliare vestitos, ecce malum potuit: sed quia noluit, facta est possibilitas mali bona, qui eam consilio prudentiore contempsit. Potuit quis creditam sibi pecuniam rapere, potuit adulteria perpetrare, ecce possibilitas mali, & qui eam contempsit, ipsa possibilitas eum fecit, tam de pecunia non furata laudari, quàm coronari de castitate seruata. Diximus unum titulum, id est de possibilitate mali, quòd bona sit his qui eam contempserint. Nunc videamus quomodo è contrario possibilitas boni mala in his qui eam contempserint. Habet quispiam pecunias positas: ecce possibilitas boni, potest enim cunctis necessitatem patientibus subuenire. Hanc autem possibilitatem boni dum contempserit, efficitur possibilitas mala, & tam mala, ut radix malorum omnium comprobetur. Verùm quid agimus? Baptismatis nobis status in periculo ponitur, & nos de auaritiæ veneno tractamus? Omnibus notum est auaritiæ crimen satis esse grauissimum: baptismatis autem gratiam exinaniri ab hominibus perfidis, nuper cœpit innotescere, nuper cœpit catholicis propalari. Aiunt namque *per baptismum ita tolli peccatum, vt capillum nouacula erasum*. *Rasus enim est*, inquiunt, *vt emundaretur locus, non eradicatus est ne vlteriùs nasceretur. Si enim ex integro omnis praeuaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullo concupiscentiæ stimulo pungeretur*. Hinc ergo exinanitis baptismatis sacrosancta mysteria, quia concupiscentia, ut ipsi dicitis, lex peccati est, & ipsa sibi iterum vindicat baptizatum. De hac ergo concupiscentia si fueritis exclusi, integra erit in baptismo & peccatorum remissio, & vera consolatio gratiarum. Gratiarum autem ideo plu-

raliter

raliter posui, quia cùm una sit gratia, ut vitis unà palmitibus pluralis efficitur, & tot vites dicuntur, quot fuerint propagines de una vite compressæ. Datur ergo ex uno baptismatis fonte in præsenti peccatorum remissio, & regnum promittitur in futuro, efficitur filius hominis filius Dei, fit adoptione filius, fit consors regni, fit ciuis exaduena, fit ingenuus qui servus extiterat inimici, fit locuples qui fuerat antè mendicus, & qui fuerat dudum ignobilis, incipit esse & inlustris, & magnus. Sed ista omnia euacuat liber vester, & dicitis. *Si darentur quæ promittuntur in baptismo, nullus post baptismatis vndam concupiscentiæ stimulo pungeretur*. (L.) Videamus ergo vtrumnam hæc concupiscentia, sicut dicitis, lex peccati sit. Nos concupiscentiam dicimus esse rem naturalis certaminis: & hanc dicimus ad propagationem hominum à Deo creatore visceraliter esse firmatam. Adhuc enim primi homines nondum de præuaricationis ligno gustauerant, quando eos benedixit Deus dicens, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Qui ergo ante peccatum benedicendo genus hominum multiplicari iussit, ipse sine dubio huic naturæ per quod propagari posset inseruit. Dispar etenim sexus multiplicari minimè potuisset, si incrementa naturalis concupiscentiæ non haberet. *Non est bonum*, ait Dominus, *esse hominem solum, faciamus ei adiutorium*. Hoc adiutorium disparis sexus ad consolandum vultis esse factum à Domino, an ad generandum? Si enim concupiscentia mala est quæ materia generationis ostenditur, constat secundum vos à Deo mulierem non ad adiutorium boni, sed ad occasionem factam esse peccati. Quòd si adiutorium mulieris, non ad reparationem, sed ad consolationem nescio quam dicatis fuisse concessum, dispar sexus sine causa est conditus ab eo, de quo legimus quòd omnia in sapientia fecerit. Verùm quia testamenti veteris fortè vos auctoritas non tenet, de primis hominibus quid ipse Dominus noster Iesus Christus dixerit auscultate. *Qui fecit*, inquit, *masculum & feminam, benedixit eos & dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, & his dictis adiunxit, *Quod ergo Deus iunxit homo non separet.* A Deo igitur factos, à Deo benedictos, à Deo legimus esse coniunctos. Et miror qua fronte concupiscentiam istam, per quam coniugia celebrantur, dicatis à diabolo esse humano generi inflictam. Quis enim dubitet rem malam, si tamen mala est, à Deo bono homini non potuisse conferri? Si enim à Deo est data, bona esse dinoscitur;

tur: si autem mala est, constat à diabolo esse infusam. Sic enim dicit liber vester. *Quæ Deus membra fecit, illi præuaricando pudenda fecerunt*. Si hoc non est in membris quod Deus condidit, & super fabricam Dei inimicus apparuit, & Deo inuito fecit creaturam eius alterum ordinem continere, non quem ipse instituit, maledictæ sunt nuptiæ, & ex maledictione uniuersa humani generis massa veniens diabolo auctore subsistit. Vnum vobis eligite è duobus. Aut bona est generatio hominis, & bona est concupiscentia: aut malæ sunt nuptiæ, & iniqua concupiscentia. Emendate ergo Ecclesiæ regulam, damnate qui in toto orbe sunt sacerdotes, nuptiarum initia benedicentes, consecrantes, & in Dei mysteriis sociantes. Miror qua fronte intratis Ecclesiam, ubi quicquid agitur contra vestras sectas venire cognoscitis. Negatis itaque Deum hanc, unde nascimur, dedisse concupiscentiam. Ergo non sumus creatura eius, si non est eius creatura concupiscentia coniugalis. Tollite enim hanc, quam vos dicitis legem esse peccati, & videamus quis adhęrere possit uxori. Sed qui dederat virtutem seminis in benedictionem, ipse ob multiplicandam subolem concupiscentiæ inseruit charitatem, & amari voluit quod multiplicari constituit. Incrementum enim est generis concupiscentia naturalis. Quòd si per hanc, ut dicitis, omnis constat esse causa peccati, ipse crimen creauit in genere, qui posteritatem multiplicari voluit per amorem, & super paternæ pietatis iura diligi præcepit uxorem. Denique ipse Dominus noster Iesus cùm dicitis, *quod Deus coniunxit homo non separet*, tale est quasi qui diceret, Odisse tibi vxorem non licet, quam me auctore amare cœpisti. Zelabatur enim coniunctionem à se factam odiis iugalibus maculari. Rerum noua peruersitas! cùm à Deo puniatur uxoris odium, damnatur ab hominibus concupiscentia maritorum. Sed iustus iudex non damnat desiderium naturale, qui ut multiplicaret prolem ideo inseruit charitatem. Nam cùm de coniugio & repudio tractaretur, tunc Dominus istam dictauit sententiam, dicens, *Quod Deus iunxit homo non separet*. Hoc autem ideo dixit, ut specialiter nuptiarum coniunctionem ex Deo esse monstraret. Nec enim esse potuit, aut sine coniunctione commixtio, aut absque commixtione coniunctio. Si non ex creatura factoris, sed ex peccato inquiunt concupiscentia maritalis, ergo secundum vos Deus hoc in benedictione coniunxit, quod diabolus per præuaricationem inseruit. Quod si ita est, non fuit aduersarius sed adiutor Dei, si quos Deus in

carne

carne una esse voluit, hic per concupiscentiam inseparabiles fecit, & quod ille iussit augeri & crescere, hic per quod hoc ipsum quod iusserat ut impleretur inuenit. O quàm infelix impietas est à Prædestinatis inuenta, ut ex prçuaricatione dicatur euenisse hominis, quod est ex benedictione creatoris insertum! Hanc vos dicitis legem peccati, sed hanc nos legem generis comprobamus, quam vos criminis accusatis: & hanc nos dicimus causam esse virtutum, quam vos vultis ostendere materiam vitiorum.

Nam cùm eius adiutorium faciat parentes fœcundos in subole, huius certamen & continentes præstat & virgines gloriosos. Et ne alicubi huius esse æstimes detrimentum, maiora repugnando quàm adiuvando largitur: quia dum adiuvat fructum exhibet generis, dum repugnat confert præmium castitatis. Illic sine culpa operatur, hic exercet pngnam cum munere. Tolle concupiscentiam, & cessant coniugia: tolle concupiscentiam, & cessant præmia castitatis. Quale hoc rogo malum est, quod duplicis boni causa esse monstratur? quod alios in generationis gaudio exhibet, alios in triumpho virtutis? Alij enim per eam operantur licitè, alij per eam dimicant gloriosè. Quòd si etiam in omnibus hæc dicitur esse peccatum, constat & coniuges, & continentes, & virgines per hanc esse damnandos, omnibus enim inesse cognoscitur per naturam. Nos non ita esse sentimus, sed laudamus eam ordinem suum custodientem, & Deo reuerentiam exhibentem. Et ideo in baptizatis etiam ipsa benedicitur, non fugatur, & ornatur magis quàm tollitur. Qui enim fontem aquæ perennis nnnc benedicit ut renasceremur spiritaliter, ipse tunc benedixit coniuges ut carnaliter nasceremur. Hunc ergo concupiscentiæ motum, sicut cetera alia membra, à creatore suscepimus. Si ideo est concupiscentia malum, quia per hanc aliquotiens adulterium geritur, ergo & manus mala est, quia per hanc homicidium perpetratur. Accusate & linguam, quia per ipsam blasphematur Deus, damnate & pedes, quòd hominem duxerint ad lupanar. Sic fit ut non sola concupiscentia, sed uniuersa à vobis membra damnentur. Respondeam vobis ore catholico, quoniam sicut manus facta est, non ad occidendum, sed ad operandum, & lingua non ad blasphemandum, sed ad gloriam creatoris & laudem, & membra omnia, non ut vitijs seruiant, sed diuinis præceptis insistant, ita & concupiscentia naturæ est insita, non ad adulterandum, sed ad generandum, quam utique comprobauimus non modo co-

iugibus fœcunditatis adiutorium, sed etiam continentibus palmam posse adferre virtutis. Vultis nosse bonam hanc esse concupiscentiam? Mysteriis eam comparabo diuinis. Non enim solùm adpetita mala, sed etiam bona præsumpta condemnant. Pone aliquem ante baptismatis inluminationem corpus Domini præsumpsisse; numquid non iste de boni præsumptione damnabitur? Quod enim alijs conlatum secundum ordinem cōfert salutem, hoc aliis damnationem facit extra ordinem extra tempus acceptum. Similiter si usurpet laicus sacerdotium, vel si sacrificium offerre præsumat, nūquid non iste de non concessa sibi potestate damnandus est? Quòd si de tam sanctis rebus præsumptio reum facit, non actio, quanto magis in concupiscentia, non actio suum ordinem tenens, sed extra ordinem vadens, vocatur in crimine, & facit maledictum extra ordinem euntem, quem benedictum creator in suo ordine conlocauit? Quòd si ita est, immo quia ita est, quid patimini infelices, qui volentes exinanire baptismatis restaurationem, dicitis hanc concupiscentiam ideo remansisse, ne tota ex amussim homini peccata viderentur indulta? Cur non magis hinc vobis debuit esse suspicio, hanc non esse peccatum, quòd in baptizatis hominibus non deletur? Si enim esset peccatum, utique sicut cetera tolleretur. Igitur qui per concupiscentiam baptismatis dona exinanire contenditis, conditorem concupiscentiæ diabolum esse monstratis: per quem docetis, & creatorem in sua operatione dum conderet defecisse, & baptismum tribuentem ex integro non potuisse succurrere. Habebunt vobiscum partem qui vos ad se libenter admittunt. Scriptum est enim, reos fore, non solùm qui iniquitatem faciunt, sed etiam eos, quos eis constiterit consensisse.

Hactenus Auctor Operis Prædestinati dempto epilogo vel indiculo deficiente Operis, in quo suarum obiectionum articulos recapitulabat, vt infra dicemus. Nunc sequitur nostra refutatio huius præsertim libelli tertij eiusdem.

SECTIO

SECTIO TERTIA

ANTIPHARMACUM SEU ANTIDOTUM

Collectaneum ex SS. Patribus, qui præmissi libri Tertij errores aut obiectiones refutarunt:

Seu subnotationes in ea præsertim, quæ caueri debent,

Ne, quod Deus auertat, Legens hunc tertium libellum, ut Prædestinianismum fugiat, labatur in Semipelagianismum

Et ne cadat (vt in adagio est) *de Calcaria in Carbonariam.*

Libentius nunc (Lector) *antidotum Christi bibes* (aiebat Hieronymus lib. 1. in Iouinianum) *cum diaboli venena præcesserint.* Quænam enim in hoc opere Prædestinati venena errorum lateant circa prædestinationem & gratiam agnosces modo ex notis nostris in librum tertium eiusdem operis, in quo præsertim hic Auctor Semipelagianus plerasque Iuliani Pelagiani sententias ac phrases adhibebat, ut Semipelagianam adminus hæresim, ne dicam Pelagianam, promoueret, dum Prædestinianam hæresim, quam solam se oppugnare fingebat, Augustini discipulis imputabat. Vtraque tibi cauenda est, atque, ut utriusque hic in limine facies primo intuitu innotescat, & capere nostras valeas subsequentes notas, ob oculos habeas, rogo, breuem, quam tibi exhibeo, distinctionem errantium, aut opinantium, circa æternam in Deo prædestinationem vel reprobationem hominum ad gloriam aut pœnam. Primo Prædestiniani hæretici hanc ita explicabant, ut supposita omnium hominum massa peccantium seu perdendorum in Adam, Deus ex sua misericordia volens aliquos liberare & saluare, statuerit illos promouendos ad gloriam ut finem,

per

per suam gratiam, non indifferenter excitantem, sed necessario ar-ctantem ad bonum, velut per medium omnino ineluctabile, alios autem ex iustitia volens in perditione relinquere statuerit illis æter-num supplicium ut finem, ac simul inde ut medium eosdem voluerit (qui adulti futuri essent) indeclinabiliter in peccata actualia ruere ac mori in peccatis; seruata tum in prædestinatis tum in reprobis so-la libertate actuum suorum à coactione non à necessitate. Ita pleri-que illi Prædestiniani, quos supra in Articulo 3. §. 6, numero pri-mo afferebamus pessimè intelligentes etiam quædam scripta Au-gustini. Secundo alii non male intelligentes Augustinum, licet ri-gidius cæteris eiusdem etiam phrasibus adhærentes, Catholicè ta-men, tutati sunt, contra prædictos, tum libertatem in nobis à neces-sitate etiam arctante, & ne dum à coctione cogente, tum iustitiam in Deo nullo modo facientem, ut nos in peccata ruamus, voluerunt tamen sic etiam in reprobis, supposita præuisione peccati originalis omnium hominum in Adam, prius in intentione Deum decreuisse reprobis supplicium, ut inde posterior fuerit personalium demerito-rum permissio. Ita sæculo 9. occasione Prædestiniani erroris Got-teschalchi (quem utique non approbabant, sed ita Prædestinianum suppositum reprobabant expresse) tenuerunt Ecclesia Lugdunensis in tractatu de tribus epistolis (qui legitur tom. 15. Bibliothecæ) cum suo Diuo Remigio, & D. Prudentius contra Scotos; Lupus Ferrariensis de tribus quæstionibus, Ratramnus Monachus, & alii eiusdem sæculi, & cum pluribus aliis antiquis à se recitatis tutatus est denuo & noster Lemos tom. 2. tract. 4. per totum innixus etiam auctoritati Sinodi Valentinæ, ut in eodem legere est. & sequitur Granado e Societate, ut refert Arriaga disp. 39. de prædestin. sect. 2. subsect. 2. pag. 440. Tertio alii de prædestinatione conueniunt cum secunda, scilicet priorem esse intentionem gloriæ ut finis, an-te præuisionem meritorum etiam ex gratia, ut mediorum, quo ad reprobationem vero, licet in re ab Augustini doctrina non disce-dant, in modo tamen loquendi non videntur adeo rigide, ut alii ali-quibus phrasibus adhærere, admittentes vtique intentionem exclu-dendi reprobos à gloria sub ratione beneficij indebiti priorem esse ante permissionem seu præuisionem demeritorum personalium, non sic tamen priorem esse intentionem excludendi eosdem à gloria sub ratione pœnæ, vel destinandi ad supplicium, ut loqui videbatur Augustinus. Ita cum aliis quibusdam antiquioribus & cum Alua-

rez

rez recentiores nostri Ioannes à Sancto Thoma Salmaticenses; Gonetus, & alii recitati ab eisdem. Quarto alii incipientes discedere etiam in re ab Augustini doctrina (velut quo adhoc non approbata definitiue ut certa de fide bene ut probabiliori) tam in prædestinatione quoque dicunt priorem esse præuisionem meritorum ex gratia, & ne dum in reprobatione præcedere præuisionem demeritorum ante intentiuam exclusionem à gloria etiam sub ratione beneficii indebiti. Ita ab anno 1590 recentiores non pauci extra Scholam Dominicanam seu Thomisticam; & has omnes tres sententias (præter primam, quæ hæretica est) secundam scilicet tertiam & quartam, supponimus nullam promereri censuram, & Catholice singillatim à suis explicari. Quinto inde succedit altera sententia primæ sententiæ hæreticæ extremè contraria non minus hæretica Semipelagianorum non agnoscentium ab æterno in Deo nisi eam indifferentem voluntatem, qua velit Deus æqualiter omnes saluos fieri, si omnes suæ excitanti gratie consentire perseueranter vellent, ac inde præuidendo in aliquibus ex sua libertate consensuris purificatam hanc conditionem, eam priorem Dei conditionatam voluntatem salutis, fieri inquiunt absolutam respectu istorum, non omnium, & hanc tantum esse non discretiuam ex Deo prædestinationem vel reprobationem ab æterno in Deo. Ita cum Iuliano Pelagiano, & cum Massiliensibus, hic Auctor Prædestinati, ut mox patebit, quæ, ut dixi, hæretica explicatio indubitanter est, in quam an incaute aliqui alii inciderint, de quibus agit noster Lemos tom. 2. tractatu ultimo, aliorum esto iudicium, ubi certe nos nescimus, quinam fuerint illi, qui & peius addere visi sunt, dum, (referente eodem Lemos eodem tract. cap. 6. num. 70.) *asseruerunt nec certam Dei præscientiam esse de prædestinatis vel reprobis, quo usque ipsi de facto in tempore moriantur, sed coniecturalem tantum cognitionem ab æterno Deum habere &c*, ut omittam & similem aliorum explicationem apud Bail Parisiensem tom. 1. Conciliorum à pag. 792 scilicet Deum, volentem indifferenter omnes saluos fieri, statuisse creare quendam numerum hominum sufficientem ad implendas ruinas Angelorum, & ex his aliquos paucos præuidisse sub conditione gratiæ excitantis fore perseueranter etiam in hora mortis consensuros in bonum, inde hos præ aliis prædestinasse, postea statuisse aliū creare numerum hominum, ex quibus eodem modo præuidendo aliquos prædestinauit, & sic progrediendo quousque aucuparetur

inte-

integrum prædestinatorum numerum sufficientem ad ruinas prædictas Angelorum implendas, ut specialis in prædestinatis gratia discretiua esset post præuisionem in statu conditionato sub gratia, sic de facto creari &c, hanc, inquam, omitto, quia omnes vident sic gratiam discretiuam reduci in gratiam creationis, quam nec Pelagius inficiabatur, ut refert ac damnat Augustinus in epistola 95 cũ quatuor aliis Episcopis ad Innocentium, qui & in subsequenti epistola 96 integram eam Augustini Epistolam approbauit. Caue igitur, Lector, in re proposita, tum primam Prædestinianam explicationem (quam non male & Auctor Prædestinati impugnat, sed pessimè eam discipulis Augustini attribuit vel affingit) tum quintam Semipelagianam, quam iste Auctor promonebat, & cõtra has duas agnosce nostras notas apponi, nil tangendo de tribus cæteris intermediis Catholicorum sententiis, aut explicationibus, licet nobis & tertia, ut media magis arrideat, videque demum plerasque obiectiones huius Authoris Prædestinati ex Iuliano Pelagiano mutuatas esse, ab Augustino præsertim contra Iulianum præoccupatas & (præter Prosperum & Mercatorem, qui ex proposito huic Auctori, ut vidimus, responderunt) iterum postea ad initium subsequentis sæculi sexti a Petro Diacono cum aliis Patribus Scithis, & à Diuo Fulgentio cum suis collegis Aphricanis Patribus seu Bizacenis Episcopis, solutas, ac refutatas, ut tibi simul & hæreticus hic Auctor demonstretur, & series temporum agnoscatur eiusdem Operis editioni cõueniens. Audi igitur singillatim per numeros Auctoris verba & nostras appositas subnotationes sequentes.

I. *Dantes manus Mathematicis dicunt humanum genus ita diuinis prædestinationibus subiacere, vt mala omnia, quæ geruntur in sæculo, Dei dicantur voluntate committi*). Sic imponebat & Augustino Iulianus Pelagianus, ut refert idem Augustinus libro 4. operis prioris in eundem Cap. 8. scribens (*dicis etiam illud vestrum contra Christi gratiam, sæpe à vobis inaniter dictum: quod scilicet appellatione gratiæ bonos fieri homines fatali necessitate dicamus.*) Ita & ipsi Pelagiani apud eundem Augustinum lib. 2. ad Bonifacium Cap. 6. aiebant, *hanc ipsam Dei beneuolentiam fatum esse dicendam*. (Ita & Prosper in epistola ad Ruffinum de Semipelagianis inquiebat) *ea autem, quæ de fato iactitant, neque ipsum quidem onerant, in cuius libris copiosissime huiusmodi destruuntur errores; nec nos perturbant, qui tales opiniones cum suis auctoribus execramur*). Ita & Massilienses

ses in epistola eiusdem Prosperi ad Augustinum aiebāt, *sub hoc prædestinationis nomine fatalem induci necessitatem*, & post ipsos denuo Faustus lib. 1. cap. 4. *sub pietatis fronte*, inquit, *gentilitatis fatum, & inter gratiæ vocabulum absconditum est fatale decretum*, uti & repetit lib. 2. cap. 6. Ita passim alibi Semipelagiani hanc calumniam repetebant, quam tamen repellebat tum locis citatis Augustinus (ante Prosperum epistola ad Ruffinum) tum libro 5. de Ciuitate Dei cap. 8. & duobus sequentibus, tum libro 3. de libero arbitrio à Capite 3, tum epistola 241 ad Lampadium *de fato & fortuna contra Mathematicos* (quam & Possidius in indiculo agnoscit) ubi ad hominem etiam euertit cuiuscunque Mathematici fatum, tum iterum lib. 2. ad Bonifacium cap. 5. dicens, *nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis gratiam dicamus antecedi*; tum lib. 4. ad eundem Bonifacium, contra duas Iuliani epistolas cap. 9. scribens, *numquid sub nomine gratiæ fatum asserit (Cyprianus) quamuis dicat in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit?* & inde Fulgentius lib. 3. de veritate Prædestinationis cap. 8. (*nec timuit Apostolus ne videretur fatum aut constellationem introduceret dum prædestinationem prædicauit*) ut omittam, post alios veteres Augustini discipulos, & S. Thomam p. 1. q. 116 *de fato* inscripta per totam.

11. *Hic propositum Dei prædestinatum confitemur & fixum, vt scilicet* (prout mox ante dixerat) *vt ipse nunquam mutans sententiam bonitatis, sit bonum volentibus promptus, malum autem volentibus imparatus, & venientibus ad bonum, eorum fidei statim remunerationem exhibeat &c. euntibus autem ad malum non statim pœnam inferat, quam merentur, sed expectationis suæ pias largiatur inducias.* Hæc itaque iuxta hunc auctorem prædestinatio æterna Dei, nil aliud est, quam indifferens illa & æqualis erga omnes homines voluntas saluandi omnes, si ipsi suæ excitanti gratiæ consentire pro suo libito, quo se discernant, velint &c. quod sane potius propositũ hominum, quam Dei est, nec est ullo modo prædestinatio Dei secundum consilium voluntatis suæ &c. & tota vel Pelagiana vel Semipelagiana adminus est. Ita enim Pelagius in epistolam ad Romanos cap. 8. num. 49. *secundum propositum*, inquit, *secundum quod proposuit sola fide saluare, quos præsciuerat esse credituros* (& nu. 52.) *quos præsciuit credituros, hos vocauit*, unde Augustinus libro 2. ad Bonifacium Cap. 10. infert iuxta Pelagium, *vt propositum hominis intelligatur, quod propositum tanquam bonum meritum sequatur mi-*

sericordia vocantis Dei. Ita & de Semipelagianis Prosper epistola ad Ruffinum referebat iuxta eos, *circa omnes homines per vniuersum mundum commune & generale Dei esse studium, vt qui voluerint credant, & qui crediderint iustificationem merito fidei & bonæ voluntatis accipiant*, & Carmine de ingratis Cap. 6.

Cum sine delectu seu lex seu gratia Christi
Omnem hominem saluare velit: Dominique vocantis
Sic sit propositum, vt nullus non possit ad illud
Libertate sua, proprioque vigore venire,
Sitque salus dignis saluari ex fonte volendi,

Sic in epistola eiusdem Prosperi ad Augustinum Massilienses intelligebant illud Apostoli, ad Timotheum 2. (*vult omnes homines saluos fieri*) ut nullam habeat voluntatem discretiuam pro prædestinatis præ reprobis. *Sed indifferenter*, ut aiebant, *indifferenter vniuersos velit fieri saluos, & ad agnitionem veritatis venire, si homines ipsi velint atque consentiant. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*. Sic & in epistola Hilarij iidem Massilienses adhunc sensum repetebant, *Deum velle omnes homines saluare, nec tamen omnes homines velle saluari*. Sic & Faustus lib. 1. de gratia & libero arbitrio Cap. 16. ait, *quod dixit (Apostolus) qui est saluator omnium hominum, ad propositum diuinæ bonitatis aspexit: quod autem dixit, maxime fidelium, illos hoc loco distinxit, qui per fidem, per obedientiam, per subditam voluntatem Redemptoris munera susceperunt*. Vnde Augustinus libro 4. contra Iulianum prioris operis Cap. 8. subinferebat ex eorum dictis, *vt videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare, nolunt quærere, cum Deus velit ostendere, nolunt pulsare cum Deus velit aperire*, quam tamen intelligentiam Semipelagianorum statim ibidem refellit, & epist. 107, & de prædestinatione Sanctorum, & alibi semper explicans æternam Dei prædestinationem fieri secundum consilium, propositum, & electionem voluntatis Dei, non hominum, ex Apostoli verbis, quæ refert, & expendit, ut legenti patebit, & prosequitur D. Fulgentius libro de incarnatione & gratia Christi cap. 30. & lib. 1. de veritate prædestinationis cap. 4. & sequentibus. Et lib. 2. à cap. 3. fusissime.

III. Ex-

III. *Expectauit*, (ut dicit Apostolus Petrus) *Dei patientia eos, qui increduli fuerant in diebus Noe , cùm fabricaretur arca : Dicite nobis, quid expectabat Dei patientia? numquid prædestinatam perditionem; an prouocatam conuersionem?* Sic & Iulianus Pelagianus utebatur hoc exemplo hominum tempore Noemici diluvij lib. 4. posterioris operis Capite 128, cui ibidem Augustinus respondebat his verbis. *Proinde hominibus natura filijs iræ propterea dantur præcepta viuendi, quia datur & gratia, vt qui iubet, iuvet, ac sic mala non solum, quæ voluntate addita, verum etiam quæ sunt congenerata, vincantur. Quod enim hominibus impossibile est, Deo facile est. Quibus autem non datur gratia, propter quam dictum est, quis enim te discernit, quid autem habes, quod non accepisti, præuaricatores fiunt accedente lege, non iusti. Sed si quam ad vtilitatem vivunt filiorum misericordia, vt eos videntes, & quid sibi, non merito, sed gratia donetur, intelligentes, non extollantur, sed qui gloriatur in Domino glorietur.* En Augustinus concedit ex prædicta auctoritate utique haberi etiam gratias sufficientes pro reprobis, non vero inferri, ut Semipelagiani intendebant, gratiam Dei, ne dum excitantem, sed operantem expectare suspensam, & non facere consensum nostrum seu ut nos de nobis libere consentiamus gratiæ excitanti, ut clarius hanc prauam intelligentiam excluserat idem Augustinus, tum alibi sæpè tum eodem opere posteriori contra Iulianum lib. 1. Cap. 95. dicens, *si gratia non præuenit eam voluntatem, sed potiùs existenti gratia cooperatur, quomodo verum est, Deus in nobis operatur & velle? quomodo præparatur voluntas à Domino? sic non sapiunt nisi noui hæretici, & gratiæ Dei nimis inimici.*

IV. *Eligite nunc, catholici, cui colla subdamus : Si legi, negemus prædestinationem ab imperio suo legem excludentem &c.* Sic omnes Semipelagiani, hoc futili argumento, ne dum Prædestinationem perperam utique à Prædestinianis intellectam explodere conabantur, verum etiam æternam Prædestinationem rite & Catholice ab Augustino eiusque discipulis explicatam, ut stantem optime cum arbitrii libertate, & consequenter cum lege &c. Ita enim ex Iuliano Pelagiano referebat & refellebat Augustinus lib. 4. in Iulianum eundem prioris Operis Cap. 8. dicens. *Calumniaris me dicere, nihil studij expectari ab humana voluntate debere, contra illud Euangelicum &c.* Sic & Massilienses in epistola Hilarij ad Augustinum aiebant, *si sic prædestinati sunt &c. quò pertinet tanta extrinsecus cor-*

reptionis instantia? & in epistola Prosperi, *quomodo per hanc prædicationem propositi diuini &c. nemo eorum, qui cohortandi sunt, impeditur?* Sic idem ipse Augustinus id non inferri optime explicabat, tum loco allegato in Iulianum, tum in fragmento 1. post sermones de diuersis in tomo 2. tum libro de dono perseuerantiæ Cap. 15. & de prædestinatione Sanctorum Cap. 12. & alibi sæpe. Sic & Gregorius Magnus libro 1. Dialogi cap. 8. Sic & Diuus Prosper ex proposito respondet lib. 2. de vocatione gentium Cap. 34, 35. & 36, per integrum; sic Diuus Fulgentius libro 2. de veritate Prædestinationis capite 3. & sequentibus pluribus, & libro 3. à capite 6. ex proposito per plurima Capita has referens repellensque calumnias.

V. *Hæc dicit Dominus, si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis, si autem nolueritis, gladius vos comedet*, ex quo deducere intendit hic Auctor nec dari prædestinationem de nostris actibus, nec Deum per gratiam operari vel facere, ut re ipsa velimus, cum ipse vult ut velimus; sed à solo nostro arbitrio id determinandum pendere contendit etiam in ordine ad bonum. Sic igitur & hac eadem Auctoritate ad idem intentum utebatur contra Augustinum Iulianus Pelagianus lib. 1. operis posterioris Cap. 93. alioquin inferens si non in hoc sensu Augustinus liberum arbitrium concederet, eum *sensu suo non liberum pronunciare*. Cui Augustinus ibidem respondet *propterea*, inquit, *per prophetam dictum est (si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet) & cætera huiusmodi, vt cum inuenissent in se ipsis victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent à quo deberent poscere auxilium*, quo scilicet eas vincerentur & de nolentibus volentes fierent, ut statim ibidem ab exemplo Saulis exponit, qui dum *esset spirans minarum & cædis* per Dei victricem gratiam obediens ac volens factus est &c. Sic etiam libro de gratia & libero arbitrio postquam Capite 2. & 3. innumera similia testimonia ex scripturis produxerat ostendentia vtique in nobis dari liberum arbitrium, & actus nostros esse vere liberos adhuc sub gratia, tamen Cap. 4. ab initio præueniens hanc præposteram Semipelagianorum intelligentiam earum auctoritatum, sic exorditur, *sed metuendum est, ne ista omnia diuina testimonia &c. in defensione liberi arbitrij sic intelligantur, vt ad vitam piam &c. adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur, & audeat miser homo, quando bene viuit, & bene operatur &c. in se ipso non in Domino gloriari, & spem in se ipso ponere &c.* Sic pariter Massilienses

ses in epistola Hilarij ex consimili auctoritate arguebant, *quod dicitur in Euangelio, crede & salvus eris, unum horum exigi asserunt, alterum offerri, ut propter id, quod exigitur,* scil. consensum nostrũ ex nobis ipsi gratiæ excitanti, *si redditum fuerit, id, quod offertur, deinceps tribuatur.* Respondet autem Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum Cap. 11, post reassumptam hanc verbalem obiectionem dicens. *Cur non utrumque in Dei est potestate, & quod iubetur & quod offertur? Rogatur enim, ut det quod iubet. Rogant credentes, ut sibi augeatur fides, rogant pro non credentibus ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis & in suis initijs, Dei donum sit fides &c. Sicut ergo, quamvis donum Dei sit facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis pro proposito præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quamvis & ipsa, (cum dicitur, si credideris salvus eris) proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur; ut intelligamus, quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, sicut per prophetam Ezechielem dicit: Ego faciam ut faciatis. Locum ipsum scripturæ attendite, & videbitis illa Deum promittere facturum se ut faciant, quæ iubet ut fiant.* Hæc Augustinum, quibus similia dixerat libro 4. ad Bonifaciũ cap. 6. & libro de gratia & libero arbitrio cap. 15. & 16. ex eo similiter quod idem Deus est qui dicit, *facite vobis cor novum &c.* & qui dicit, *dabo vobis cor novum &c.* concludens. *Quare iubet, si ipse daturus est? quare dat si homo facturus est? nisi quia dat quod iubet, cum adiuvat, ut faciat, cui iubet &c.*

VI. *Noluisti, inquit Dominus, quod volui; voluisti quod nolui &c. ergo aut coactus à potentiore alio prædestinationem constituit, aut si ipse constituit, calumniam fecit. Ut quid enim dicit homini, hoc volui, quod noluisti, si scit se eum prædestinasse ut vellet?* Hic iste (præter omissam alteram distinctionem de malo culpæ vel pœnæ, de qua numero sequenti dicemus) ignorauit in Deo aliam esse voluntatem signi, vel etiam antecedentem, aliam esse vel dici voluntatem beneplaciti vel consequentem, cui primæ utique homo resistit, non vero secundæ, qua Deus *omnia, quæ voluit fecit in Cœlo & in terra,* uti breuissimè distinxit sub alijs terminis Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei Cap. 32, & lib. 22. Cap. 1, expressis autem verbis sæculo 8. distinxit Damascenus libro 2. de fide Cap. 29, fusius sæculo 11. Anselmus libro de voluntate Dei, & limatissimè sæculo 13. S. Thomas par. 1. q. 19. Ar. 6. & 11, quem Scholastici sequuti sunt. Hanc

igitur

igitur distinctionem ignorauit hic Auctor, uti & Iulianus Pelagianus, qui hanc ipsam obiectionem in Augustinum interquebat libro 1. posterioris operis cap. 93. ex præallata eadem auctoritate (quam & hic affert hic Auctor) Mathæi 23. *quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti*, sic inferebat, *ut scilicet illos ostenderet pro malo quidem opere iure puniri, sed ab intentione propria non debuisse ulla necessitate reuocari*, id est nec Deum potuisse per suam diuinam voluntatem impedire, ne sic vellent aut nollent, quemadmodum voluerunt. Cui obiectioni respondet Augustinus eodem libro primo contra Iulianum operis posterioris Cap. 93 his verbis. *Ignoscendum est, quod in re multum abdita ut homo falleris: absit, ut impediatur ab homine omnipotentis & cuncta præscientis intentio: parum dere tanta cogitant, vel rei excogitandæ non sufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, & infirmo homine impediente, non posse: sicut certum est Hierusalem filios suos ab illo colligi noluisse, ita certum est eum etiam ipsa nolente quoscunque eorum voluit*, scilicet voluntate consequente, *collegisse*, alios autem, quos voluntate antecedente colligere volebat, & non collegit, eadem etiam voluntate consequente non colligi voluit, seu non colligendos esse, sed perire iusto iudicio permisit. Vnde idem Augustinus de dono perseuerantiæ Cap. 6. *voluntate*, inquit, *sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur à Deo: quis hoc negauerit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, vtique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est & à malo in bonum flectere voluntatem &c.* si voluntate consequente id velit, & si libere quandoque nos peccare permittat, iuxta sua iusta sed occulta iudicia, iuxta quę postea (ut loquitur idem Augustinus de corrept. & gratia cap. 14.) *de his, qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult*. & de Spiritu & littera cap. 33. Et repetit in Enchiridio Cap. 100.

VII. *Nullus tam impius est, quam is, qui rem à se præordinatam exhorreat, & id puniat factum, quod ipse præordinauit ut fieret*. Scilicet peccatum, & hic claret impudentis ignorantia Censoris, qui ex eo, quod Deus decreuerit ab æterno permittere aliqua peccata, quæ præsciebat primo à voluntate nostra ut deficiente incæptura, subinfert à Deo esse præordinata, seu prædestinata peccata ut fierẽt, cum nec ipse Deus velit *hæc mala culpæ fieri*, sed solum fieri ipse permittat, ut mala, peccatave sunt, ex S. Thoma p. 1. q. 19. art. 9.

ad

ad primum. Fuit autem & ista obiectio Iuliani Pelagiani libro 1. posterioris operis cap. 114. Augustino imponentis, quod diceret, *Dominum esse factorem malorum, & tales condere, qui eant in condemnationem*, & capite 119, *Deum creare quos damnet, nec ob aliud condere, nisi ut eant in condemnationem*, cui obiectioni hoc secundo loco Augustinus respondet, ne dum negando se facere Deum auctorem peccati, quod solum permittit, ut peccatum est, verum etiam sic retorquendo obiectionem in aduersarios his verbis, *hoc & de præscientia Dei dici potest, quæ tamen à fidelibus negari non potest, & puto quod nec à vobis. Aut ergo negate Deum præscientem multos se damnaturum esse, quos creat, ne videatur creare quos damnet, & quod est mirabilius, & inscrutabilius, multos, ne malitia mutet eorum intellectum, de hac vita rapere, quos malos futuros non potest ignorare: Date honorem Deo, altitudini iudiciorum eius cedat vestrorum crepula ruina verborum, quasi nitida & acuta, sed vitrea*, & eodem libro 1. Cap. 130, cum Iulianus diceret iuxta Augustinum, *Deum conditorem malorum formare quos puniuit &c.* Augustinus subiungit, *si tibi displicet Deum creare, quos damnet, contradic ei, si potes, ne creet eos, quos malos futuros, & in malignitate vsque in finem perseueraturus, & ob hoc sine dubitatione damnandos esse, præsciuit: aut ei suggere, si videtur, ut tot millia paruulorum non baptizatorum*, (idest ex infidelibus nascentium) *quos nouit peracte esse victuros, & inaeternum ignem damnante ipso cum diabolo ituros, rapiat ex hac vita, dum sunt* (iuxta vos Pelagianos) *innocentes & boni &c. Habes adhuc quod suggeras consiliarius Dei &c*, ne scilic. dicatur inde Deus *creare quos damnet &c. Prædestinatione igitur* (subdit idem Augustinus libro de prædestinatione SS. Cap. 10.) *prædestinatione Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus, unde dictum est, fecit quæ futura sunt: Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Hinc D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum, audiens eiusdem Monimi dubitationem ex illo dicto Augustini libro de perfectione iustitiæ, *aliquod genus hominum esse prædestinatum ad interitum*, incipit à Capite 5. ostendere hunc verum Augustini sensum, scilicet de prædestinatione seu præordinatione tantum *ad interitum supplicij, non delicti*, ut ipse loquitur, & ut obseruabat & exscribebat etiam D. Prudentius Tricassinus in epistola ad Hincmarrum Cap. 8. & sequentibus, addens & Gregorium, Hieronymum, & Prosperum &c. usque ad Caput 29. prosequitur id explicare & probare

bare

bare Fulgentius in fine adducens & mox adducta Augustini verba ex libro de Prædestinatione Sanctorum, ut videatur directè etiam huic calumniæ intentatæ per istum Auctorem Prædestinati copiosissimè respondere, uti & responderat ad hanc difficultatem antea idem Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupiscentiis Cap. 16. legendus.

VIII. *Videtur mihi quod alterum vobis inuenissetis Deum, qui tam impius sit, ut à praiudicio circumueniat humani generis massam &c. Quarite vobis, ut dixi, alterum Deum, de quo ista dicatis.* Et hæc tota Iuliani ne dum obiectio sed phrasis fuit libro 1. operis posterioris cap. 129. *pictas*, inquit, *explanabit & ratio Deum nemi neminem in contumeliam formare &c.* cui sic Augustinus ibidem de præordinatione ad pœnam, respondet, *si Deus tuus in contumeliam neminem format non est ipse Pauli Apostoli Deus; ille quippe de Deo vero dicebat: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Sed tu videlicet artifex magnus profers ex officina Pelagiana meliorem Deum, qui nullum vas facit in contumeliam.* Vide & Lupum Ferrariensem in Collectaneis ante medium hanc eandem ex eodem libro Augustini auctoritatem exscribentem in eandem rem. Vide & Augustinum ultro libro 2. de nuptijs ad Valerium Cap. 16. ubi quo ad hoc eidem Iuliano antea respondebat; & in aliis duobus Capitibus 126 & 182 contra Iulianum in eodem opere imperfecto, ut Lupus Ferrariensis exscribit.

IX. *Iam ergo tunc egit iudicium mundi, antequam ipsum mundum statueret, ut iam post finem saculi non inuenerit, quem puniret. Laborem sibi forte tollere voluit.* Hinc constat hunc Auctorem nullam vere agnouisse veram prædestinationem vel reprobationem æternam in mente Dei, cum rudis nimis in Theologicis rebus nesciret aliam esse actionem Dei immanentem ad intra, aliam actionem saltem virtualiter transeuntem ad extra, ut ex Patribus explicauit hanc distinctionem postea S. Thomas p. 1. q. 13. art. 7. & alibi: hincque rectissime Augustinus mox ante relatus, ut simili obiectioni Iuliani responderet, retorquebat eandem de præscientia, quia sicut Deus ab æterno præsciuit, quæ esset & ipse facturus in tempore ad extra, ita & ad intra se facturum esse decreuit, ac consequenter ab æterno prædestinauit, *prædestinare enim nihil aliud est quam*

opera

opera sua prascire, ut loquitur idem Augustinus libro de dono perseuerantiæ Cap. 17 & 18, & libro de prædestinatione Sanctorum ferme per totum librum firmat hanc veritatem, sed præsertim Cap. 10. præueniens omnino huius Auctoris inscitiam, inquit, *prædestinatione quippe ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus, vnde dictum est. Fecit, quæ futura sunt*, seu ut alij legunt hunc locum Isaiæ 45. *fecit quæ facturus est*; in hoc sensu in psalmum primum Hieronymus, ita interpretatur ea verba, *non resurgunt impij in iudicio*, dicens: *non resurgunt ut iudicentur, qui iam iudicati sunt*, & in dialogo contra Pelagianos, *non resurgunt*, inquit, *in iudicium impij, iam enim in iudicium praiudicati sunt*, ut mirer Faustum & ipsum Semipelagianum hanc phrasim carpere voluisse (uti & hìc Auctor hoc loco facit) dum libro 1. Cap. 4. ait, *si vnus ad vitam alter ad perditionem*, scilicet ad supplicium vel pęnam, *sicut quidam Sanctorum dixit, deputatus est, non iudicandi nascimur sed iudicati*. Totus fere liber tertius Fulgentij de veritate Prædestinationis hìc exscribendus veniret, vbi à Capite primo vsque ad quartum, & à Capite 8. vsque ad plura sequentia, hanc ignorantiam omnino repellit, & soluit singulas contra hanc veritatem calumnias aut obiectiones. Sic Leo Magnus in Sermone de Passione, *apud Deum discernenda iam dijudicata, & futura iam facta sunt*, Gregorius Magnus homilia in Caput 3. epistolæ ad Ephesios, & libro 1. Dialogi Cap. 8. similia habet, & Cyprianus (ut citat etiam Ecclesia Lugdunensis de tenenda veritate scripturæ Cap. 8.) *qui venturus est*, inquit, *iudicaturus, iam iudicij & cognitionis futuræ sentētiam protulit &c.* Hilarius in Psalmum 138, *Deo*, ait, *ob scientiam & virtutem, quæ futura sunt, facta sunt*. Ambrosius in libris de fide ad Gratianum, *Deo, quæ nobis futura sunt, præsentia sunt, & ei, cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt. Qui fecit, quæ futura sunt. Isaia 45.* & concinunt omnes Sancti Patres communiter; ut pudere debuisset hunc Auctorem se tam splendidam veritatem præteriuisse.

X. *Si alicubi vos legistis de Deo, quia quem prædestinauit ad vitam, aliud non erit, & quem prædestinauit ad mortem, sine dubio morietur, quis vos ferret ista dicentes?* Secundam partem intellectam de morte spirituali peccati, nequaquam dicimus, sed ut Prædestinianam omnino damnamus, ut sæculo subsequenti 6. anno 529. Synodus 2. Arausicana damnauit Canone 25. dicens: *aliquos vero ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed*

etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Iam tamen immobilem Dei ab æterno quamcunque prædestinationem, sicuti & præscientiam tuemur, ut sicut cum præscientia diuina de aliquo futuro euentu non stat oppositum euenire, licet stet posse euenire ob contingentiam rei, ita nec cum prædestinatione diuina de aliquo futuro non stet oppositum esse, licet stet potentia in oppositum, ob agentium seruatam adhuc libertatē, quemadmodū perpetuo docuit Augustinus dum simili Massiliensium obiectioni (relatæ in epistolis Hilarij & Prosperi) respondebat libro de prædestinatione Sanctorum & de dono perseuerantiæ, arguens etiam à pari ab eadem præscientia ad prædestinationem, uti & antea præstiterat libro 3. de libero arbitrio à Capite 3. & libro de gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia, ut similes pariter Semipelagianorum Adrumetinorum dubitationes vel querelas compesceret: & præsertim legi potest in tractatu 53 in Ioannem, ubi explicat illa verba, *non poterant credere &c.* qui non erant prædestinati ut crederent. Hinc post editum hoc Prædestinati opusculum intra sæculum quintum, inde ad initium sæculi sexti Divus Fulgentius libro præsertim tertio de Veritate prædestinationis & gratiæ Dei, à Capite 4. incępit (directe contra has Prædestinati obiectiones) hanc veritatem iterum stabilire dicens, *cuius prædestinationis ita manet æterna firmitas, & firma æternitas, non solum in dispositione operum, verum etiam in numero personarum, ut nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat, nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis æternæ perueniat*, & prosequitur per singula sequentia undecim Capita, ut mox suo loco afferemus, etiam subsequentes obiectiones eiusdem Operis Prædestinati dissoluere ac enodare, non sine misterio tamen, dicit *ut nemo perdat &c*, non dicit, *ut nemo perdere possit*, ut intelligeres sic melius explicari cum prædestinatione non simul stare actum oppositum, bene potentiam ad oppositum, propter quod sæculo 9. contra Prædestinianum errorem Gottes chalchi (licet alioquin conaretur, si posset, excusare Gotteschalcum) & ipse Florus Lugdunensis in sermone de Prædestinatione, qui legitur tom. 15. Bibliothecæ fol. 84. sic habet: *Qui dicit, quod hi, qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter euenire non potest, similiter quoque & de iustis, tanquam & ipsi ideo saluentur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Iste hæc tam confusè & insulsè dicit,*

&

& illis tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis, ac per hoc quid aliud agit, nisi ut & pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, & his, qui saluantur, sit imposita necessitas salutis? Quæ plane est Prædestinianorum necessitas solam saluans libertatem à coactione non à necessitate. Nec minus id vidit integra ipsa Ecclesia Lugdunensis eodem sæculo in tractatu aduersus Ioan. Scotum Cap. 4. post commiseratam Gotteschalchi fustigationem, subdens. *Quod autem dicit* (Io. Scotus) *præfatum Gotteschalcum prædestinationibus necessitatem & vim inferētem: si ita hoc dicit Gotteschalcus, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim vel necessitatem imponat, ut ineuitabiliter mali sint, & omnino aliud esse non possint, hoc omnino alienum est à fide Catholica.* hæc ibi, quæ si Iansenius attendere voluisset, non ita pro suis Prædestinianis dogmatibus in libro 8. de hæresi Pelagiana Capite ultimo aduocasset in sui fauorem *Ecclesiæ Lugdunensis eruditos libros*, ut ipse loquitur, *pro Gottescalco &c.* Addo iterum eandem Lugdunensem Ecclesiam in alio tractatu posteriori de tribus epistolis Cap. 24. hæc ultro habere de eodem Gottescalco: *Quod vero dixisse firmatur, ad male tantummodo agendum liberum nos habere arbitrium, ad bene vero agendum non habere; si vere ita sensit, & dixit, hoc vere non est ex diuina auctoritate sumptum, neque ex Sanctorum Patrum dogmatibus tractum, sed aperte ex proprio errore prolatum*, & Capite 25. fatetur iterum hunc errorem, *qui extremus ponitur*, iure damnatum in Gottescalco, quo tamen semel dato, & cæterorum articulorum eiusdem Gotteschalchi Prædestinianus sensus habetur. Desinant ergo (vel ipsa fatente Ecclesia Lugdunensi, quæ maximè Gottescalco commiserari videbatur) desinant quidam recentiores cudere pro defensione Gottescalchi Apologias; & agnoscant hunc utique Prædestinianum errorem esse non immerito etiam ab hoc Auctore Prædestinati reprobatum, si in hoc solo reprobando stetisset, & non simul & veram ab Augustino explicatam, prædestinationem æternam Dei secundum consilium & propositum voluntatis suæ reprobare voluisset, ut Semipelagianam suam hæresim sub hoc fuco introduceret.

XI. *Audi Apostolum non Dei præordinationi hoc, sed hominis negligentiæ vel diligentiæ adplicantem: In magna, inquit, domo non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem sunt in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis*

ergo mundauerit semetipsum ab his, erit vas in honore sanctificatum &c. hoc est cum sit vas aptatum ad interitum, si mundauerit semetipsum ab his, erit vas in honore sanctificatum. Tota hæc sinistra interpretatio huius textus Apostoli, qua firmitas diuinæ prædestinationis destrui intendebatur ab ipso Semipelagiano, tota, inquam, exscripta est contra Augustinum ex Iuliano Pelagiano lib. primo operis posterioris Cap. 126. aiente, *hoc totum testimonium tibi repugnat; nam cum alij in honorem alij in contumelium fieri dicuntur, iuvatur sensus Catholicorum, quo secundum diuersitatem voluntatis humanæ, diuersus etiam vasorum exitus prædicatur*, & præter alia, quæ ad hoc habet in Capitibus intermedijs, iterum Capite 135 premit & ipse ea verba Apostoli. *Si quis emundauerit semetipsum ab his &c.* subinferens. *Ecce officium liberæ voluntatis si mundauerit &c. hæc igitur vasa studijs proprijs, aut ad iram, aut ad gloriam præparantur &c.* hæc ille, quibus respondet utrobique Augustinus ibidē in Capite quidem 126. dicens, *si inscrutabilis quæstionis huius solutio ista esset, quam tu sapis, secundum merita voluntatum, tam manifesta esset, & nulla eius difficultate compelleretur Apostolus dicere: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? de non dum natis enim agebatur, quorum non ex operibus, sed secundum propositum suum Deus vnum dilexit, alterum odio habuit: vnde ad hæc verba peruentum est, ut de eadem massa, & diuersis vasis, & de potestate figuli Apostolus loqueretur*, & Cap. 134. ubi incæperat Iulianus eadem reasumere Apostoli verba, *si quis mundauerit &c. Ergo*, inquit Augustinus, *ipsa vasa ita se præparant, ut frustra de Deo dictum sit, quæ præparauit in gloriam, hoc enim apertissimè dicis, nec intelligis ita dictum esse, si quis emundauerit semetipsum, ut ostenderetur & opus hominis per voluntatem: sed homo ingrate, præparatur voluntas à Domino, ideo vtrumque verum est, & quia Deus præparat vasa in gloriam, & quia ipsa se præparant: ut enim faciat homo, Deus facit: lege diligenter Ezechielem & reperies Deum facere, ut præcepta eius homines faciant &c.* En refutatam ab Augustino ut Pelagianam hanc interpretationem, quam sibi affricuerunt postea & Massilienses in epistola Prosperi ad Augustinum reiicientes illud, *propositum discretivum*, ab Augustino intentum hic, *ut secundum quod placuit creatori alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati*, & paulo post refugiebant admittere, *Deum secundum propositum, & consilium voluntatis suæ occulto iudicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam.*

meliam. Sic & Faustus Rhegiensis lib. 1. de libero arbitrio Cap. 13. *quicunque*, inquit, *duas humani generis massas esse arbitraberis, unã sacra ex lectione cognosce: duas autem facit prauitas studiorum, & diuersitas voluntatum*, & clarius Cap. 12. *Audi*, inquit, *Apostolum, quomodo dealbari posse pronunciat maculas conscientiæ, ut de vase iniquitatis vas sanctificationis appareat. In domo, inquit magna vasa sunt &c. Quod si quis ex his se expurgauerit &c.* & fere integra Iuliani verba & ipse transcribit, adeo vulpes in cauda colligatæ erant.

XII. *Prophetia ergo* (Iacob dilexi, Esau autem odio habui) *non de his est, qui secundum carnem nascebantur, sed de duobus populis Iudæorum & Gentilium*, ut scilicet inde non intelligatur Apostolus agere de æterna hominum prædestinatione vel reprobatione, in ordine ad gloriam, sed de substitutione populi Gentilium in populum Dei, loco anterioris populi Iudæorum superbientis de lege sua præ Gentibus &c. ut fusè hic Auctor nititur explicare: Verum & hæc integra euadentis Semipelagiani explicatio desumpta est ex Iuliano Pelagiano lib. 2. operis posterioris contra Augustinum cap. 131. de eodem Apostoli loco dicentis. [Apostolus itaque Paulus disputans cum quæstionibus Iudæorum, qui generis sui dignitate turgentes dedignabantur coæquari sibi ex Gentibus fideles, & iustitiam Dei commendat & gratiam &c. Comprimit igitur Gentium Magister Iudæorum tumorem, & ostendit, non in seminibus humani generis, sed in moribus esse distantiam &c. siquidem Iacob & Esau una seminis exceptione concepti, & una vi parientis effusi, diuersos nimium exitus pro meritorum diuersitate pertulerunt,] quibus Iuliani verbis eodem lib. 1. in Iulianum Augustinus Cap. 131. statim respondet: [Si secundum Apostolum saperes, non commemorares hoc loco merita Iacob, ubi cum non ex operibus dicit fuisse dilectum, ut commendet gratiam, quæ non secundum merita nostra datur &c. Cum enim, inquit, non dum nati essent, neque egissent aliquid boni aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori.] Pergit Iulianus Cap. 132. plura dicere pro hac sua eadem præpostera explicatione concludens, *hoc ergo totum agẽs conflictu illo cum Iudæis Apostolus, in quibusdam tamen locis ad incuruandam circumcisorum arrogantiam, sub nomine gratiæ de sola Dei præiudicat potestate*: quibus postremis Iuliani effugientis verbis Augustinus eodem Cap. 132. reponit: *Ergo incuruandam circumcisorum*

sorum arrogantiam, sub nomine gratiæ mentitur seu mentiretur Apostolus, nam Deus (iuxta te *) ex operibus elegit non ex gratia. Quis ita sapiat nisi hæreticus inimicus gratiæ, amicus superbiæ? Clamat vas electionis & gratiæ &c. non ex operibus dilectum esse Iacob, & tu commemoras Iacob opera, ex quibus eum dilectum esse contendis? &c.* & eodem modo prosequente Iuliano pro sua interpretatione tuenda contraria, tum Capite 133, tum 134, pergit eisdem Capitibus & Augustinus eandem ut hæreticam condemnare; velut iam, etiam fatente Pelagio, in Palestino Concilio damnatam, quod *gratia secundum merita non daretur &c.* quam hoc non obstante expositionem Apostoli Faustus iterum libro 2. Capite 6. per totum ausus est promouere. Hinc non miror quidem hunc Auctorem Prædestinati, ut pote Semipelagianum, hanc pessimam intelligentiam ex Iuliano exscripsisse, sed miror longe magis, & Hincmarrum sæculo 9, dum hoc Prædestinati opusculum haberet, ex hoc eodem hanc velut probabilem retulisse (vti & præcedentem adductam num. 11.) in epistola sua examinata deinde ac inde refutata apud Lugdunensem Ecclesiam de tribus epistolis Cap.32, dum Hincmarrus aiebat: *Proferunt ex Apostolo vasa iræ aptata ad interitum &c. sed aliter alij intelligunt: maximè cum ibidem dicat Apostolus de eisdem vasis; si quis emundauerit se ab istis &c.* En quomodo promptum est ex hoc opusculo Semipelagiano facile aliquos velut pice contingi? Nec minus miror deinde alios ad finem elapsi mox sæculi superioris eodem omnino modo eundem Apostoli locum ad Romanos 9. conatos esse exponere, ut hic Auctor Semipelagiana exponit, quos refert & expugnat robustissime noster Lemos tom. 2. tract. 2. ferme per totum, tum Cap. 6. ex Augustino alibi & ex alijs Patribus, & ex Synodo Valentina canone 3, tum Capite 7. ex toto contextu Apostoli ibidem, quibus omnibus adde tu modo à nobis perpensa hic, scilicet hanc puram putamque fuisse Iuliani Pelagiani fallissimam interpretationem, contra quam præter adducta Augustini verba, iterum idem ipse Augustinus eodem libro 1. in Iulianum operis posterioris Capite 141, quod est ultimum eiusdem libri, ineluctabiliter ex toto contextu eiusdem Apostoli arguit, & ostendit non nisi ab hæretico & gratiæ inimico eam potuisse interpretationem contra intentum Apostoli, introduci, quod cum Lemos non valuerit recensere, ob non vulgatum tunc adhuc hoc opus Augustini, ideo nos non censuimus omittendum. Ommitto utique, & aliam quorundam

Semi-

Semipelagianorum ridiculam expositionem (ex eadem tamen radice prouenientem) *per vasa contumeliæ intelligi monachos, per vasa honoris sæculares*, quam vide relatam ac refutatam in Diuo Fulgentio libro 3. de veritate Prædestinationis Cap. 20. & tribus sequentibus.

XIII. *Vos enim si voluissetis discere prius &c. non diceretis, quia non omnes homines Deus vult saluos fieri &c.* (& infra mox) *nouum genus blasphemiæ inducentes dicunt, quod Deus non omnes homines vult saluos fieri &c.* Quot vidimus de hac dubitatione tragedias! & tamen, si recolas, quod supra vidimus num. 2. Semipelagianos hunc locum Apostoli ad Timotheum intellexisse de voluntate etiã consequente uniuersaliter & indifferenter in ordine ad omnes, facile intelliges cur contra istos Augustinus ac in hoc sensu de voluntate consequente restrinxerit hoc Apostoli dictum ad solos prædestinatos per duas illas suas iam notas expositiones (quæ alioquin aliquibus non capientibus hoc Augustini intẽtum difficiles visæ sunt) scilicet vel per distributionem accomodam, ut omnes qui saluantur non nisi Deo volente saluentur, sicut dicimus omnes per viam sanctitatis ire ad Cœlos, quia omnes qui ad Cœlos eunt, non nisi per hanc viam eunt, ut explicat Augustinus lib. 4. in Iulianum Cap. 8. epist. 107, Enchiridio Cap. 103, de prædestinat. Sanctorum Cap. 8, & ex eodem Augustino Prosper ad Rufinum, Fulgentius de incarnatione Cap. 31. Petrus Diaconus libro de incarnatione Cap. 7. & Anselmus in epistolam primam ad Timotheum Cap. 2. vel de distributione non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ut explicat idem Augustinus serm. 37. de diuersis Cap. 3. de correptione & gratia Cap. 13, Enchiridio Cap. 103; facile, inquam, cur has duas restringentes explicationes Augustinus adhibuerit, intelliges, si ob oculos teneas hæreticum sensum Semipelagianorum, qui hoc dictum uniuersaliter etiam de voluntate consequente intelligebant, contra quem sensum directe & merito Augustinus loquebatur, ut bene vidit & Lemos noster tom. 2. tract. 2. Cap. 14. At vero absolute loquendo, & intelligendo hoc dictum de voluntate vel signi, vel antecedente, (quas pro eadem voluntate antiquitus aliqui accipiebant, ut patet etiam ex Alensi, & Diuo Bonauentura, & Scoto sic accipientibus in 1. dist. 46.) non solum Augustinus non restrinxit, sed concessit expresse uniuersaliter hoc dictum in ordine ad omnes homines verum esse, de voluntate quidem signi (quæ ab

effectu

effectu in nobis causato velut à signo dignoscitur) dum inquit, *sic velle, quia facit ut nos velimus*, ut legi potest Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei Cap. 2; libro de correptione & gratia Cap. 15, & alibi, quam in hoc sensu explicat & S. Thomas & Caietanus in eundem locum Apostoli ad Timotheum, & quam ipse Augustinus accepit pro eadem voluntate antecedenti, vel per vnam comprehendit & implicite alteram, unde in epistola 107. expresse ita priores ad hibet contra Semipelagianorum intentum explicationes, ut quãcunque aliam Catholicam, ab eodem intento & errore distinctam ac separatam, explicationem approbet, & permittat consequenter & istam, dicens, *quod dictum est omnes homines vult Deus saluos fieri, ideo dictum est, quia omnes, qui salui fiunt, nisi ipso volente non fiunt, & si quo alio modo illa verba Apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus, sed Deo nolente, saluos non fieri, contraria esse non possint.* Quid clarius pro suo exponendo intento dumtaxat aduersus Semipelagianorum intelligentiam hæreticam, dicere poterat Augustinus? Quod vidit utique acutissimè S. Thomas, qui in par. 1. qu. 19. Art. 6. ad primum, dum hac de causa, post duas priores Augustini explicationes, statim adiunxit tertiam (nec alias addidit) de voluntate vniuersali antecedente, ut in hac simul comprehenderet, tum quam Augustinus hic permittebat, tum quam alibi idem Augustinus videbatur per voluntatem signi explicare, quemadmodum & eodem modo omnino cum Augustino processit Ecclesia Lugdunẽsis in libro de tribus epistolis Cap. 12, post præadductas priores Augustini interpretationes, & refutatam simul hinc absurdam Semipelagianorum intelligentiam, subiungit & istam dicens. *Ita sit etiam, si secundum pium quorundam Patrum piorum sensum Deus omnes homines vult saluos fieri, bonitate creatoris, qua creaturam suam bene à se conditam perire non vult*, en voluntatem antecedentem à S. Thoma explicatam, pergit de voluntate consequente, *idipsum iterum nolit iudicis æquitate*, voluntate scilicet attendente postea omnes circumstantiis obiecti, *ut per prophetam etiam dicit. Viuo ego, dicit Dominus quia nolo mortem impij, sed ut reuertatur à sua impietate & viuat. Et tamen ipse, qui non vult mortem impij, perseuerantem in impietate sua impium proculdubio punit, & punire vult*, eandemque doctrinam confirmat in alio tract, de tenenda veritate scripturæ Cap. ad 3. Capitulum, in quo utique sensu de voluntate

ante-

antecedente intellexerat etiam hunc locum Apostoli ex Augustini discipulis Prosper expresse libro 1. de vocatione Gentium Cap. 12, & in responsione ad obiectiones Vincentianas ad secundam, & nedum Chrysostomus & Hieronymus in eundem locum Apostoli, Athanasius lib. 3. de Assumptione, & alij Patres, ut non immerito sed iustissime damnata sit ea Iansenij propositio, quæ negabat hanc tertiam expositionem, nec immerito hic Auctor Prædestinati id negantes reprehendat; cum tamen iste relabatur, (ut constat ex eiusdem contextu dicente, *omnes homines vult Deus, non tamen omnes homines Deum volunt &c.*) in absonam alteram Semipelagianorum intelligentiam, quam semper inuehere contra Augustinum & Augustini discipulos ijdem Semipelagiani conabantur, ut videre est apud Prosperum, & Hilarium in epistolis ad Augustinum, & quam ideo semper Augustinus reijciebat, ut legi potest lib. 4. contra Iulianum Cap. 8. epist. 107, in Enchiridio Cap. 97, de prædestinatione Sanctorum Cap. 8, & inde Prosper epistola ad Rufinum, Fulgentius de incarnatione & gratia Cap. 29. & alij passim, qui contra eosdem Semipelagianos scripserunt.

XIV. *Hos ergo gentium populos præsciuit, ut diximus, quod filium suum, quem Iudæi crucifixuri erant, sincero corde susciperent, & ut decebat Dei filium adorarent. Quos ergo præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui &c.* Hic prodit hic auctor Prædestinati sensum suum Semipelagianum, de prædestinatione ad gratiam ex præuiso merito fidei inchoatæ saltem ex sola libertate arbitrij, quem sensum pariter sumpsit ex Iuliano Pelagiano relato apud Augustinum libro 4. contra Iulianum operis prioris Cap. 8. nec non passim in libro primo operis posterioris, ut legenti patebit, & libro 2. Cap. 155, ubi inquit, *aduertatur promissionem, quæ facta est ad Abraham ob remunerationem fidei eius &c, ostendisse, non ita solum credulitatis recepisse mercedem, ut alios similiter credentes à præmij consortio putetur excludere*, cui Augustinus respondet ibidem: *Dicite nobis, si noluissent gentes credere, euacuareturne promissio, quæ facta est ad Abraham? Non, inquis: Ergo ut Abraham ob stipendium fidei consequeretur promissam dilatationem seminis, præparata est gentium voluntas à Domino; & ut vellent, quod & nolle potuissent, ab illo factum est, qui ea, quæ promittit, potens est & facere*, & Capite 156, cum Iulianus dixisset, *eam promissionem non ablutioni tributam fuisse sed moribus*, Augustinus reponit. *Hos mores, quos proculdubio*

alijs SS. Patribus, quos fuse refert Hincmarrus libro de Prædestinatione Capite 28. & 33, Tridentinum sess. 6. Cap. 2. & 3. Neque unquam oppositum sensit vel Synodus Valentina vel Ecclesia Lugdunensis (quas prò se Iansenius adglomerat) vel alijs locis Augustinus, vel Prosper, vel Fulgentius ab eodem congesti, qui solum aduersus præallatum Semipelagianorum sensum loquuti sunt, quem utique perperam hic & iste Prædestinati Auctor intendebat, nec alia addere necesse est, præter iam adnotata in numero 13. mox ante, & præter hoc, quod videri potest & Lupus Ferrariensis in 1. Collectaneo de tribus quæstionibus versus finem simul cum Ecclesia Lugdunensi dicens, *se libenter in hanc sententiam transire, quod Christus dicatur pro omnibus mortuus &c.*

XVI. *Vnde probatis, quia non omnes vocat Deus ad gratiam suam &c.* Et hoc conuenit cum præallatis Iuliani principijs, iuxta quæ pariter Massilienses in epistola Prosperi asserebant, *ad salutis donum omnes homines uniuersaliter, siue per naturalem, siue per scriptam legem, siue per Euangelicam prædicationem vocari*, & in carmine de ingratis Cap. 6. *Dominique vocantis*

Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua proprioque vigore venire.

Clarius iterum, *ut cunctos vocet illa quidem incitetque nec ullum preteriens studeat communem afferre salutem omnibus &c. Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti.*

Nec agnoscebant eam duplicem vocationem, quam verbatim distinxit non semel Augustinus, alteram quidem correspondentem voluntati Dei antecedenti erga salutem omnium hominum, alteram voluntati consequenti, quā specialiter vult & efficaciter prædestinatis salutem. Vnde, inquit Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum Cap. 16. *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes, quibus Christus stultitia est, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens &c.* & Cap. 17. *Quos ergo prædestinauit, ipsos & vocauit, illa scilicet vocatione secundum propositum &c.* Inde Prosper huic Auctori Prædestinati respondens ad secundam obiectionem Vincentianam concludebat. *Sincerissime credendum est Deum velle, ut omnes homines salui fiant, remota tamen discretione*

scretione (scilicet à qua illa voluntas præscindit) *quam discretionem diuina scientia intra secretum sua iustitia continet*.

XVII. *An ipse Deus non vult eos vocare? an vult & non potest? an non merentur? si vult & non potest, blasphematur impotens; si potest & non vult, videtur iniquus; si quia ipsi non merentur, Ergo gratia non est gratia, sed res meriti humani est ipsa vocatio &c*, & cum non admittatur gratia ex meritis, subdit, *Ergo si gratia est & non meriti* (scilicet ipsa vocatio) *quomodo vos dicitis aliquos non vocari, quia sunt eius vocatione indigni? Si enim nullus ex suo merito vocatur, sed ex dono gratia Dei, & alius vocatur, alius recusatur, personarum Deus blasphematur acceptor*. Hic iam incipit hic auctor arietare in gratuitam vocationem & gratiam præsertim victricem, quam ubique tutabatur Augustinus, & Massilienses econtra ideo refugiebant, ne exinde cogerentur admittere & illud propositum electivum & discretivum in prædestinatione diuina, ut testatur Prosper de eisdem in epistola ad Rufinum dicens: *ab hac autem confessione gratia Dei quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint &c. etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum &c. certus apud Deum definitus sit numerus pradestinati populi in vitam aeternam & secundum propositum Dei vocantis electi*: Licet autem hæc integra istius Auctoris obiectio soluta habeatur in libro de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ, scriptis ab Augustino ad hunc finem, ut similes Massiliensium enodarentur instantię; placet tamen audire Petrum Diaconum & D. Fulgentium, qui ad initium subsequentis sæculi sexti scribentes, dum fere eiusdem hujus obiicientis Auctoris verba reasumunt, ac repellunt, sine dubio videntur hoc idem tunc opusculum perlegisse. Itaque Petrus Diaconus libro de incarnatione & gratia Cap. 7. hæc habet, post stabilitam victricem gratiam cum Augustino. *Sed dicunt: si nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est, qui naturaliter, ut dicitis, possit credere in filio Dei, aut aliquid boni velle, quod pertineat ad vitam aeternam, cur ergo non facit omnes velle, cum non sit personarum acceptio apud Deum &c. Aut enim vult & non potest Deus, aut mentitur scriptura diuina, quod velit omnes homines saluos fieri. Quod si horum quodlibet sentire est impium, restat, ut non ille excitet voluntatem humanam* (seu faciat velle) *sed expectet eam ab homine, ut aequum sit in volentibus pramium, in nolentibus autem iusta damnatio*. Audi modo solutionem huius obiectionis ibidem: *Hac si*

etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Iam tamen immobilem Dei ab æterno quamcunque prædestinationem, sicuti & præscientiam tuemur, ut sicut cum præscientia diuina de aliquo futuro euentu non stat oppositum euenire, licet stet posse euenire ob contingentiam rei, ita nec cum prædestinatione diuina de aliquo futuro non stet oppositum esse, licet stet potentia in oppositum, ob agentium seruatam adhuc libertatē, quemadmodū perpetuo docuit Augustinus dum simili Massiliensium obiectioni (relatæ in epistolis Hilarij & Prosperi) respondebat libro de prædestinatione Sanctorum & de dono perseuerantiæ, arguens etiam à pari ab eadem præscientia ad prædestinationem, uti & antea præstiterat libro 3. de libero arbitrio à Capite 3. & libro de gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia, ut similes pariter Semipelagianorum Adrumetinorum dubitationes vel querelas compesceret: & præsertim legi potest in tractatu 53 in Ioannem, ubi explicat illa verba, *non poterant credere &c.* qui non erant prædestinati ut crederent. Hinc post editum hoc Prædestinati opusculum intra sæculum quintum, inde ad initium sæculi sexti Divus Fulgentius libro præsertim tertio de Veritate prædestinationis & gratiæ Dei, à Capite 4. incępit (directe contra has Prædestinati obiectiones) hanc veritatem iterum stabilire dicens, *cuius prædestinationis ita manet æterna firmitas, & firma æternitas, non solum in dispositione operum, verum etiam in numero personarum, ut nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat, nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis æternæ perueniat,* & prosequitur per singula sequentia undecim Capita, ut mox suo loco afferemus, etiam subsequentes obiectiones eiusdem Operis Prædestinati dissoluere ac enodare, non sine misterio tamen, dicit *ut nemo perdat &c,* non dicit, *ut nemo perdere possit,* ut intelligeres sic melius explicari cum prædestinatione non simul stare actum oppositum, bene potentiam ad oppositum, propter quod sæculo 9. contra Prædestinianum errorem Gottelschalchi (licet alioquin conaretur, si posset, excusare Gottelschalcum) & ipse Florus Lugdunensis in sermone de Prædestinatione, qui legitur tom. 15. Bibliothecæ fol. 84. sic habet: *Qui dicit, quod hi, qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter euenire non potest, similiter quoque & de iustis, tanquam & ipsi ideo saluentur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Iste hac tam confusè & insulsè dicit,*

&

& illis tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis, ac per hoc quid aliud agit, nisi ut & pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, & his, qui saluantur, sit imposita necessitas salutis? Quæ plane est Prædestinianorum necessitas solam saluans libertatem à coactione non à necessitate. Nec minus id vidit integra ipsa Ecclesia Lugdunensis eodem sæculo in tractatu aduersus Ioan. Scotum Cap. 4. post commiseratam Gotteschalchi fustigationem, subdens. *Quod autem dicit* (Io. Scotus) *præfatum Gotteschalcum prædestinationibus necessitatem & vim inferētem: si ita hoc dicit Gotteschalcus, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim vel necessitatem imponat, ut ineuitabiliter mali sint, & omnino aliud esse non possint, hoc omnino alienum est à fide Catholica.* hæc ibi, quæ si Iansenius attendere voluisset, non ita pro suis Prædestinianis dogmatibus in libro 8. de hæresi Pelagiana Capite ultimo aduocasset in sui fauorem *Ecclesiæ Lugdunensis eruditos libros*, ut ipse loquitur, *pro Gottescalco &c.* Addo iterum eandem Lugdunensem Ecclesiam in alio tractatu posteriori de tribus epistolis Cap. 24. hæc ultro habere de eodem Gottescalco: *Quod vero dixisse firmatur, ad male tantummodo agendum liberum nos habere arbitrium, ad bene vero agendum non habere; si vere ita sensit, & dixit, hoc vere non est ex diuina auctoritate sumptum, neque ex Sanctorum Patrum dogmatibus tractum, sed aperte ex proprio errore prolatum*, & Capite 25. fatetur iterum hunc errorem, *qui extremus ponitur*, iure damnatum in Gottescalco, quo tamen semel dato, & cæterorum articulorum eiusdem Gotteschalchi Prædestinianus sensus habetur. Desinant ergo (vel ipsa fatente Ecclesia Lugdunensi, quæ maximè Gottescalco commiserari videbatur) desinant quidam recentiores cudere pro defensione Gottescalchi Apologias; & agnoscant hunc utique Prædestinianum errorem esse non immerito etiam ab hoc Auctore Prædestinati reprobatum, si in hoc solo reprobando stetisset, & non simul & veram ab Augustino explicatam, prædestinationem æternam Dei secundum consilium & propositum voluntatis suæ reprobare voluisset, ut Semipelagianam suam hæresim sub hoc fuco introduceret.

XI. *Audi Apostolum non Dei præordinationi hoc, sed hominis negligentiæ vel diligentiæ adplicantem: In magna, inquit, domo non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem sunt in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis*

ergo mundauerit semetipsum ab his, erit vas in honore sanctificatum &c. hoc est cum sit vas aptatum ad interitum, si mundauerit semetipsum ab his, erit vas in honore sanctificatum. Tota hæc sinistra interpretatio huius textus Apostoli, qua firmitas diuinæ prædestinationis destrui intendebatur ab ipso Semipelagiano, tota, inquam, exscripta est contra Augustinum ex Iuliano Pelagiano lib. primo operis posterioris Cap. 126. aiente, *hoc totum testimonium tibi repugnat; nam cum alij in honorem alij in contumelium fieri dicuntur, iuvatur sensus Catholicorum, quo secundum diuersitatem voluntatis humanæ, diuersus etiam vasorum exitus prædicatur*, & præter alia, quæ ad hoc habet in Capitibus intermedijs, iterum Capite 135 premit & ipse ea verba Apostoli. *Si quis emundauerit semetipsum ab his &c.* subinferens. *Ecce officium liberæ voluntatis si mundauerit &c. hæc igitur vasa studijs proprijs, aut ad iram, aut ad gloriam præparantur &c.* hæc ille, quibus respondet utrobique Augustinus ibidē in Capite quidem 126. dicens, *si inscrutabilis quæstionis huius solutio ista esset, quam tu sapis, secundum merita voluntatum, tam manifesta esset, & nulla eius difficultate compelleretur Apostolus dicere: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? de non dum natis enim agebatur, quorum non ex operibus, sed secundum propositum suum Deus vnum dilexit, alterum odio habuit: vnde ad hac verba peruentum est, ut de eadem massa, & diuersis vasis, & de potestate figuli Apostolus loqueretur*, & Cap. 134, ubi incæperat Iulianus eadem reasumere Apostoli verba, *si quis mundauerit &c. Ergo*, inquit Augustinus, *ipsa vasa ita se præparant, ut frustra de Deo dictum sit, quæ præparauit in gloriam, hoc enim apertissimè dicis, nec intelligis ita dictum esse, si quis emundauerit semetipsum, ut ostenderetur & opus hominis per voluntatem: sed homo ingrate, præparatur voluntas à Domino, ideo vtrumque verum est, & quia Deus præparat vasa in gloriam, & quia ipsa se præparant: ut enim faciat homo, Deus facit: lege diligenter Ezechielem & reperies Deum facere, ut præcepta eius homines faciant &c.* En refutatam ab Augustino ut Pelagianam hanc interpretationem, quam sibi affricuerunt postea & Massilienses in epistola Prosperi ad Augustinum reiicientes illud, *propositum discretivum*, ab Augustino intentum hic, *ut secundum quod placuit creatori alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati*, & paulo post refugiebant admittere, *Deum secundum propositum & consilium voluntatis suæ occulto iudicio, & opere manifesto, alium vas condere in honorem, alium in contumeliam.*

meliam. Sic & Faustus Rhegiensis lib. 1. de libero arbitrio Cap. 13. *quicunque*, inquit, *duas humani generis massas esse arbitraberis, una sacra ex lectione cognosce: duas autem facit prauitas studiorum, & diuersitas voluntatum*, & clarius Cap. 12. *Audi*, inquit, *Apostolum, quomodo dealbari posse pronunciat maculas conscientiæ, ut de vase iniquitatis vas sanctificationis appareat. In domo, inquit magna vasa sunt &c. Quod si quis ex his se expurgauerit &c.* & fere integra Iuliani verba & ipse transcribit, adeo vulpes in cauda colligatæ erant.

XII. *Prophetia ergo* (Iacob dilexi, Esau autem odio habui) *non de his est, qui secundum carnem nascebantur, sed de duobus populis Iudæorum & Gentilium*, ut scilicet inde non intelligatur Apostolus agere de æterna hominum prædestinatione vel reprobatione, in ordine ad gloriam, sed de substitutione populi Gentilium in populum Dei, loco anterioris populi Iudæorum superbientis de lege sua præ Gentibus &c. ut fusè hic Auctor nititur explicare: Verum & hæc integra cuadentis Semipelagiani explicatio desumpta est ex Iuliano Pelagiano lib. 2. operis posterioris contra Augustinum cap. 131. de eodem Apostoli loco dicentis. [Apostolus itaque Paulus disputans cum quæstionibus Iudæorum, qui generis sui dignitate turgentes dedignabantur coæquari sibi ex Gentibus fideles, & iustitiam Dei commendat & gratiam &c. Comprimit igitur Gentium Magister Iudæorum tumorem, & ostendit, non in seminibus humani generis, sed in moribus esse distantiam &c. siquidem Iacob & Esau una seminis exceptione concepti, & una vi parientis effusi, diuersos nimium exitus pro meritorum diuersitate pertulerunt,] quibus Iuliani verbis eodem lib. 1. in Iulianum Augustinus Cap. 131. statim respondet: [Si secundum Apostolum saperes, non commemorares hoc loco merita Iacob, ubi cum non ex operibus dicit fuisse dilectum, ut commendet gratiam, quæ non secundum merita nostra datur &c. Cum enim, inquit, non dum nati essent, neque egissent aliquid boni aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia major seruiet minori.] Pergit Iulianus Cap. 132. plura dicere pro hac sua eadem præpostera explicatione concludens, *hoc ergo totum agēs conflictu illo cum Iudæis Apostolus, in quibusdam tamen locis ad incuruandam circumcisorum arrogantiam, sub nomine gratiæ de sola Dei prædicat potestate*: quibus postremis Iuliani effugientis verbis Augustinus eodem Cap. 132. reponit: *Ergo incuruandam circumci-*

sorum

sorum arrogantiam, sub nomine gratiæ mentitur seu mentiretur Apostolus, nam Deus (iuxta te *) ex operibus elegit non ex gratia. Quis ita sapiat nisi hæreticus inimicus gratiæ, amicus superbiæ? Clamat vas electionis & gratiæ &c. non ex operibus dilectum esse Iacob, & tu commemoras Iacob opera, ex quibus eum dilectum esse contendis? &c.* & eodem modo prosequente Iuliano pro sua interpretatione tuenda contraria, tum Capite 133, tum 134, pergit eisdem Capitibus & Augustinus eandem ut hæreticam condemnare; velut iam, etiam fatente Pelagio, in Palestino Concilio damnatam, quod *gratia secundum merita non daretur &c.* quam hoc non obstante expositionem Apostoli Faustus iterum libro 2. Capite 6. per totum ausus est promouere. Hinc non miror quidem hunc Auctorem Prædestinati, ut pote Semipelagianum, hanc pessimam intelligentiam ex Iuliano exscripsisse, sed miror longe magis, & Hincmarrum sæculo 9, dum hoc Prædestinati opusculum haberet, ex hoc eodem hanc velut probabilem retulisse (vti & præcedentem adductam num. 11.) in epistola sua examinata deinde ac inde refutata apud Lugdunensem Ecclesiam de tribus epistolis Cap. 32, dum Hincmarrus aiebat: *Proferunt ex Apostolo vasa iræ aptata ad interitum &c. sed aliter alij intelligunt: maximè cum ibidem dicat Apostolus de eisdem vasis: si quis emundauerit se ab istis &c.* En quomodo promptum est ex hoc opusculo Semipelagiano facile aliquos velut pice contingi? Nec minus miror deinde alios ad finem elapsi mox sæculi superioris eodem omnino modo eundem Apostoli locum ad Romanos 9. conatos esse exponere, ut hic Auctor Semipelagiana exponit, quos refert & expugnat robustissime noster Lemos tom. 2. tract. 2. ferme per totum, tum Cap. 6. ex Augustino alibi & ex alijs Patribus, & ex Synodo Valentina canone 3, tum Capite 7. ex toto contextu Apostoli ibidem, quibus omnibus adde tu modo à nobis perpensa hic, scilicet hanc puram putamque fuisse Iuliani Pelagiani falsissimam interpretationem, contra quam præter adducta Augustini verba, iterum idem ipse Augustinus eodem libro 1. in Iulianum operis posterioris Capite 141, quod est ultimum eiusdem libri, ineluctabiliter ex toto contextu eiusdem Apostoli arguit, & ostendit non nisi ab hæretico & gratiæ inimico eam potuisse interpretationem contra intentum Apostoli, introduci, quod cum Lemos non valuerit recensere, ob non vulgatum tunc adhuc hoc opus Augustini, ideo nos non censuimus ommittendum. Ommitto utique, & aliam quorundam

Semi-

Semipelagianorum ridiculam expositionem (ex eadem tamen radice prouenientem) *per vasa contumeliæ intelligi monachos, per vasa honoris sæculares*, quam vide relatam ac refutatam in Diuo Fulgentio libro 3. de veritate Prædestinationis Cap. 20. & tribus sequentibus.

XIII. *Vos enim si voluissetis discere prius &c. non diceretis, quia non omnes homines Deus vult saluos fieri &c.* (& infra mox) *nouum genus blasphemiæ inducentes dicunt, quod Deus non omnes homines vult saluos fieri &c.* Quot vidimus de hac dubitatione tragedias! & tamen, si recolas, quod supra vidimus num. 2. Semipelagianos hunc locum Apostoli ad Timotheum intellexisse de voluntate etiã consequente uniuersaliter & indifferenter in ordine ad omnes, facile intelliges cur contra istos Augustinus ac in hoc sensu de voluntate consequente restrinxerit hoc Apostoli dictum ad solos prædestinatos per duas illas suas iam notas expositiones (quæ alioquin aliquibus non capientibus hoc Augustini intentum difficiles visæ sunt) scilicet vel per distributionem accomodam, ut omnes qui saluantur non nisi Deo volente saluentur, sicut dicimus omnes per viam sanctitatis ire ad Cœlos, quia omnes qui ad Cœlos eunt, non nisi per hanc viam eunt, ut explicat Augustinus lib. 4. in Iulianum Cap. 8. epist. 107, Enchiridio Cap. 103, de prædestinat. Sanctorum Cap. 8, & ex eodem Augustino Prosper ad Rufinum, Fulgentius de incarnatione Cap. 31. Petrus Diaconus libro de incarnatione Cap. 7. & Anselmus in epistolam primam ad Timotheum Cap. 2. vel de distributione non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ut explicat idem Augustinus serm. 37. de diuersis Cap. 3. de correptione & gratia Cap. 13, Enchiridio Cap. 103; facile, inquam, cur has duas restringentes explicationes Augustinus adhibuerit, intelliges, si ob oculos teneas hæreticum sensum Semipelagianorum, qui hoc dictum uniuersaliter etiam de voluntate consequente intelligebant, contra quem sensum directe & merito Augustinus loquebatur, ut bene vidit & Lemos noster tom. 2. tract. 2. Cap. 14. At vero absolute loquendo, & intelligendo hoc dictum de voluntate vel signi, vel antecedente, (quas pro eadem voluntate antiquitus aliqui accipiebant, ut patet etiam ex Alensi, & Diuo Bonauentura, & Scoto sic accipientibus in 1. dist. 46.) non solum Augustinus non restrinxit, sed concessit expresse uniuersaliter hoc dictum in ordine ad omnes homines verum esse, de voluntate quidem signi (quæ ab

effectu

effectu in nobis causato velut à signo dignoscitur) dum inquit, *sic velle, quia facit ut nos velimus*, ut legi potest Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei Cap. 2; libro de correptione & gratia Cap. 15, & alibi, quam in hoc sensu explicat & S. Thomas & Caietanus in eundem locum Apostoli ad Timotheum, & quam ipse Augustinus accepit pro eadem voluntate antecedenti, vel per vnam comprehendit & implicite alteram, unde in epistola 107. expresse ita priores adhibet contra Semipelagianorum intentum explicationes, ut quãcunque aliam Catholicam, ab eodem intento & errore distinctam ac separatam, explicationem approbet, & permittat consequenter & istam, dicens, *quod dictum est omnes homines vult Deus saluos fieri, ideo dictum est, quia omnes, qui salui fiunt, nisi ipso volente non fiunt, & si quo alio modo illa verba Apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus, sed Deo nolente, saluos non fieri, contraria esse non possint.* Quid clarius pro suo exponendo intento dumtaxat aduersus Semipelagianorum intelligentiam hæreticam, dicere poterat Augustinus? Quod vidit utique acutissimè S. Thomas, qui in par. 1. qu. 19. Art. 6. ad primum, dum hac de causa, post duas priores Augustini explicationes, statim adiunxit tertiam (nec alias addidit) de voluntate vniuersali antecedente, ut in hac simul comprehenderet, tum quam Augustinus hic permittebat, tum quam alibi idem Augustinus videbatur per voluntatem signi explicare, quemadmodum & eodem modo omnino cum Augustino processit Ecclesia Lugdunẽsis in libro de tribus epistolis Cap. 12, post præadductas priores Augustini interpretationes, & refutatam simul hinc absurdam Semipelagianorum intelligentiam, subiungit & istam dicens. *Ita sit etiam, si secundum pium quorundam Patrum piorum sensum Deus omnes homines vult saluos fieri, bonitate creatoris, qua creaturam suam bene à se conditam perire non vult*, en voluntatem antecedentem à S. Thoma explicatam, pergit de voluntate consequente, *idipsum iterum nolit iudicis æquitate*, voluntate scilicet attendente postea omnes circumstantiis obiecti, *ut per prophetam etiam dicit. Viuo ego, dicit Dominus quia nolo mortem impij, sed ut reuertatur à sua impietate & viuat. Et tamen ipse, qui non vult mortem impij, perseuerantem in impietate sua impium proculdubio punit, & punire vult*, eandemque doctrinam confirmat in alio tract. de tenenda veritate scripturæ Cap. ad 3. Capitulum, in quo utique sensu de voluntate

antecedente intellexerat etiam hunc locum Apostoli ex Augustini discipulis Prosper expresse libro 1. de vocatione Gentium Cap. 12, & in responsione ad obiectiones Vincentianas ad secundam, & nedum Chrysostomus & Hieronymus in eundem locum Apostoli, Athanasius lib. 3. de Assumptione, & alij Patres, ut non immerito sed iustissime damnata sit ea Iansenij propositio, quæ negabat hanc tertiam expositionem, nec immerito hic Auctor Prædestinati id negantes reprehendat; cum tamen iste relabatur, (ut constat ex eiusdem contextu dicente, *omnes homines vult Deus, non tamen omnes homines Deum volunt &c.*) in absonam alteram Semipelagianorum intelligentiam, quam semper inuehere contra Augustinum & Augustini discipulos ijdem Semipelagiani conabantur, ut videre est apud Prosperum, & Hilarium in epistolis ad Augustinum, & quam ideo semper Augustinus reijciebat, ut legi potest lib. 4. contra Iulianum Cap. 8. epist. 107, in Enchiridio Cap. 97, de prædestinatione Sanctorum Cap. 8, & inde Prosper epistola ad Rufinum, Fulgentius de incarnatione & gratia Cap. 29. & alij passim, qui contra eosdem Semipelagianos scripserunt.

XIV. *Hos ergo gentium populos præsciuit, ut diximus, quod filium suum, quem Iudæi crucifixuri erant, sincero corde susciperent, & ut decebat Dei filium adorarent. Quos ergo præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui &c.* Hic prodit hic auctor Prædestinati sensum suum Semipelagianum, de prædestinatione ad gratiam ex præuiso merito fidei inchoatæ saltem ex sola libertate arbitrij, quem sensum pariter sumpsit ex Iuliano Pelagiano relato apud Augustinum libro 4. contra Iulianum operis prioris Cap. 8. nec non passim in libro primo operis posterioris, ut legenti patebit, & libro 2. Cap. 155, ubi inquit, *aduertatur promissionem, quæ facta est ad Abraham ob remunerationem fidei eius &c, ostendisse, non ita solum credulitatis recepisse mercedem, ut alios similiter credentes à præmij consortio putetur excludere*, cui Augustinus respondet ibidem: *Dicite nobis, si noluissent gentes credere, euacuareturne promissio, quæ facta est ad Abraham? Non, inquis: Ergo ut Abraham ob stipendium fidei consequeretur promissam dilatationem seminis, præparata est gentium voluntas à Domino; & ut vellent, quod & nolle potuissent, ab illo factum est, qui ea, quæ promittit, potens est & facere*, & Capite 156, cum Iulianus dixisset, *eam promissionem non ablutioni tributam fuisse sed moribus*, Augustinus reponit. *Hos mores, quos proculdubio*

bonos vis intelligi, si ut putatis homo sibi faciat, prædicere ista debuit Deus præsciens, non promittere, ut non de illo in hac causa ab Apostolo diceretur, qua promisit, potens est & facere, sed qua præscivit, potens est & prænuntiare &c. Nec minus post Iulianum (ut omittam Pelagij similia dicta relata superiùs num. 2, & Origenis lib. 7. in epistolam ad Romanos, qui Pelagianorum præcursor fuit) post Iulianum, inquam, sequuti sunt Massilienses in epistola Prosperi ad Augustinum aientes, *qui credituri sint &c. præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse*, & in epistola Hilarij, *ut quem crediturum esse præscivit, ipsum elegerit*, quorum errorem Augustinus refellens in libro de prædestinatione Sanctorum fatetur se ante Episcopatum in eodem errore fuisse in Cap. 3. dicens, cum similiter *erraren putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona &c.* quem se retractasse subiungit, & impugnare prosequitur vsque ad Caput septimum, & iterum Cap. 9. verbatim damnans huius auctoris Prædestinati consimilem propositionem, prout in sensu Semipelagiano intelligitur, & de hoc adeo plura habētur ibidem, sicut & epist. 107 ad Vitalem contra eundem omnino in Vitali errorem, ut superfluum sit immorari in prolixiori huius erroris examine aut damnatione, satisque sit consulere Ioannem Maxentium in libello responsiuo (qui legitur tom. 9. Bibliothecæ) contra Faustum, ubi exscriptis ex eodem libro Augustini mox laudato probationibus euidenter demonstrat & hunc in Fausto errorem hæreticum esse, eiusdemque libros etiam ex hoc capite reprobatos esse, uti & contra Collatorem prosequebatur Prosper Cap. 3. legendus.

XV. *Pro omnibus nobis tradidit eum. Nota tibi, Prædestinate, quid dicat, sed pro omnibus tradidit eum*, scil. Christum pro omnibus mortuum &c. Et hæc non minus obiectio in eo sensu Semipelagiano de voluntate etiam consequente in ordine ad omnes, qua æqualiter Deus incarnatus voluerit omnibus & efficaciter non minus reprobis, quam prædestinatis, suæ passionis adplicare effectum, ex Iuliano Pelagiano mutuata est, libro 2. operis posterioris Cap. 96, ubi contra Augustinum id negantem hoc sibi deducere videbatur ex uniuersalitate pariter nocumenti originalis Adæ peccati in omnes, qua non minor uniuersalis in efficacia passio Christi in ordine ad omnes homines esse debere videretur. *Apostolus enim aixit in plures abundasse donationem Christi ad salutem, quam Adæ culpa*

no-

nocuisset. Ita Iulianus, uti & prosequitur Cap. 97, & 98, & iterum Cap. 101. inde intentum suum concludens. *Apostolus dixit magis gratiam Christi, quam Adæ abundasse culpam, non igitur natura ab eo, non generatio, non fæcunditas, sed voluntatis electio, morum prauitas accusatur*, idest æquè vniuersaliter efficax est voluntas Christi ut patientis pro omnibus, nisi ipsi sua praua voluntate obstiterint, ac vniuersaliter efficax fuit iuxta Pelagianos exemplum Adæ peccantis, ut omnes eum imitarentur, nisi suo libero arbitrio à peccando abstinere maluissent &c. Augustinus autem eodem libro 2. in Iulianum operis posterioris Cap. præsertim 96 sic breuissimè respondebat: *Non hoc dixit Apostolus, sed dixit: multo magis abundauit gratia in multos; hoc est, magis abundauit, non in magis multos, idest non in plures, sicut iam responsum est. Nec enim* (ut subdit Cap. 97.) *solum originalis peccati reatum gratia Christi dimittit, alioquin tantum valeret, sed cum ipso dimittit & cætera, quæ homines male viuendo insuper addiderunt. Ergo plus valet &c.* ut prosequitur explicare. Nec solius Iuliani Pelagiani prædicta praua intelligentia fuit de uniuersali etiam consequente & efficaci voluntate applicatiua passionis Christi pro omnibus, verum etiam Pelagii antea fuerat in epistolam ad Romanos Cap. 8. num. 54. aientis in hoc sensu Christum mortuum esse &c. *pro omnibus non pro aliquantis*. Contra hunc sensum igitur Pelagianum, & ne dum Semipelagianum, inuenitur alicubi Augustinus hanc vniuersalitatem restrinxisse, loquendo de voluntate consequente, ut in superiori numero 13. expensum est; at loquendo absolute de voluntate altera antecedente & sincera Dei & Christi in ordine ad omnes, nunquam vel Augustinus vel eius discipuli (quidquid Iansenius perperam contendat lib. 3. de gratia Christi Cap. 20. per totum) nunquam inuenientur negauisse Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut suã in ordine ad omnes noluisse sustinere passionem ac mortem, imo hanc uniuersalitatem expresse asseruit, tum Augustinus tractatu 1. in epistolam Ioannis, & tractatu 5. in eandem, & tract. 2. & 4. in Euangelium Ioannis, tract. 12, 47, 55, 68, 87, in eundem Ioannem de Simbolo ad Catechumenos Cap. 8, libro de natura & gratia Cap. 67, in psalmum 18, lib. 6. contra Iulianum prioris operis Cap. 4. & alibi, tum Prosper ad obiectionem secundam Vincentianam, & libro 2. de vocatione Gentium Cap. 16, & inde alii Patres, ut Epiphanius hæresi 55, Ambrosius serm. 8. in psalmum 118, & cum

alijs SS. Patribus, quos fuse refert Hincmarrus libro de Prædestinatione Capite 28. & 33, Tridentinum sess. 6. Cap. 2. & 3. Neque unquam oppositum sensit vel Synodus Valentina vel Ecclesia Lugdunensis (quas prò se Iansenius adglomerat) vel alijs locis Augustinus, vel Prosper, vel Fulgentius ab eodem congesti, qui solum aduersus præallatum Semipelagianorum sensum loquuti sunt, quem utique perperam hic & iste Prædestinati Auctor intendebat, nec alia addere necesse est, præter iam adnotata in numero 13. mox ante, & præter hoc, quod videri potest & Lupus Ferrariensis in 1. Collectaneo de tribus quæstionibus versus finem simul cum Ecclesia Lugdunensi dicens, *se libenter in hanc sententiam transire, quod Christus dicatur pro omnibus mortuus &c.*

XVI. *Vnde probatis, quia non omnes vocat Deus ad gratiam suam? &c.* Et hoc conuenit cum præallatis Iuliani principijs, iuxta quæ pariter Massilienses in epistola Prosperi asserebant, *ad salutis donum omnes homines uniuersaliter, siue per naturalem, siue per scriptam legem, siue per Euangelicam prædicationem vocari*, & in carmine de ingratis Cap. 6. *Dominique vocantis*

Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua proprioque vigore venire.

Clarius iterum, *ut cunctos vocet illa quidem incitetque nec ullum preteriens studeat communem afferre salutem omnibus &c. Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti.*

Nec agnoscebant eam duplicem vocationem, quam verbatim distinxit non semel Augustinus, alteram quidem correspondentem voluntati Dei antecedenti erga salutem omnium hominum, alteram voluntati consequenti, qua specialiter vult & efficaciter prædestinatis salutem. Vnde, inquit Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum Cap. 16. *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes, quibus Christus stultitia est, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens &c.* & Cap. 17. *Quos ergo prædestinauit, ipsos & vocauit, illa scilicet vocatione secundum propositum &c.* Inde Prosper huic Auctori Prædestinati respondens ad secundam obiectionem Vincentianam concludebat. *Sincerissime credendum est Deum velle, ut omnes homines salui fiant, remota tamen discretione*

scretione (scilicet à qua illa voluntas præscindit) *quam discretionem diuina scientia intra secretum suæ iustitiæ continet.*

XVII. *An ipse Deus non vult eos vocare? an vult & non potest? an non merentur? si vult & non potest, blasphematur impotens; si potest & non vult, videtur iniquus; si quia ipsi non merentur, Ergo gratia non est gratia, sed res meriti humani est ipsa vocatio &c*, & cum non admittatur gratia ex meritis, subdit, *Ergo si gratia est & non meriti* (scilicet ipsa vocatio) *quomodo vos dicitis aliquos non vocari, quia sunt eius vocatione indigni? Si enim nullus ex suo merito vocatur, sed ex dono gratiæ Dei, & alius vocatur, alius recusatur, personarum Deus blasphematur acceptor.* Hic iam incipit hic auctor arietare in gratuitam vocationem & gratiam præsertim victricem, quam ubique tutabatur Augustinus, & Massilienses econtra ideo refugiebant, ne exinde cogerentur admittere & illud propositum electivum & discretivum in prædestinatione diuina, ut testatur Prosper de eisdem in epistola ad Rufinum dicens: *ab hac autem confessione gratiæ Dei quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint &c. etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum &c. certus apud Deum definitus sit numerus prædestinati populi in vitam æternam & secundum propositum Dei vocantis electi:* Licet autem hæc integra istius Auctoris obiectio soluta habeatur in libro de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ, scriptis ab Augustino ad hunc finem, ut similes Massiliensium enodarentur instantię; placet tamen audire Petrum Diaconum & D. Fulgentium, qui ad initium subsequentis sæculi sexti scribentes, dum fere eiusdem hujus obiicientis Auctoris verba reasumunt, ac repellunt, sine dubio videntur hoc idem tunc opusculum perlegisse. Itaque Petrus Diaconus libro de incarnatione & gratia Cap. 7. hæc habet, post stabilitam victricem gratiam cum Augustino. *Sed dicunt: si nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est, qui naturaliter, ut dicitis, possit credere in filio Dei, aut aliquid boni velle, quod pertineat ad vitam æternam, cur ergo non facit omnes velle, cum non sit personarum acceptio apud Deum &c. Aut enim vult & non potest Deus, aut mentitur scriptura diuina, quod velit omnes homines saluos fieri. Quod si horum quodlibet sentire est impium, restat, ut non ille excitet voluntatem humanam* (seu faciat velle) *sed expectet eam ab homine, ut æquum sit in volentibus præmium, in nolentibus autem iusta damnatio.* Audi modo solutionem huius obiectionis ibidem: *Hæc si*

ita sunt, ut Hæretici iactitant, ab ipsis comprehensa sunt inscrutabilia & incomprehensibilia iudicia Dei, & prosequitur plurima pro solutione, mutuata etiam ex Augustino libro de dono perseuerantiæ Cap. 8. quæ hic non vacat exscribere, consulenda in eodem. Similiter D. Fulgentius libro de incarnatione & gratia Christi post plura præmissa de gratia contra eosdem hæreticos Semipelagianos, inde in Capite 21. inquit. *Miramur autem quosdam dicere: si volentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est, qui naturaliter possit credere &c, cur ergo non facit omnes velle, cum non sit personarum acceptor Deus: Ex quibus verbis apparet eos minus considerare, quod dicunt: Personarum acceptio apud Deum tunc esset, si, quemadmodum isti volunt, in quolibet hominum aliquod inueniret Deus bonæ voluntatis initium: Cum autem in nullo bonam voluntatem inuenit, sed eam gratis, cum ipse voluerit, ipse concedit, agnoscitur nulla esse personarum acceptio, quando gratuita est donantis in unoquoque largitio. Quod autem dicunt, cur non facit omnes velle. Itane vero in nemine hoc facit, quia non in omnibus facit? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* & cætera plura in eodem legenda subiungit, quæ nimis longum esset transferre in hunc locum. Sed ante omnes hanc difficultatem Semipelagianorum præuenit, ac soluit Augustinus (præter alia plurima loca) breuissime epistola 107 ad Vitalem (qui in eodem errore erat) sic dicens: [Quomodo in hac re merita pensantur humanæ voluntatis, quando quidem illis, quibus gratia ista non datur, nullo plerumque merito, nulla voluntate distantibus, sed similem cum eis, quibus datur, habentibus causam, iusto tamen iudicio Dei non datur? Non est enim iniquitas apud Deum, ut intelligant quibus datur, quam gratis eis detur, quando iuste vtique non daretur, quoniam similem habentibus causam iustè non datur &c.] Vide & hanc obiectionem omnino adhibitam à Iuliano lib. 1. operis posterioris Cap. 39. & 40, & ibidem ab Augustino intortam cōtra ipsum de parvulis, quorum aliquos & Pelagiani dicebant Deum velle adoptari, alios non.

XVIII. *Dicit ipsum Deum prædestinasse quod punit, ipsum, ut fieret, constituisse quod prohibuit*, scilic. peccatum, ut creditus Euodius in epistola aiebat, *Deum prædestinasse homines siue ad iustitiam siue ad peccatum*, & hanc blasphemiam (si de peccato præsertim proprè Euodius intellexisset) non immerito hic Auctor Prædestinati

pro-

prolixe insectatur ac damnat. Sed respondebat ad hoc Divus Prosper illis breuissimis verbis in sua præfatione ad obiectiones Vincentianas: *Blasphemias, quas perspexerint nostra professione damnari, in earundem Repertoribus censeant debere puniri*, & fuse à discipulis Augustini hanc imputatam calumniam arcebat D. Fulgentius integro fermè libro primo ad Monimum consulendus, nec aliud remanet de hoc addendum præter ea, quæ supra in numero 7. prætacta sunt, & præter ea, quæ legi possunt in Diuo Anselmo libro de concordia Cap. 1. versus finem, ubi acutissimè distinguit etiam inter materiale & formale peccati, solum primum admittens quatenus ens pure formaliter est, à primo ente pendere in esse, secundum vero dumtaxat in causam secundam defectiuam refundit, ut distinctissimè facit & tuetur etiam noster Angelicus in 2. Sententiarum dist. 37. q. 2. art. 2. legendus.

XIX. *Si enim ita est, ut unus quisque hoc sit, quod prædestinatus est, cessat lex, cessat sacerdos, cessat deuotio populi &c. nullus genu curuat Deo, nullus benedictionibus inclinat caput, clauduntur apices Dei, atque vniuersa simul virtutum studia euanescunt.* Hanc eandem, quam hic fere exscribit Auctor iste, refert ex Iuliano Pelagiano objectionem ac refellit Augustinus libro 4. in Iulianum operis prioris Capite 8. ita scribens. *Calumniaris me dicere, nihil studij expectari ab humana voluntate debere, contra illud Euangelicum, quo ait Dominus: Petite & accipietis &c.* Nec minus Massilienses in epistola Prosperi alebant, *hoc propositum Dei &c. & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre*, quibus præter iam scripta antea in duobus libris de gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia ad Adrumetinos, & sermone 13. de verbis Apostoli Capite 12. & alibi, respondit iterum alijs duobus libris ad Hilarium & Prosperum de prædestinatione Sanctorum & de dono perseuerantiæ, ut singula peruia sunt. Directe autem post repetitum atque vulgatum intra sæculum quintum hoc Prædestinati opusculum, iterum ad hoc idem respondit, tum Prosper eodem sæculo 5. libro 2. de vocatione Gentium Cap. 34, 35. & 36. (ut vel titulum istorum Capitum legenti patebit) tum auctor Hippognosticon (quem Sixtum diximus aut Mercatorem) libro 3. versus finem dicens. [Ergo; inquies, damnas opera liberi arbitrij &c. Audi hæreticè stultè & inimicè fidei veritatis. Opera liberi arbitrij bona, quæ ut fiant præparantur per gratiæ præuentum, & ipsa faciente &c. non

da-

damnamus &c. Damnamus vero authoritate diuina opera liberi arbitrii, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquam meritis in Christo iustificari homines extolluntur (& paulo post) Sed ais mihi, & nullum est prorsus meritum propriæ voluntatis? Si discernas inter voluntatem & gratiam, est.] Et longe plura prosequitur lib. 6. directe magis respondens, ut diximus, huic Auctori operis Prædestinati. Iterum postmodum ad initium subsequentis sæculi sexti D. Fulgentius lib. 3. de veritate Prædestinationis & gratiæ Capite 6. respondit. *Pessimum autem est*, inquit, *dicere quia si est prædestinatio non debemus orare nec vigilare &c. cum vtique illa gratia, quæ nobis diuina prædestinatione præparata fuit, adhoc diuinitus nobis detur, ut vigilemus & oremus &c.* & post consumptum ad hoc illud integrum Caput, in Capite subsequenti 7. de hoc iterum pergit, *non ergo dicendum est* (ait) *si prædestinati sumus, nec vigilemus, nec oremus &c.* & prosequitur etiam per plura Capita subsequentia, & ne longior sim, omittamque vel ab Ethnico Cicerone in libro de fato hoc argumentum non dissolui solum sed despici, dum illud vocatum esse ait, *ignauorum argumentum*, sileamque tot alios post Augustinum Ecclesiæ Patres, vnus sufficit Gregorius Magnus libro 1. Dialogi Cap. 8. sapientissime hæc scribens: *Licet obtineri nequaquam possint, quæ prædestinata non fuerint; ipsa tamen perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit ipse donare*, quæ & S. Thomæ & aliorum Scholasticorum communis etiam de præscientia, ac necessaria, explicatio est, quemadmodum de præscientia apposite in Massilienses retorquebat Augustinus libro de dono perseuerantiæ Cap. 15, & 21. & 22. & tractatu 53. in Ioannem (ut exscribit & approbat etiã Amulonius in epistola ad Gottescalchum) uno ictu quo ad hoc, & Semipelagianam superbiam, & Prædestinianam vecordiam præueniebat, ac refellebat his verbis. *Quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam; quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia seu diffidentia deiecit in negligentiam. Illi dicunt: Vt quid rogamus Deum, ne tentatione vincamur, quod in nostra est potestate? Isti dicunt: Vt quid conamur bene viuere, quod in Dei est potestate? O Domine, o Pater, qui es in Cælis, ne nos inferas in quamlibet istarum duarum tentationum*, & prosequitur utrumque errorem refutare &c.

XX. *Non ergo, sicut vos putatis, Cain imitatus est Paulus; sed zelo*

lo Dei ductus Heliam sequutus est. Dum scilicet *æmulator paternarum traditionum*, ut ipse loquitur Paulus ad Galatas, *persequebatur Ecclesiam Dei*, & contendit hic Auctor tunc Paulum, etiam post mortem Christi, ex ignorantia agentem in persecutione Christi & Ecclesiæ Christianorum nullum peccatum commisisse, ut fuse explicare conatur. Sed hic fuit Pelagianorum error damnatus in Synodo Palestina, quod etiam ignorantia vincibilis, dummodo non directe volita, inculpabilis esset. Sic enim hic error Pelagianorum legitur apud Augustinum recitatus libro de gestis Pelagij Cap. 18. *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eueniunt, &c.* idest non directe volita sunt, & de eisdem Pelagianis in hoc sensu aiebat idem Augustinus epist. 105. ad Sixtum: *Humana superbia, tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij, excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis, est quod peccat*, quod tamen ibidem refellit ex illo Apostoli ad Romanos 2. *quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*, & hinc lib. 2. de peccatorum meritis Cap. 2. ex hoc Pelagianorum dogmate, velut arguendo ad absurdum, infert, *vnde fit consequens, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc est, ne tentatione vincamur, vel cum fallit & præoccupat nescientes, vel cum premit aut urget infirmos*, & libro 3. ad Bonifacium Cap. 2. iterum refellit ex illo loco Euangelij, *si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, consequenter nec Paulus excusabilis post aduentum & mortem Christi, unde infert Augustinus. *Non enim peccatum antea non habebant, sed ipsam voluit hic intelligi diffidentiam, qua nec præsenti & loquenti crediderunt*, uti & explicat epistola 50. in fine, & tractatu 89. in Ioannem, & demum ipsemet Paulus de seipso confessus est (ut expendit, credo, contra hunc Auctorem D. Fulgentius libro 2. de veritate Prædestinationis Cap. 15.) in 1. ad Timotheum 1. dicens. *Qui prius blasphemus fui, ac persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consequutus sum.* Vides ergo, quantum & in hoc erret cum Pelagianis Auctor hic per integram ferme paginam, in qua de hoc verbosissimè differit, & errat absurde, dum de hoc ipso discipulos Augustini arguebat erroris, & criminis reos in Apostolum Paulum.

XXI. *Consensum dico, in quo consentimus medico, qui nos gratis curare volens clamat ad nos quotidie: Venite ad me omnes &c. Ideo audis vocantem, ut te exhibeas respondentem.* Ita & Iulianus Pela-

gianus libro 1. operis posterioris Cap. 94. aiebat, *ad huius gratiæ, idest diuinæ beneuolentiæ, quæ rebus causam dedit, plenitudinem spectauit, ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis &c. pollicens, quin si voluissemus deinceps voluntati eius obedire, vnigeniti sui præstaret nos esse cohæredes:* Cui Augustinus ibidem respondet: *Homo Pelagiane, charitas vult bonum, & charitas ex Deo est, & non per legis litteram, sed per spiritum gratiæ. In hoc est prædestinatis adiutorium littera, quia iubendo & non iuvando, admonet infirmos confugere ad spiritum gratiæ, si lege legitimè utantur, quibus bona est, idest utilis; alioquin per se ipsa littera occidit, quia iubendo bonum, & non largiendo charitatem, quæ sola vult bonum, reos præuaricationis facit.* Quod totum definitum est in Synodo Carthaginensi Cap. 4. ut recitatur etiam in epistola Cælestini ad Episcopos Galliæ, Capite 10. & in Arausicana secunda Canone 21, & demum in Tridentina sess. 6. de iustificatione &c. præter alia, quæ habet eodem libro Augustinus Capite subsequenti 95. contra prauam eiusdem Iuliani explicationem de gratia solum *cooperante ipsi libero arbitrio*, non operante &c. Solam igitur vocationem excitantem hic Auctor Prædestinati cum Semipelagianis agnoscebat, ut ex contextu etiam immediate sequenti colligitur, totum *consensum* reducens non in gratiam operantem, sed in liberam nostram voluntatem, quemadmodum omnino disserebant & Massilienses tum in epistola Prosperi ad Augustinum aientes, *Deum eos prædestinasse, quos gratis vocatos* (Nota) *gratis vocatos dignos futuros electione & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit*, tum in epistola Hilarij: *Alij autem ad id referunt, ut ex his eam gratiam accipiant commendari, qua vnusquisque post voluntatem iuvatur, vel ad ipsam vocationem, quæ præstatur indignis.* Neque ad rem valere eam similitudinem medici vocantis ad se infirmos, qui venire velint, respondet optime cum Augustino auctor Hippognosticon lib. 3. ab exemplo Samaritani, qui *venit secus saucium non surgentem & currentem, & alligauit vulnera eius, & imposuit in iumentum suum in adiutorium videlicet gratiæ &c.* & ab exemplo pastoris & ouis, *quæ cum errasset non sponte rediyt sed à pastore requisita in humeris reportata est.* Vt prosequitur eandem similitudinem & Fulgentius libro de incarnatione Cap. 22.

XXII. *Si salus Dei non voluntati hominis obtemperat sed anticipat gratia Dei voluntatem hominis, ostendite nobis, quis nolens consecutus sit baptismatis sacrosancta mysteria &c.* & infra. *Voluntas*

homi.

hominis non est vana &c. Ita fermè verbatim & Iulianus Pelagianus lib. 1. operis posterioris Cap. 95. (ut mox prætangebam) aiebat : *Bona itaque voluntati innumeras adiutorij diuini species adesse non negamus, sed non ita, ut per adiutorij genera aut subijciatur aut fabricetur, quæ fuerat arbitrij destructa libertas*, (ut Augustinum dicere supponebat destructum liberum omnino arbitriũ ex Adæ præuaricatione) *aut aliquando ea exclusa vel boni vel mali cuiquam necessitas credatur incumbere, verum ut arbitrio libero omne adiutorium cooperretur* : Cui Augustinus statim ibidem respondet: [Si non præuenit ut operetur eam, sed prius existenti voluntati gratia cooperatur, quomodo verum est; Deus in nobis operatur & velle ? quomodo præparatur voluntas à Domino? quomodo charitas ex Deo est, quæ sola vult beatificum bonum ? aut si scientia legis & eloquiorũ Dei charitatem operatur in nobis, ut non per donum Dei, sed per nostræ voluntatis arbitrium diligamus (quod esse diligendum Deo docente cognoscimus) quomodo res minor ex Deo nobis est, & maior ex nobis ? &c. Sic non sapiunt nisi noui hæretici, & gratiæ inimici]. Hinc non cooperantem solum sed præuenientem gratiam semper Augustinus requirebat, tum epistola 106. ad Paulinum, quę ideo Massiliensibus displicebat, & libro de dono perseuerantiæ C. 21, de nostra voluntate in ordine ad gratiam dicens, *comitante, non ducente, pedisequa, non præuia voluntate*, tum epistola 107. ad Vitalem, *ista est*, inquit, *quæ inter nos agitur, quæstio, vtrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planius id loquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam etiam hoc Deus efficiat, ut velimus*. & iterum in eadem epistola; *gratia Dei*, ait, *præuenit hominis voluntatem bonam, nec eam cuiusquam inuenit in corde sed facit*, tum libro de gratia & libero arbitrio Cap. 17. hinc clare distinguens gratiam operantem à cooperante, his verbis, [quis istam & si paruam dare cœperat charitatem nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit quod operando incæpit ? quoniam ipse operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus certus sum, quoniam qui operatur in vobis, opus bonum perficiet &c. Vt ergo velimus sine nobis operatur : cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperãte cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.] Nec tamen inde ullo modo lædi, sed iuvari liberum arbitrium (ut

perperam hic Auctor inserebat scilicet, *vanam esse hominis voluntatem*, uti & Iulianus contra Augustinum cap. 94. & alibi sæpe pessime deducebat) constantissime semper defendit & optime explicauit idem Augustinus, tum toto ferme illo libr. 1. in Iulianum operis posterioris, tum libro 3. eiusdem operis Cap. 122. & 125. tum libro 5. Cap. 8. & sequentibus, tum eadem epistola 107, tum libro de gratia & libero arbitrio Cap. 14, tum alibi, tum post vulgatum hoc Prædestinati opusculum, ne dum Prosper & Mercator sæculo 5. directe respondentes eidem, verum etiam paulo post Fulgentius libro 3. de veritate Prædestinationis & gratiæ à Capite 8. & libro de incarnatione & gratia Capite 20. versus finem.

XXIII. *Maior quidem est gratia Dei quam voluntas hominis: sed prior est voluntas hoc loco*, scilicet in consentiendo voluntariè ipsi vocationi excitanti & vocanti, *quam gratia. Illa merito precedit hac ordine.* Sic iste fatetur vtique gratiam priorem prioritate dignitatis, dum ipsa vocat solum ad bonum, priorem tamen fingit econtra voluntatem nostram prioritate causalitatis & efficientis, ut ista prior incipiat suum consensum ad vocationem. Quod quis non videat esse integram Semipelagianorum positionem? Sic enim (preter mox ante adducta similia omnino ex Iuliano) tenebat, cum esset Semipelagianus, ipse Vitalis, ut in ipso notat Augustinus epist. 107. ad eundem dicens. [Cui doctrinæ Dei, si homo consentit, inquis, quod in eius libero arbitrio constitutum est, recte utique dicuntur ab illo dirigi gressus eius, ut viam eius velit, cuius doctrinam suasione præcedente, subsequente consensione, sectatur, quod libertate naturali si vult facit, si non vult non facit, pro eo, quod fecerit, præmium vel supplicium recepturus. Hæc est illa Pelagianorum mala, & male diffamata, meritoque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari, in Orientalium Episcoporum iudicio damnata sententia &c.] Sic omnino in hoc sensu & Massilienses oretenus concessisse gratiam præuenientem, quam tamen in re in consentiendo creata voluntas antecederet, testatus est Prosper in Epistola ad Augustinum de eisdem dicens. *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem non præuiam humanorum volunt meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea gratia secundum suam phantasiam non negant esse præuentas*: vnde, ut paulo post subdit, *priorem volunt obedientiam esse quam gratiam, ut initium salutis* (scilicet in actu exercito consentiendi) *ex eo, qui saluatur, non*

ex

ex eo credendum sit stare, qui saluat &c. Ita id reasumens Augustinus & eidem Prospero respondens in libro de prædestinatione Sanctorum, postquam Capite 1. præmiserat, *peruenisse istos etiam, ut præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur*, quatenus tamen aiebant, hanc præuenientem gratiam in actu exercito consensus antecedi e contra à voluntate, ut v. g. veritati fidei propositæ credatur &c. inter plura alia, quæ contra hoc habet in eodem legenda, in fine Capitis secundi sic dicit, *nolens ergo* (scilicet homo Semipelagianus) *nolens his tam claris testimonijs repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse, quod credidit, homo quasi componit cum Deo, ut partem sibi vendicet, atque illi partem relinquat, & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo, quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum*, quibus verbis Augustinus, ita contradicit etiã simili assertioni Fausti Rhegiensis (inquit Ioannes Maxentius in suo libello responsiuo) *ut credas eum iam tunc non nisi contra scripta Fausti respondere.* Vt autem videas, quomodo & ista positio, tum Semipelagianorum, tum huius Auctoris Prædestinati, ex Iuliano Pelagiano desumpta sit, audi eundem Iulianum lib. 3. operis posterioris Cap. 116. aientem, *adsunt adiutoria gratiæ Dei, quæ in parte virtutis nunquam destituunt voluntatem, cuius licet innumeræ species sint, tali tamen semper moderatione adhibentur, ut nunquam liberum arbitrium loco pellant, sed præbeant adminicula* (Nota id quæso) *quam diù eis voluerit inniti*, scilicet humana voluntas, *cum tamen non opprimant reluctantem animum; inde quippe est, quod sicut alij ad virtutes à vitijs ascendunt, ita etiam alij ad vitia à virtutibus relabuntur.* Hæc Iulianus præformans hæresim Semipelagianam, quibus ibidem inter alia Augustinus respondet. *Non tamen qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hoc est autem incrementum, ut vnusquisque obediat præceptis Dei; quod non fit, quando vere fit, nisi charitate &c. Istam charitatem non dat nisi Deus, Charitas enim ex Deo est: hanc vos inter adiutoria gratiæ, quæ plura commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipsum, quod obedimus Deo* (seu consentimus vocanti) *eius esse gratiæ concedatis. Putatis quippe isto modo auferri voluntatis arbitrium, cum hoc quisquam facere nisi voluntate non possit: sed quod non vultis, præparatur voluntas à Domino &c.* Videatur deinde Petrus Diaconus de incarnatione & gratia Capite ultimo, ubi contra hunc errorem plura decreta Pontificum & Conciliorum adducit,

&

& D. Fulgentius de incarnatione pariter & gratia Christi Cap. 17. 20, & sequentibus, & iterum Capite 30. & lib. 2. de veritate Prædestinationis Capite 6. & sequentibus, vniuersim enim subsequentes Patres in hunc errorem inuecti sunt, eumque exertis viribus consensu unanimi, ac veluti stipato agmine prostrauerunt.

XXIV. *Non dixit Dominus, accipietis prius, & sic petite &c. sed dixit: Petite & dabitur vobis &c. Omnis enim, qui petit, accipit. Dicendo, omnis, generalem causam instituit, & prædestinationis suæ specialitatem exclusit, & dicendo (qui petit accipit) priorem voluntatem hominis, quam donum gratiæ, demonstrauit*, & plura hic, & infra multiplicat, ut scilicet probet Deum nos inuitare ut petamus, sed nos ex nostro solo libero arbitrio in actu exercito consentire vocanti, ut petamus, & re ipsa petere, *tantam enim*, inquit, *habes liberi arbitrij potestatem, ut & vocantem Dominum tuum contemnere prævaleres*, & mox ante hæc. *Velle enim nostrum non exclusit gratia, sed incitauit, & dormientem quotidie excitat voluntatem*, ut scilicet petamus, & petendo (per nostran determinationem determinantem ipsam gratiam excitantem) inde obtineamus, & qui non petunt non obtineant, ut infra non parum post medium eiusdem libri tertii aperte ipse dicit, *Deum gratiam suam non petentibus non dare ex isto loco docuimus, quod ipse Dominus ait: Petite & accipietis &c.* Habemus ergo & hic integram Semipelagianam assertionē ab Augustino cum præcipua eiusdem probatione refutatam libro de gratia & libero arbitrio Cap. 15. lib. 2. ad Bonifacium Cap. 9. & alibi, & quam iterum ex Iuliano Pelagiano referebat, ut reprobaret, ipse Augustinus lib. 4. in Iulianum operis prioris Cap. 8. *ut videlicet*, inquit, [intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cum Deus velit aperire: Sed hunc sensum vestrum infantes illi ipsa sua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant, imo etiam, cum baptizantur, reclamant, respuunt, reluctantur, & accipiunt tamen, & inueniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, ubi fit eis salus æternitatis, & agnitio veritatis, longe pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire]. Et prosequitur fuse hoc argumentum ibidem, & repetit vbique, ut vere ineluctabile, tum libro 6. in eundem Iulianum

num Cap. 14, tum libro 2. ad Bonifacium Cap.7. tum epistola 105, tum epistola 107, tum lib. 1. de origine animæ Cap. 12, tum libro de prædestinatione Sanctorum Cap. 12, 13, & 14, tum alibi, ac inde eodem robustissimo argumento vsi sunt eius discipuli, Prosper lib.1. de vocatione Gentium Cap. 16. & Divus Fulgentius libro de incarnatione & gratia Christi Cap.30, & alij, neque unquam Pelagiani, vel Semipelagiani, huic argumento inuenire potuerunt aliquam veram solutionem, sed tandem ad hanc unam euasionem declinarunt, ut dicerent (referente Hilario in epistola ad Augustinum) *parvulorum causam ad exemplum maiorum non esse afferendam*, in quod asilum & Faustus, nullam aliam videns euadendi semitam, se recepit libro 1. de libero arbitrio Cap. 14. contra se proponens hanc obiectionem seu intorsionem de parvulis, eamque vocans (licet sciret Augustini fuisse) *serpentinam fraudem ad tenebrosas cauernas relicta luce transfugentem*; quia scilicet fatetur de parvulis inscrutabile iudicium esse (ac si & de adultis inscrutabile Dei iudicium ab Apostolo non diceretur) & tandem cum Massiliensibus concludit directe contra Augustinum his verbis. *Materiam de liberi arbitrij ratione proponis, & ad discutiendum infantiæ statum pernicioso errore dilaberis? in quo nullum penitus vestigium liberi arbitrij, nullum apparere potest propriæ voluntatis iudicium*: Sic iste non capiens intentum, nec vim consequenter discursus Augustini, qui pulsatus semper à Pelagianis, quomodo Deus acceptor personarum non esset in sua prouidentia erga homines, si non ideo aliquos eligeret ad salutem, præ alijs, quia illi præsciebantur petituri aut credituri, non isti (ut Semipelagiani intendebant) imo iuxta Augustinum illos eligeret, istos reiiceret, & si illi nullum maius meritum haberent quam isti, idcirco Augustinus opportunissime & robustissime hanc obiectionem de prouidentia circa adultos retorquebat, non minus ex prouidentia circa infantes, circa quos pariter certum erat & prouidentiam diuinam dari sine acceptione personarum; quidquid esset de diuerso modo, quo infantes iustificarentur vel adulti, cum usu liberi arbitrij, aut sine usu eiusdem, quod extra rem erat; Vnde Augustinus libro de dono perseuerantiæ Cap. 11. refert utique hanc Massiliensium euasionem ab illis verbis: *Cur autem causam parvulorum ad exemplum maiorũ, sicut scribitis, non patiuntur afferri &c*, & post eandem aliunde reprobatam, ad hanc tandem arcem ascendit in fine Capitis 12, scribens: *Neque enim fato cogitur Deus illis*

infan-

infantibus subuenire, illis autem non subuenire, cum sit vtrisque causa communis, aut res humanas in parvulis, non diuinæ prouidentiæ, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ, (quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate patris nostri, qui in Cælis est) &c, quod, videlicet pro certo supponebat etiam in sententia aduersariorum absurdissimum esse: Non miror tamen & Faustum hanc Massiliensium responsionem, cum aliam non inueniret, silere noluisse, quia & ipse in eadem hac ipsa, quam nunc tractamus, Massiliensium positione erat in libro 1. Cap. 17. manifeste dicens, *Clamat voluntas, quia sola per se éleuari nescit infirmitas: Ita Dominus attrahit desiderantem, erigit adnitentem. Quid est autem attrahere nisi prædicare, nisi excitare? &c.* quod integrum dictum non minus ab Augustino reprobatum esse libro de prædestinatione Sanctorum, præsertim Capite tertio, bene obseruabat contra eundem Faustum in suo libello responsiuo Ioannes Maxentius consulendus tom. 9. Bibliothecæ, in hoc etiam commendatus à Vasquez, Suarez, & alijs. Sed quid immoror amplius huius erroris examini? dum verbatim hic error damnatus legitur nunc in Tridentino Sess. 6. Canone 3. & antea in Concilio Arauxicano 2; post editos, ne dum huius Auctoris Prædestinati, verum & Fausti libros, ad annum 529, tum in Canone 3. *Si quis inuocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri &c.* tum Canone 6, *si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus &c. petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri diuinitus, non autem vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur, & aut humilitati aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, resistit Apostolo &c.* Sicut & Augustinus iterum libro de hæresibus in præfatione dicebat. *Scio me nec petiturum nec quæsiturum, nec pulsaturum quantum sat est, nisi & hunc affectum munere diuinæ inspirationis accepero.* Vide ex Scholasticis præsertim nostrum Lemos tom. 4. par. 1. tract. 6. ferme per totum.

XXV. *Qui non cucurrerit ad ista tanta dona Dei, & ipse non vadens ad Ecclesiam Dei, expectet, ut ad ipsum veniat Ecclesia Dei, dicimus hunc insanum.* Hæc & similia, quæ hic & alibi repetit, procedunt ex falso supposito, quod supra ab Augustino & eius discipulis refutatum est num. 4. & 19.

XXVI. *Deus te noluit, aut tu noluisti Deum? Deus te noluit bonum*

num operari, aut tu noluisti bonum operari? &c. Vide pro responsione ad has & similes interrogationes seu indisciplinatas quæstiones adducta supra in numero 17, & dicta à nobis tom. 3. de approbatione doctrinæ Augustini libro 6. q. 2. artic. 2. numero 35, & facta videbis, ut reor, *aspera in vias planes*.

XXVII. *Nemo venit ad me, idest virtute sua nemo potest venire ad me: non est enim possibile sanctitati hominis ascendendi ad me, ubi sedeo ad dexteram patris, nisi quem pater adtraxerit.* Ita & Pelagius (ut Augustinus loquitur libro de gratia Christi Cap. 3.) *cum tria constitueret atque distingueret, quibus diuina mandata impleri dicebat, possibilitatem, voluntatem, & actionem, possibilitatem scilicet, qua potest homo esse iustus, voluntatem, qua vult esse iustum, & actionem, qua iustus est. horum trium primum idest possibilitatem datam confitebatur à creatore nec esse in nostra potestate, &c, duo vero reliqua nostra esse asserebat.* Vnde contra hunc Pelagianum errorem eodem libro Augustinus Cap. 10. subdit. *Sed nos eam gratiam volumus aliquando esse fateatur* (sc. Pelagius) *qua non solum reuelatur sapientia, verum etiam & amatur, nec solum omne, quod bonum est suadetur, verum & persuadetur.* & Cap. 14, directe prosternens hanc etiam Auctoris Prædestinati absurdissimam glossam, inquit: *Ipsa etiam voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adiuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia iuvaretur, ita dicere debuisset Dominus: Omnis, qui audiuit à Patre, & cui dederit, potest venire ad me. Non autem ita dixit; sed, omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me &c. Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit, sed omnis, qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit,* & similia imo urgentiora habet idem August. lib. 1. ad Bonifacium Cap. 18 & 19, lib. 2. Cap. 9, libro de gratia & libero arbitrio Cap. 16, & passim libro de correptione & gratia, de prædestinatione Sanctorum, & alibi, præsertim de prædest. Sanct. Cap. 5. in fine, inter cætera dicens: *Non ait Apostolus: quid enim potes habere, quod non accepisti, ut posses habere, sed ait, quid habes, quod non accepisti:* & demum contra hunc Pelagianum errorem legi possunt decreta Pontificum & Conciliorum recitata etiam apud Petrum Diaconum libro de incarnatione & gratia Capite ultimo, simul & posteriores postea Canones Concilij Arauxicani secundi, & tandem Tridentini sess. 6. de iustificatione. Vide & S. Thomam in Cap. 6. Io: lect. 5.

XXVIII. *Non est nolentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Nos &c. & istam Beati Pauli sententiam euidenti manifestamus instinctu. Prius tamen vestrum sensum detegimus &c. Vultis enim ut nemo velit bonum, nemo currat ad bonū &c:* Adeo hac Apostoli auctoritate & Pelagiani & Semipelagiani opprimebantur, ut Pelagius effugiendo dixerit hæc verba non asseri ab Apostolo, sed referri contra se in persona obijcientis, cui deinde respondit *tu quis es &c.* Ita Pelagius ipse in Caput 9. epistolæ ad Romanos num. 23. & 25. ut refert etiam Augustinus libro de gestis Pelagii Cap. 16, & sequutus est Iulianus Pelagianus libro 1. operis posterioris Cap. 133, refellit vero hanc falsam intelligentiam Augustinus, tum alibi sæpe, tum præsertim libro de prædestinatione Sanctorum Cap. 8. dicens: *si & ista verba sunt eius, cui Apostolus respondet &c. nunquid responsum est ab Apostolo, ò homo, falsum est, quod dixisti? Non: sed responsum est. O homo, tu qui es, qui respondeas Deo? &c.* nempe, & si alterius proponentis hęc verba fuissent, cum tamen ab Apostolo respondente negata non sint, ut ab Apostolo approbata adhuc accipienda manerent, uti arguunt postea & Episcopi Aphricani in epistola Synodica tomo 9. Bibliothecæ fol. 230. Hinc forsan hic Auctor Prædestinati non amplius hic ista interpretatione Iuliani usus est, dum solum ea intorquet verba in Augustini discipulos, velut inde negarent opera nostræ voluntatis &c. quemadmodum postea eodem omnino modo intorsit & Faustus libro 1. de libero arbitrio Cap. 10. ubi hanc examinat auctoritatem, post multa dicens. *Audi Apostolum & alio loco non tua otia prædicantem &c.* Verum hæc omnia præuenit Augustinus in epist. 107. una breuissima sed grauissima periodo occurrens ac dicens, *ut in Deum credamus & piè viuamus, non volentis neque currentis sed miserentis est Dei: non quia velle non debeamus & currere, sed quia ipse in nobis & velle operatur & currere,* uti & latius supra numero 4. & 19. expensa sunt alia Augustini & discipulorum eiusdem testimonia.

XXIX. *Nos autem adserimus neminem gratiam Dei consequi, nisi qui ex fide cucurrerit.* Id dicere hunc auctorem in eo sensu, in quo Semipelagiani omnes asserebant fidem saltem inchoatam non esse donum Dei, sed communiter ab omnibus asserebant à natura liberi arbitrij haberi posse, ex supra relatis, & ex toto eiusdem contextu exploratissimum est, unde hic fuit, ne dum error Massiliensium in epistola Hilarij & Prosperi ad Augustinum, verum & Fausti Semipe-

mipelagiani lib. 1. Cap. 15. aientis. *Sed dices, quia non omnibus detur, sed donum sit personale credulitas, & illis tantum credere suppetat, quibus Deus specialiter donauit, ut crederent. Non ita est. Nam dum eam Dominus etiam ab incredulis exigit, omnibus eam insertam esse demonstrat*, ut ita citat Ioannes Maxentius, quæ tamen nunc video ibidem non parum ab alijs commutata, sicut & alibi, ut Faustum non adeo errantem venditarent: similia tamen habet lib. 1. Cap. 7. dicens, *Deum fidem & iustitiam quærenti conferre*. Sed hunc errorem ex proposito iam reprobauit Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum euidentissime ex Apostolo & alijs scripturæ testimonijs à Capite 2. vsque ad 12. adeo ut recte Ioannes Maxentius in suo libro responsiuo &c. Faustũ quoad hunc errorem concluserit, *non Augustino tantum, verum etiam Apostolo omnino contrarium adprobari*, & iam hic error damnatus est in Concilio Arausicano 2, & in Tridentino, & plura de hoc videri possunt expensa in Lemos tom. 4. par. 1. tract. 1. & 4. per totum, & aliqua nos supra addidimus numero 2, & 14.

XXX. *Sic est enim velle nostrum inter nos & Deum, sicut inter mendicantem & donantem. Ille itaque, qui donat eleemosynam, vult omnibus dare &c. Venite ad me omnes &c. Verbi gratia cucurrit quispiam egenus & a donante accepit &c. quid nunc dicturus est? Ego de labore meo diues sum, quia volui, quia cucurri? Non hoc dicit: Sed dicit: Ego nihil pro merito voluntatis meæ aut cursus mei, aliquid habere me certus sum, sed eius totum gratiæ, qui donauit.* Exscripsi hanc prolixam periodum, ut non viderer dissimulare qualemcunque apparentiam, quam in hac explicatione habere poterant aut præsumebant Semipelagiani pro suo illo merito, non de condigno, sed de congruo, imo vel pro qualicunque initio connexionis naturæ ad gratiam, quod ponebant, & quod pariter iste hoc loco ponit supponens ex illo Euangelico dicto, *Petite & accipietis*, cuicumque iam inuitato & vocato, volenti ex naturali sua libertate exercite petere, infallibiliter gratiam dari, & sic petentem à non petente se discernere, ut petenti detur non petenti non detur, ut infra ipsemet loquitur, quod ut supra vidimus in Arauxicano 2. Canone 3. & 6. verbatim damnatum est, ut vidimus supra num. 24. Sic utique etiam nedum cæteri Semipelagiani in primis meritum illud de condigno indubitanter omnes negabant, ut Cassianus lib. 12. institutionum Cap. 14. *inquisitionem & pulsationem nostram non esse condignam*

verum & meritum de congruo quo magis poterant attenuabant, ut Cassianus ibidem subdens, *præsto est Deus occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata*, & Collatione 13. Cap. 13. *Deus*, inquit, *occasiones quodammodo quærit &c. quibus non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cuiusdam desiderij & laboris impertit, & nihilominus gratia Dei semper gratuita perseuerat, dum exiguis quibusdam paruisque conatibus tanta perennis Beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate*. Sic & Massilienses in epistola Hilarii aiebant, *non negari gratiam, si dicatur præcedere talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa valeat*, velut scilicet, ut subdebant, *qualecunque initium voluntatis bonæ*, sic & Faustus lib. 1. Cap. 17, *ut*, inquit, *per quandam ansulam voluntatis, comprehendi & attrahi valeat, qui vocatur*, nec Capite 11. omittit & huius donatæ pecuniæ similitudinem ab Auctore Prædestinati adhibitam dicens. *Nam & ille seruus se accepisse cognouit, qui commissum sibi talentum negotio salutis duplicare contempsit, sed potius terra otio languente mandauit*, præter alios Semipelagianos apud Episcopos Aphricanos in epistola Synodica, & apud Fulgentium lib. 2. de Veritate prædestinationis & gratiæ Cap. 18. dicentes, *ita esse à Deo gratiæ donum, tanquam si quis det mutuas pecunias accepto pignore &c*, quo scilicet pignore non dato non accipiat homo à Deo gratiæ opem &c. *quam similitudinem, quisquis ad Deum refert proculdubio, aut fallere conatur, aut fallitur*. Cum tamen utique homo per hãc suam piam ad Deum petitionem, se oppignoraret Deo, (licet id non faciat mendicus homo ad alium hominem diuitem, dum eleemosinam petit, non eum adhuc adorans ut Dominum) & consequenter gratiæ pecuniam ex dato pignore, iuxta perabsurdam hanc Semipelagianorum similitudinem, obtineret. Nec latuit Augustinum vel vanus ille, potius quam subtilis, eorundem Semipelagianorum conatus distinguentium inter dispositionem, ac meritum etiam de congruo, ut primam in naturali petitione ad gratiam concederent, negarent vero secundum, ne cogerentur concedere illam damnatam sententiam, *quod gratia secundum merita daretur*, id, inquam, Augustinum non latuit, dum imo in libro de gestis Pelagii Cap. 17. id præueniens aiebat: [An aliud est dignum esse accipere, aliud secundum meritum accipere? Et potest aliqua subtilitate disputationis ostendere (scilicet Pelagius) dignum esse aliquem, sed non mereri? quantum ad me attinet ab hoc

verbo

verbo facile transirem &c,] nempe quidquid de hoc sit, assumit postea ostendendum adhuc contra hunc, quem tractamus, Pelagianum errorem, utique sequi gratiam secundum merita aliqua dari, si semel ex certa lege detur naturaliter petenti, & non sic petenti negetur, (quæ certa lex adhuc inter hominem mendicantem, & hominem alterum eleemosinam erogantem non datur): *Quis enim dicit eum qui iam cœpit credere*, idest petendo gratiam à Deo, (quod sine actu credendi, & sine aliqua saltem inchoata fide in ordine ad Deum fieri non potest, ut idem Augustinus discurrit lib. de Prædestinatione Sanctorum Capite 2:) *quis hunc dicat ab illo, in quem credidit nihil mereri? unde fit, ut iam merenti cætera dicantur reddi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur ipse, damnauit*: & paulo post: *Videte igitur, si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia*. & ad eundem sensum ex eadem positione asserente petenti vel incipienti credere gratiam dari, non sic autem petenti non dari, infert perpetuo alibi gratiam secundum istos, iuxta merita dari, ut libro 4. contra Iulianum Cap. 6. & 8. lib. 2. ad Bonifacium Cap. 8, & libro 1. ad eundem Bonifacium Cap. 19. epist. 107. lib. 2. ad Simplicianum q. 2. & alibi semper, nec minus Auctor Hippognosticon Mercator aut Sixtus libro 3. post medium ab illis verbis. *Quod si dicas, ut dicere consuestis &c.* & Prosper contra Collatorem Cap. 3. & 9. *quomodo*, inquit, [non aduertis te in illud damnandum incidere, quod velis nolis conuinceris dicere, gratiam Dei secundū merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia, præcipue cum omnes eiusmodi & accipere, & venire & intrare dicantur,] idest præcipuè cum certa illa lex sit, ut tu ponis, sic petenti dari, & non sic petenti non dari. Similiter contra hanc Auctoris Prædestinati euasionem adductam scribentes postea ad initium, ut sæpe monuimus, subsequentis sæculi sexti argumentati sunt Petrus Diaconus, & Fulgentius in suis inuicem responsiuis libellis de incarnatione & gratia Christi, ille Cap. 7, hic Cap. 18, ut consulenti constabit, & apparebit & Semipelagianum hoc esse effugium Auctoris Operis Prædestinati: præterquamquod pauper saltem petens ab homine diuite eleemosinam, non accipit actum petendi

tendi ab eodem, uti nos accipimus à Deo per gratiam, ut præuidit discrimen Augustinus lib. 4. ad Bonifacium Cap. 6. dicens. *Sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo, ex quo omnia &c. percepisse.*

XXXI. *Nunc ergo quia venit* (scilicet Christus *qui lux* est) *& ædificauit domum, iam non in vanum laborant, qui ædificant eam: &c. & quia lux venit; & lucet in tenebris, iam non in vanum ante lucem surgimus &c.* Sic iste hunc psalmum 126. de necessitate gratiæ sine dubio in sensu allegorico loquentem, intelligit solum in ordine ad homines in veteri lege ante aduentum Christi, non vero in noua post eiusdem aduentum, quem velut Pelagianum errorem referebat ac reprobabat Augustinus lib. 3. ad Bonifacium contra duas Iuliani Pelagiani epistolas Capite 4. dicens, *in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum: Vnde dicit Apostolus: Habemus autem eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi propter quod loquutus sum; & nos credimus, propter quod & loquimur*, & legi potest etiam de huius psalmi interpretatione generali in ordine ad omnes in epistola 106. Hinc S. Prosper in eundem psalmum expresse refellit hanc commentitiam glossam, & uniuersim tam pro noua lege quam pro vetere, eiusdem psalmi auctoritate, Augustinus, eiusdemque discipuli semper vsi sunt, ut eosdem percurrenti patebit, & error huic veritati contrarius legitur condemnatus in Arausicano 2. Canone 25.

XXXII. *Volebat ergo Apostolus verum loqui, mentiri autem penitus non volebat, ergo mentiebatur. Volebat pudicitiam, & impudicitiam perhorrebat, ergo polluebatur &c.* sic arguit iste contra Augustini discipulos, qui dum Apostolus ad Romanos 7. aiebat, *non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio*, hæc verba ab eodem dicta in sua propria persona intelligebant, scilicet de concupiscentia adhuc in sanctis, ut lege peccati insurgente contra legem mentis &c. contra hanc, inquam, intelligentiam arguens, tot ex ea per absurda deducere hoc loco conabatur: Sed iam diù hanc ipsam Iuliani Pelagiani obiectionem adduxit, atque repressit Augustinus libro 3. contra eundem Iulianum operis prioris Cap. 26. dicens: [Satis eloquenter in vestra prædicatione iactasti nos contra deprimens & dicens, quod dubium non sit euersionem Sanctitatis, contaminationem pudicitiæ, & morum labem nostris conuenire, imo inesse dogmatibus, neque me id esse negaturum, qui ideo, sicut

dicis,

dicis, in naturæ inuidiam sordes malæ conuersationis refundo, ut peccantibus metum demam, quorum obscænitatem Apostolorum, & Sanctorum omnium consolor iniurijs, eo quod vas aureum Apostolum Paulum sæpe dixisse commemorem: Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio &c.] En obiectionem, quam hinc mutuatur hic Auctor nolens aduertere, quod ibidem Augustinus iam præmiserat, & perpetuo alibi repetebat, *quod nec illa concupiscentia carnis perficiuntur in malo, quando eis non accedit nostra voluntatis assensus, nec nostra voluntas perficitur in bono, quamdiu illarũ, quibus nõ consentimus, permanet motus,* videlicet in hac corruptibili vita, etiam in Sanctis, donec postea perficiantur & quo ad corpus in patria, ut fusius idem Augustinus explicare prosequitur iterum in opere posteriori contra Iulianum libro sexto (ut verba exscribit Diuus Prudentius Episcopus Tricassinus in libro contra Scotum de Prædestinatione extante in tomo 15. Bibliothecæ) Cap. 4. ubi etiam magis directe huic calumniosæ Iuliani oppositioni respondebat dicens; [absit ergo, ut dicamus, quod nos dicere insimulas, Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi renitentem, in scorto aliqua manu pestiferæ voluptatis adduci, cum dicat, non ego operor illud; ostendens concupiscentias carnis solum impulsum libidinis operari sine consensione peccati.] Stet ergo, ut ibidem mox ante præmiserat, *contra hos concupiscentiæ motus prius utique debellandos, ne dominentur, & postea sanandos, ut pænitus extinguantur* (in patria) *gloriosa certamina etiam sanctos exercere* (ut de fide est etiam ex Tridentino Concilio Sess. 5. in decreto de originaii peccato num. 5.) & consequenter non male ea verba Apostoli in persona etiam propria eiusdem intelligi, & male ex ista intelligentia simul cum Iuliano hunc Auctorem Prædestinati contra Augustini discipulos absurdam illam intulisse sequelam.

XXXIII. *Personam itaque carnalis hominis Magister spiritualis excepit*, idest, dum ea verba proferebat; *quod odi malum hoc facio*, in persona carnalis Iudæi vel saltem adhuc Catechumeni loquebatur. Ita omnino interpretabatur & Iulianus Pelagianus relatus ac refutatus ab eodem Augustino, tum in priori opere libro 3. Cap. 26. ab illis verbis, *sed ne forte istam catechumeni existimes vocem, &c.* tum in opere posteriori, *contra eundem Iulianum Episcopum Pelagianum libro sexto* (ut loquitur D. Prudentius Capite 4. mox ante citato, ubi & hæc exscribit Augustini verba) dicens: *Non ego solus*

aut

Cùt primus sic istum locum intellexi (in persona propria Apostoli) [quo euertitur hæresis vestra, quemadmodum vere intelligendus est. Imo vero & ego prius eum aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quædam etiam illius temporis scripta testantur: Non enim mihi videbatur Apostolus & de se ipso dicere potuisse: Ego autem carnalis sum (cum esset Spiritualis) & quod captivus duceretur sub lege peccati, quæ in membris eius esset. Ego enim putabam dici ista non posse nisi de ijs, quos ita haberet carnis concupiscentia subiugatos, ut facerent quidquid illa compelleret, quod de Apostolo dementis est credere: cum etiam innumerabilis multitudo Sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat: Sed postea melioribus & intelligentioribus cessi, vel potius ipsi, quod fatendum est, veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse Sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium; qui cum mente sint spirituales, adhuc tamen in isto corruptibili corpore, quod aggrauat animam, recte intelliguntur esse carnales &c. Hinc factum est, ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ Sancti, notique Doctores &c,] idemque repetit libro de prædestinatione SS. Cap. 4. & libro 5. eiusdem operis posterioris in Iulianum Cap. 59. & lib. 1. Cap. 67. afferens aliorum Patrum testimonia diffusè, quemadmodum & postea subsequentes post ipsum Ecclesię Patres, imo & Concilia communiter acceperũt.

XXXIV. *Omnes ergo gentes prædestinauit ad vitam, qui omnes gentes vocauit ad vitam. Qui venerit imputabit diuinæ clementiæ prædestinanti pariter & vocanti, qui autem non venerit, imputet suæ negligentiæ contemnenti pariter & nolenti.* Vides hìc, quod supra diximus numer. 2. scilicet Semipelagianos nullam aliam æternam agnouisse prædestinationem nisi voluntatem illam, quam ipsi ponebant consequentem in Deo, conditionatam tamen, saluandi omnes; si voluerint ipsi consentire vocationi excitanti præsertim in hora mortis, indeque addita præscientia quod aliqui sic essent consensuri, non alij, respectu illorum de conditionata voluntate transire in absolutam & hanc esse prædestinationem ab æterno, & non vere electiuam in Deo secundum propositum, & consilium voluntatis suæ respectu aliquorum non aliorum &c. Contra quam tamen erroneã & plane hæreticam positionem (ut modo omnes alicuius nominis Scholastici unanimiter consentiunt) vehementer dimicauit & vicit

Au-

Augustinus toto ferme libro de prædestinatione Sanctorum, præsertim vero Cap. 17. ex illo Ioannis 15, *non vos me elegistis sed ego elegi vos &c.* ut ibidem videre est, præter alia, quæ eodem numero 2. præallata sunt.

XXXV. *Nunc autem quia medici normam tenens Saluator hominum dat monita &c. si audieris, imputabis saluatori quod viues, si contempseris, tua reputabis ignauia, dum cœperis mortis sentire tormenta.* Apprehendit igitur iste Christum Dominum ut Legislatorem utique, qui per legis monita dirigat, non vere ut Saluatorem, qui, quos vult, saluet; uti omnino Pelagiani apprehendebant impugnati ab Augustino in libro de natura & gratia, & de gratia Christi contra eosdem per totum, & pronunc sufficit audire eundem Augustinum, aut lib. 4. ad Bonifacium Cap. 9. dicentem. *Oramus non solum pro volentibus verum etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes &c. A quo nisi ab illo, de quo scriptum est, præparatur voluntas à Domino?* aut de gratia & libero arbitrio Cap. 16. *Cum dicit, faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis, & dabo cor carneum, unde faciatis?* aut de correptione & gratia Cap. 5. ideo appellantem, *occultissimam & potentissimam medicinæ Christi potestatem*; quę sane de creati medici medicina (quam nimis insulse hic Auctor omnipotentis medici medicinæ vel gratiæ audet æquiparare) communia esse non possunt, &c. *nec enim medicus suscitat de sepulcro*, ut Christus ne dum mente sed corpore mortuos & resuscitat, & viuificat, per suam gratiam, cum vult, unde & idem Augustinus huic eidem similitudini à Pelagianis adhibitæ inter cætera libro de natura & gratia Cap. 26. respondebat dicens. *Medicus homo cum sanauerit hominem, iam de cætero sustentandum elementis & alimentis corporalibus &c. dimittit Deo &c. non sic Deus &c.*

XXXVI. *Si potest homo velle quod Deus non vult* (scil. malum) *quanto magis potest homo velle, quod Deus vult*, scilicet bonum virtutis, ut sicut voluntas creata sua naturali libertate se determinat ad malum, ita & semel à Deo excitata ad bonum, sua eadem naturali libertate se determinet ad bonũ, uti per omnia discurrebat & Iulianus Pelagianus lib. 3. operis posterioris Capite 118. & 120, cui ibidem Augustinus respondens ait. *An hic libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantum*

est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, vergendo se in unam partem te non indicat delirantem? Et libro 5. Cap. 48. *tam bonum* (inquit Augustinus eidem obiectioni respondens) tam bonum certe quam malum homo ex propria voluntate, sicut dicis, facit, & utriusque in illo possibilitas æqua lance libratur, sed ad bene faciendum Deus adiutorium subministrat, quamuis & ipsum adiutorium, quod subministrare Deum cogimini confiteri, quale dicatis esse non lateat: Legem quippe non spiritum dicitis, cum Paulus Apostolus (per subministrationem Spiritus Sancti) nos doceat adiuvari. Quod ideo commemorandum putaui, ne forte qui audiunt vel legunt de subministratione diuini adiutorij sententiam tuam, obliuiscantur hæresim vestram.] Et lib. 1. eiusdem operis Capit. 97, cum Iulianus opposuisset quod Augustinus diceret, *esse liberam voluntatem, sed ut malum tantummodo faceret ex se, non autem in hoc esse liberam, ut malũ desistat operari*, seu ad faciendum bonum, Augustinus respondet: *cum tibi displicet hominem non posse bonum velle nisi adiuvetur ab eo, qui malum non potest velle, non ne respicis ei te contradicere, qui dixit: sine me nihil potestis facere, & scriptura ubi legitur: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle &c*, similique obiectioni Iuliani respondet libro 3. eiusdem operis Cap. 107. 112, & 123, ut consulenti apparebit. Vide & Fulgentium libro de incarnatione & gratia Cap. 23. Quod vero antea Auctor Prædestinati dicebat Prædestinationem Dei vel eius voluntatem seruire voluntati Diaboli, qui vult homines & peccare, & perire, Respondet, post Augustinum & Prosperum, Concilium Arauxicanum 2. Canone 23. & habetur ex 2. Petri Cap. 3. quod Deus, *neminem vult perire*, cum nec pœnam æternam aliquibus velit nisi ex præuiso peccato saltem originali.

XXXVII. *Gratia, qua antecessit, ostendit quid petas, qualiter petas, & quem petas &c. & ab hac indagine nullum exclusit, sed cunctos vniuersaliter inuitauit dicens. Omnis qui petit, accipit &c. Sicut ergo tecum dixi quia antecedit gratia Dei voluntatem hominis, ita nunc mecum dic in isto loco, antecedit voluntas hominis gratiam.* Hic iam intelligis totam antecessionem gratiæ, iuxta hunc Auctorem, in sola vocatione excitante consistere, non operante &c. Ita cum Pelagianis & Faustus lib. 1. Cap. 17. explicans illud Ioan. 6. *nemo venit ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum*, aiebat. *Quid est attrahere nisi praedicare, nisi scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda,*

da,

da, iudicium comminari, præmium polliceri? quemadmodum & Pelagius apud Augustinum de gratia Christi Cap. 7. aiebat: *adiuvat nos Deus per doctrinam & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit &c. dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ Cælestis illuminat*, & Cap. 10. *dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem excitat voluntatem, & futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit*. Et tamen Augustinus ibidem in hoc adhuc eum hæreticum permansisse, & negauisse veram antecessionem gratiæ subiungit ac probat, tum Cap. 7. dicens. *In his omnibus non recessit à commendatione legis & doctrinæ*, tum Capite 10. [quid manifestius nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur & velle, quod bonum est, quam Legem atque doctrinam? Sed nos volumus eam gratiam iste aliquando fateatur, qua non solum reuelatur sapientia, verum etiam & amatur, nec suadetur solum omne quod est bonum, verum & persuadetur. Hanc debet gratiam Pelagius confiteri, si vult non solum vocari, verum etiã esse Christianus,] & plura alia prosequitur in eandem rem Capite 12, 13, 14, & 24. Et libro 2. ad Bonifacium contra duas epistolas Iuliani Pelagiani ad hanc similiter explicationem recurrentis aiebat Cap. 9. [Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis: in qua si nos non præuenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.]

XXXVIII. *Antecedere videtur voluntas petentis, ut possit concedi petentibus gratia retribuentis*. En qui supra numero 30. conabatur ab exemplo mendicantis ostendere in petente gratiam à Deo nullum inde sequi debitum gratiæ Dei, seu meritum in ordine ad Deum, uti & paulo post hæc verba hoc loco subiungit, *non dixit emite & dabitur vobis, sed petite & dabitur vobis*, iam modo sibi contradicens fatetur petenti dari à Deo gratiam *ex retributione*, contra illud Apostoli ad Romanos 11: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* ut urget contra hunc errorem Augustinus epist. 105. & libro de prædestinatione SS. Cap. 2. & singulis aliis locis iam recitatis in eodem numero 30, quæ ibi vide, contra hunc Auctorem Prædestinati, & contra Faustum, qui in eodem sensu libro 1. Cap. 7. dicebat, *sicut ad Dominum largitio remunerandi, ita ad hominem respicit deuotio inquirendi &c.* Vide contra hunc errorem etiam Fulgentium lib. de incarnatione & gratia Cap. 22. & 24. & Petrum Dia-

conum libro pariter de incarnatione Cap. ultimo dicentem etiam hac de causa Faustum *humano labori subiungere gratiæ adiutorium.*

XXXIX. *Quotidie ergo præcedit voluntates nostras gratia Dei, innumerabilibus plena suffragijs &c.* Ita plane & Iulianus Pelagianus sæpissimè repetebat, ut euitaret infamiam hæresis Pelagianæ velut negantis omnino præcedentiam gratiæ, præsertim vero lib. 3. operis posterioris Cap. 108. *Affirmamus*, inquit, *& nos à Deo fieri hominem liberi arbitrij, cumque innumeris diuinæ gratiæ speciebus iuvari &c. ut cum Deus tam multis modis benignitatem suam afferat præcipiendo, benedicendo, sanctificando, coercendo, prouocando, illuminandoque, vnusquisque eorum, qui iam ratione utitur, liberam tamen habeat voluntatem Deo vel seruire vel spernere*: Sed quia in his omnibus non agnoscebat nisi præcedere gratiam ipsam excitantem, non vero operantem, quæ faciat ut amemus & vocationi excitanti consentiamus, idcirco Augustinus ibidem sic continuo respondet. *Tam multa dicis, quibus nos adiuvat Deus, idest præcipiendo &c. & non dicis charitatem dando, cum dicat Ioannes Apostolus: Charitas ex Deo est &c. Si agnoscis in his verbis dogma Apostolicum, & in verbis tuis agnosce te esse hæreticum.* Et iterum Cap. 117. cum Iulianus dixisset, *adsunt adiutoria gratiæ Dei, cuius gratiæ innumeræ species &c,* Augustinus respondet fere similiter: [Cum quæritur à vobis, quæ sunt ista adiutoria gratiæ Dei, edicitis, quæ supra commemorasti: Deum adiuvare præcipiendo, benedicendo, sanctificando, coercendo, prouocando, illuminando; quæ omnia etiam per homines fiunt secundum scripturas. Nam & præcipiunt homines, & benedicunt, & per diuina sacramenta sanctificant, & corripiendo coercent, & exhortando prouocant, & docendo illuminant &c. Sed charitatem non dat nisi Deus; charitas enim ex Deo est: hanc vos inter adiutoria gratiæ, quæ commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipsum, quod obedimus Deo (seu consentimus vocanti) eius esse gratiæ concedatis.]

XL. *Ecce gratia antecedens voluntatem, ecce gratia stimulans pectus, ecce gratia inliciens mentem, ecce gratia excitans dormientem.* Ecce imo ab hoc auctore, post tot ambages verborum, non agnitam nisi gratiam pure *excitantem*, quam solam præcedere nostras voluntates, easve præuenire, concedit. Ecce quomodo relabitur in Pelagianum errorem, de quo supra num. 37, ut ibidem Augustinus arguebat. Ecce quomodo nil aliud dicit iste, nisi quod & Iulianus

aiebat

aiebat de gratia sola excitante, *quæ humano cooperetur arbitrio*, non quæ operetur in humano arbitrio actum consensus aut volitionis, libro 1. operis posterioris Cap. 95. quod ideo ibidem Augustinus ut adhuc hæreticum reprobabat subdens, *si non prauenit, ut operetur eam voluntatem, sed prius existenti* (voluntati) *gratia cooperatur, quomodo verum est, Deus in nobis operatur & velle &c. Sic non sapiunt nisi noui hæretici, & gratiæ Dei nimis inimici*. Ecce quomodo id tandem dicit, quod de Massiliensibus referebat ex Prospero & Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum, *eo peruenisse etiam ut preueniri voluntates hominum Dei gratia faterentur*, scilicet gratia excitante, ut clarius exponebat Prosper in epistol. ad Augustinum dicens: *quas voluntates ab ea gratia secundum suam phantasiam non negant esse preuentas*, & Carmine de ingratis.

Vt cunctos vocet illa quidem, incitetque nec vllum
Præteriens studeat communem afferre salutem.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti.

Vide quæ contra hanc hæreticam hipothesim ex Augustino mox ante adduximus num. 35. & 39. Vide & pro hac veritate urgentissimam probationem, quam ex Salmanticensibus cum Æstio laudabam libro 6. q. 3. Ar. 3. ad 2. à pari desumptam ex eo, quod & assistentia Spiritus Sancti erga Pontificem definientem ex Cathedra, ne dum excitat intellectum aut voluntatem ut recte definire possit, verum etiam applicat & facit ut velit definire, licet libere adhuc id velit, & definiendo etiam apud Deum promereatur; qui arguendi modus (addo id modo, quod non video obseruatum ab aliis) ne dum haberi potest à simili ex Augustino libro de Spiritu & littera Cap. 35. ab illis verbis, *quod si propterea non est opus Dei, quia illo donante per gratiam nos agimus &c*, verum etiam adhibitus legitur à Patribus Concilij Aphricani in epistola responsiua de hac materia ad definitiuas litteras Zozimi dicentibus: [Illud autem quod in litteris, quas ad vniuersas Prouincias curasti esse mittendas dicens: nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad Fratrum & coepiscoporum nostrorum cõscientiam retulimus uniuersa: sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adiutorium extollunt liberi arbitrij libertatem, districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares: Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod uniuersa in humilitatis nostræ cõscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum fideliter sapienterque

terque vidisti, veraciter fidenterque dixisti, ideo vtique, quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant paternis inspirationibus ipse tangit suorum ipse corda filiorum: Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei; ut nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius præuenire non dubitemus gratiam, quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut Sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit &c.] Hæc penitus ibi in ea Concilii Aphricani epistola, quæ alioquin ignota perditaque fuisset, nisi hoc eiusdem fragmentum ad hoc idem institutum nostrum exscriptum fuisset & adhibitum legeretur etiam à Prospero contra Collatorem seu Cassianũ Semipelagianum Cap. 10, & à Petro Diacono in libro de incarnatione & gratia Christi Cap. 8, ex quo loco & nos ista descripsimus; ubi & Capite 7. pro nobis omnino sic concludebat: *Frustra ergo garriunt, qui dicunt: (meum est velle credere, Dei autem adiuvare) cum etiam ipsum credere, quod est consensum prabere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus &c.*

XLI. *Ostendit se nolle quod voluit, & incipit velle quod noluit, & tunc iam gratia participio incipit delectari, per quam & diues & filius regis nuncupetur: Ecce gratiam Dei vobis & antecedentem & sequentem ostendimus: Antecedit quia vocat, quia prouocat, quia inuitat vt venias, sequitur, quia dum veneris & volueris, & petieris, donat.* Audimus utiq; ab isto dictam *gratiam* nominetenus *antecedentem*, sed in re potius *sequentem* tantum, dum ad actu agere, nonnisi cooperans ponitur, non præueniens, nisi dicatur *præueniens secundum suam phantasiam* istius Auctoris, uti & de Massiliensibus D. Prosper loquebatur, & ad summum vel sequens vel pure concomitans, non vere præueniens esset, ut *participio gratiæ*, iuxta istius verba, pars creaturæ & pars creatori daretur (ut dicebat in eadem epistola ad Augustinum idem Prosper, & reasumebat Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum Cap. 2.) sicque, ut urgentissime hunc errorem redarguens idem Augustinus aiebat contra Origenem libro 3. Periarchon, qui ut Pelagianorum præcursor hanc ipsam explicationem adhibebat, non contra Nazianzenum (ut perperam quidam recentior opinatus est) quem imo Nazianzenum pro sua sententia contra Semipelagianos refert libro de dono perseuerantiæ Cap. 6. & sequentibus, & alibi, contra Origenem, inquam, aiebat Augustinus

nus

nus in libro ad Simplicianum qu. 2. *Illa verba Apostoli si diligenter attendas (non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei) non hoc Apostolum propterea tantum dixisse videbis, quod adiutorio Dei ad id, quod volumus, perueniamus, sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit: Deus est, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: &c. Nam si propterea solum dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut iuste recteque viuamus, nisi adiuvetur misericordia Dei, posses & hoc modo dici, igitur non miserentis est Dei, sed nolentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Et idem omnino repetit in Enchiridio Cap. 32. Hoc Augustini argumentum, me quidem consule, ineluctabile, & cui vel nequeas reluctari, nisi & simul ab eodem Augustino atq; à Catholica & approbata eiusdem doctrina discedas, ut optime contra euadentes ostendit & Lemos tom. 4. 2. part. tract. 4. Cap. 18. num. 230.

XLII. *Hac vestra assertio ubi adtendit? Vt consentientes vobis dicant Christum non pro omnibus passum &c. Corrigite igitur librum vestrum, quia Christus* (ex Apostolo) *pro omnibus passus est. Omnibus hominibus subuenire festinat. Omnes vocat, omnes inuitat, qui saluatus fuerit, imputabit gratiæ Dei vocanti &c. qui non saluatus fuerit, imputabit sibi negligenti &c.* Et hic latet anguis in sensu sub folio verborum: Christum enim pro omnibus mortuum esse & sincera voluntate saltem antecedente Dei etiam incarnati, sine dubio contra quintam etiam Iansenij propositionem certum est, sed non in illo sensu Semipelagianorum de voluntate etiam consequente æqualiter indifferente, nec magis volente passionis fructum adplicare prædestinatis quam reprobis, de quo satis supra diximus num. 15. & vide ibi. Caueque simul semper damnatam prædictam Iansenij propositionem, quæ nunquam vel Augustini, vel discipulorum eiusdem fuit.

XLIII. *Nos autem dicimus. Per prauaricationem primi hominis manifestata est libertas arbitrij, quæ potuit hominem facere velle, quod Deus non vult.* Sed non ita dixit, cum Augustino & Augustini discipulis, Concilium postea Arausicanum secundum, post hoc editum opusculum, celebratum anno 529. in Can. 8. verbatim huius erroris Authorem condemnans & aiens. *Is enim non omnium liberũ arbitriũ per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certe ita*

læsum

læsum putat, ut tamen quidam valeant sine reuelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere, ut re ipsa hic supra ponebat hominem se posse naturali libertate determinare ad fidem & ad petendam salutem à Deo, ut vidimus. Nec ita similiter Tridentinum, quod in initio sessionis 6. definit utique *in hominibus liberum arbitrium minimè extinctum esse* contra nouos in Germania Prædestinianos, simul tamen contra Semipelagianos decernit ibidem, *viribus attenuatum & inclinatum fuisse*. Quemadmodum & utrumque hoc simul docuerat Augustinus expresse lib. 1. contra duas epistolas Iuliani Pelagiani ad Bonifacium Cap. 2. dicens. *Quis nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam &c.* idest vigor libertatis & liberi arbitrij, quod per peccatum utique *vulneratum ac vitiatum est*, ut loquitur idem Augustinus de natura & gratia Cap. 33, & alibi sæpe; & tamen eodem modo, ac iste Auctor Prædestinati hoc loco loquitur, antea loquutus est Iulianus Pelagianus libro 5. operis posterioris Cap. 11. scribens: *Libertas ad hoc solum data est, ut voluntatem non cogeret, sed permitteret exoriri: hanc tuam autem libertatem* (ad Augustinum alloquitur, quem toto opere impugnabat) *hanc autem tuam libertatem, conditionem suam dicis voluntatis opere perdidisse, ut per hoc interiisse credatur, per quod solum probatur vigere*, (en quod dicit & Prædestinati auctor *per prævaricationem* Adæ peccantis *manifestatam esse*). *Voluntas ergo mala non quidem funus sed testimonium libertatis est. Libertas autem nihil est aliud, quam possibilitas boni malique sed voluntarii. Qui ergo fieri potuit, ut per hoc interiret, per quod proditur instituta libertas, cum mala voluntas & bona, non exitia sint sed præconia libertatis.* Hæc & alia plura de hoc ibidem multiplicat, quibus omnibus sic responsionem perhibet Augustinus eodem Capite: *Eadem iterum & iterum dicis, quibus me iam superius respondisse qui legerit peruidebit. Sed hic etiam persistenti tibi atque asseueranti libertatem bene agendi vel male, suo malo, usu perire non posse, respondeat & Beatus Papa Innocentius Romanæ Antistes Ecclesiæ, qui rescribens in causa nostra Episcopalibus Conciliis Africanis, Liberum*, inquit, *arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit. Suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ ia-*

tuisset oppressus, nisi eũ postea pro sua gratia Christi releuasset aduentus: &c. Et in alia quoque Epistola, quam de vobis ipsis scripsit ad Numidas: Ergo, inquit, *Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est etiam restituta nobis pristini status libertate quaramus: Audis restitui libertatem, quam non periisse contendis; atque humana voluntate contentus diuinam non petis gratiam, quam libertas nostra etiam in statum pristinum restituta sibi esse intelligit necessariam &c. Si autem, ut dicis, boni malique voluntarij possibilitas sola libertas est, non haberet libertatem Deus, in quo peccandi possibilitas non est*, quod & alibi repetit, ut ostenderet contra hos Pelagianos potentiam peccandi ad defectum potius libertatis pertinere (ut docet & S. Thomas) non ad integritatem, ex qua per peccatum, ut isti dicebant, *manifestetur libertas*, repetit, inquam, hanc doctrinam & intorsionem de Deo Augustinus in eodem opere posteriori contra eundem errorem Iuliani lib. 5. Cap. 38. & libro 1. Cap. 81. consulendus.

XLIV. *Manus enim, qua exspoliare potest vestitum, quod prohibet Deus, hac vestire potest nudum, quod pracepit Deus.* Hæc Pelagiana philosophia fere coincidit cum refutatis supra num. 36. & non minus exscripta est ex eodem Iuliano Pelagiano, ne dum libro 3. Cap. 112. aiente (*tam liberum est Deo obedire imperanti quam diabolo persuadenti*) ubi Augustinus respondet, *arbitrij liberi infirmitatem ad agendum bonum non nisi per gratiam Christi potest humana reparare natura &c. Nemo est liber ad agendum bonum sine adiutorio Dei &c*, verum etiam postea libro 5. eiusdem operis Cap. 12. ubi Iulianus redarguebat Augustinum, quod admitteret hominis voluntatem etiam postquam bonum semel voluit, posse malum velle, & postea negaret eandem postquam semel ex se voluit malum, non posse ex se ipsa resipiscere, & velle bonum, cui Augustinus opportune præueniens & istam Auctoris Prædestinati instantiam respondet assignando rationem discriminis, *quia*, inquit, [in potestate homo habet ut ipse se necet, nec habet in potestate ut se ipse resuscitet, & fit in eo per mortem ut se non possit viuificare, nec fit in eo per vitam ut se non possit occidere &c. Quid ergo mirum, si delinquendo, hoc est rectitudinem suam, in qua factus erat, deprauatione mutando, cum supplicio sequutum est non posse (sine adiutorio gratiæ) recta agere? quamdiu vero in eadem rectitudine stetit, in qua poterat non peccare, ideo non accepit maius aliquid, hoc nõ posse peccare, quia in eo, quod habuit, non vsque ad finem remu-

 nerationis

nerationis voluit permanere &c,] & iterum lib. *6.* Cap. 18. iteratæ eidem obiectioni idem Augustinus hanc repetit responsionem. *Et ostendit Apostolus* (ad Roman. 7.) *nonnulla bona animi sic perire per voluntatem malam, ut non possint redire per bonam, nisi Deus faciat, (quod non potest homo), qui & lumina potest reddere voluntate cæcata, & membra voluntate truncata*, quemadmodum eadem utens similitudine in eandem rem antea responderat etiam in Enchiridio cap. 30, ubi videri potest.

XLV. *Vnum hic è duobus censura iudicantis adtendit, aut gratiam recusantem, aut hominem contemnentem: Si enim gratia recusauit, hominem à peccato liberum fecit*, quia scilicet, ut probare prosequitur, nemo in illius omissione culpatur, cuius exequutio eidem impossibilis sit, & alioquin crudelis Deus videretur, si impossibilia iuberet, & non exequentes puniret &c: Sed hæc antiqua Pelagianorum argumentatio iactata apud Augustinum libro de natura & gratia Cap. *43*, & *67*, & libro 4. contra Iulianum prioris operis C. 12. & libro de perfectione iustitiæ Cap. 2, 3, 4, & *6.* & breuiter ex eiusdem doctrina dissoluitur, concedendo quidem gratiam sufficientem primam nulli adminus adultorum sine aliquo præcedenti personali peccato negari, ut ex ipsa ut radice saltem petendi, præcepta possibilia fiant, gratiam vero actualem, quomodo dicendum sit, aut iusto sed occulto iudicio negari, aut misericorditer dari, credimus ex doctrina eiusdem Augustini satis à nobis explicatum lib. *6.* de Approbatione doctrinæ Augustini q.2. Ar. 2. num. 35. & pronunc sufficit, & damnatam supponere primam Iansenii propositionem, & contra eandem, cum Augustino libro de natura & gratia Cap. 43. & cum Tridentino sess. *6.* Cap. 11. repetere: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat ut possis*, præter alia, quæ habet pro hac soluenda obiectione & Fulgentius de incarnatione & gratia Christi Cap. 22, 23, & 24. & Author Hippognosticon libro 3. mox ante medium ab illis verbis. *Sed respondens mihi, inquies &c.*

XLVI. *Non suis viribus imputando, sed de Dei adminiculis præsumendo, non sibi aliquid vsurpando, sed totum Dei gratiæ imputando: Totum, inquam, totum dixi, totum repeto, totum, sed bonum, malum autem ex nostro vitio, ex nostra negligentia, & ex nostra incurrimus voluntate. Quid conuertitis caput ad calumnias, & Pelagij nobis dogma obijcitis?* Hic iam ad arcem accessimus, in quam,

post

post expugnatas omnes munitiones externas, iam fermè desperans hostis iste se recipit, & licet nec dum arma deponat, sed hostilem seruet internum animum, natiuam tamen linguam immutat, ut fallat, & sonantes iam tunc ab Apostolica sede ac fulminantes censurarum ictus euadat, mox ante directos à Cælestino etiam in Semipelagianos velut Pelagianorum reliquias in epistola ad Episcopos Galliæ: uti & Faustus, post istum, licet putentissimus Semipelagianus, hanc eandem phrasim, ut Catholicos deluderet, se admittere simulabat, lib. 1. de gratia & libero arbitrio, Cap. 3, & 17. dicens: *cum responderimus, totum planè gratia est, sed omnibus eam offerri &c.* Sed nec istæ nec similes ad speciem confictæ phrases aut voces solertissimum illum fidei custodem ac vindicem Augustinum fallere potuerunt, aut potuissent, *cuius ingenio* (ut loquitur Prosper in carmine de ingratis Cap. 2.) *discussa artes virusque resectum est hæretici sensus &c.* & ut pergit Cap. 3.

Istius ergo inter cunctos, qui de grege Sancto
Insanas pepulere feras, industria maior est,
Nam quocunque gradum conuertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Huius ab occursu est preuentus &c.

Et hic utique etiam Auctor Prædestinati in his fallacibus vocibus, fallendique artibus, præuentus fuit ab eodem Augustino id à monente in epistola 105 ad Sixtum, verbis postea repetitis à Prospero Cap. 44. contra Collatorem, de fallaci etiam in loquendo versutia Pelagianorum & Semipelagianorum, quam obseruauit, ut peculiarem istius hæresis, & D. Hieronymus epistola ad Ctesiphontem, & inde Auctor vitę Diui Fulgentii de simili calliditate Fausti loquens, iuxta quam deludendi artem & hunc Auctorem hoc loco dolosissime loquutum esse, ex huculque perpenso eiusdem contextu dignoscimus, dum profitetur, *se totum Deo ipsi & gratiæ tribuere*, de actu nostro erga bonum, & tamen tribuit utique ipsi Deo vel gratiæ ut primò causanti actum nostrum, ut possibilem, non ut actu exercitum, quia à Deo utique primo & solo totam *possibilitatem* habemus, ut dicebat & Pelagius apud Augustinum libro de gratia Christi C. 3. & sequentibus, sed actum exercitum volitionis, seu actualem *voluntatem*, ut Pelagius loquebatur, primo incipere à nobis subdebat idem Pelagius, & prosequutus est hanc integram distinctionem & Iulianus Pelagianus libro 5. operis posterioris Cap. 41. & sequen-

tibus pluribus, quæ non vacat prolixius exscribere: præsertim vero libro 1. fol. 38. inquit: *originem possibilitatis accepit, ipsius vero operis existentiam homo à se ipso suscepit.* Rursus hic Auctor, ut vidimus, nec totam gratiam, quam agnoscere deberet, agnoscit, sed partem tantum, scilicet gratiam excitantem, non operantem, quod præuidens, ac reprobans Sanctus Prosper aiebat in epistola ad Demetriadem Cap. 8. *gratia Dei, nisi tota suscipitur, tota repellitur.* Et licet omni modo se gratiam negare apertè non audeant aliqui confiteri, aliquo tamen modo se eandem negare per consequentias ex eorundem dictis conuincuntur inuiti; *non quia*, inquit epistola 144. Augustinus, *non quia hoc audeant apertè dicere, sed quia eorum sententiam, velint, nolint, hoc utique consequatur.* Vtinam igitur in vero ac sincero sensu (non in falso suo, vel subdolo) iste *totum gratiæ* daret, ut tribuebat Augustinus libro de dono perseuerantiæ C. 6. *tutiores*, inquiens, *viuimus, si totum Deo damus, non autem illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Vtinam in eo sensu, quo dicebat D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum Cap. 4. *in nullo gloriandum est, quando nostrũ nihil est*, quo testimonio perpetuo contra Semipelagianos usus est Augustinus, tum ep. 47, tum libro de prædestinatione Sanctorum. Vtinam in eo sensu, quo loquebatur Nazianzenus in quadam Homilia in Caput 29. Mathæi. *Non volentis nec currentis*, inquit, *quoniam velle ipsum à Deo quoque est, hinc iure optimo* (Apostolus) *totum Deo assignauit.* Vnde & Prosper in carmine de ingratis aduersus Semipelagianos hoc ipsum sibi pro themate ostendendo aut stabiliendo in primo omnium versu proponebat.

Vnde voluntatis sanctæ subsistat origo.

Vtinam eo modo, quo explicat S. Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi de tribus Epistolis Cap. 38. in fine omnino pro nostro instituto legendus. Vtinam in eo tandem sensu, quo in tractatu de gratia & libero arbitrio Bernardus id explicans inquiebat: *non partem gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Vtinam, inquam, in hoc Catholico Sanctorum Patrum sensu, & non suo Semipelagiano, intelligeret (ut in suo sensu adhuc Pelagiano, non Catholico, similia dixisse & Iulianum obseruabat Augustinus lib. 5. operis posterioris Cap. 48) sed quia non in bono sensu hæc sua verba proferebat, ideo non immerito & ipse præuidit non defuturos Catholicos, qui adhuc ipsi exprobrarent

prauam

prauum Pelagianorum intelligentiam, idque præuidendo subiunxit: *Quid conuertitis caput &c.*

XLVII. *Quid conuertitis caput ad calumnias, & Pelagij nobis dogma obijcitis? Anathemamus omnes, qui dicunt, adiutorio Dei sublato, posse hominem sine peccato esse, si velit: Anathemamus qui dicunt, nec per Adam mors, nec per Christum vita: Anathemamus qui dicunt, de duobus baptizatis qui nascuntur infantes baptismum indigere non posse: anathemamus qui dicunt infantes non debere in remissionem peccatorum baptismatis sanctificatione censeri &c.* Anathemate utique hos omnes Pelagij errores ferit, licet & Pelagius ipse subdole non semel hos eosdem errores anathematizare se diceret, ne dum in gestis Palestinæ Synodus, verum etiam in suis postea editis libris apud Augustinum libro de peccato originali cap. 18. & libro de gratia Christi Cap. 30, pluribusque sequentibus, & tamen quid diceres, Lector, si sequendo Natalis Alexandri, & Contenzonij nostri opinionem, tuerer adhuc hunc Auctorem, ne dum Semipelagianum cum Massiliensibus, verum & Pelagianum cum Iuliano, ex quo pleraque exscribit, fuisse? Audi & recole ex Iuliani scriptis præsertim apud Augustinum lib. 2. operis posterioris Cap. 98, & libro 3. Cap. 151, & alibi sæpe, Iulianum saltem concessisse, ex Adæ præuaricatione, transisse mortem in totum genus humanum, licet culpæ reatum transisse seu traduci in animas posterorum negaret, & concessisse rursus infantes ita sine peccato in anima contracto nascentes, ut tamen sanctificarentur, & filij fierent adoptiui Dei per gratiam, ac inde iuvarentur etiam ad vitanda peccata personalia in ætate adulta, & ut post mortem, ne dum in quamdam vitam æternam extra regnum Cœlorum, verum etiam in æternum Cœlorum regnum ingredi possent, baptismo utique indiguisse, quemadmodum & hic Auctor tandem in hęresi 88. videtur profiteri suam esse sententiam à Pelagio distinctam. Hæc omnia à Iuliano etiam concessa si recolas, in relatis hic istius Auctoris verbis intelliges nil aliud & istum cōcessisse, quam quod Iulianus Pelagianus de baptismate concedebat, & tamen Pelagianus esse non desijt. Verum aliis donemus hunc Auctorem in traductione etiam culpæ originalis conuenisse, uti & Massilienses conueniebant: Cum tamen hoc loco de gratia contra Pelagianos aut Pelagianorum reliquias, à Cælestino mox ante defuncto in epistola ad Episcopos Galliæ perculsas, nil dicat, certum adminus est, ex præexpensis contextibus, putentissimum

tissimum adminus ac rigidum Semipelagianum mansisse, quemadmodum de similiter aberrante Vitali Augustinus distinguebat epistola 107. ad eundem dicens: *Ego enim hæreticum quidem Pelagianũ te esse non credo, sed ita te esse vellem, ut nihil illius ad te transeat vel relinquatur erroris.* Et D. Prosper suo tempore de eadem hæresi præmonebat.

Quod tota nefanda
Hæreseos summa exigua sub parte tegatur:
De qua plena mali labes renouetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat.

ne tibi adiungam quod ibidem Prosper de occultis, in mente, licet non in ore, eiusdem hæresis sectatoribus (descriptis etiam ab Augustino ab initio epis. 105) Cap. 38 subdebat:

Quid prodest verbis commentum Pelagianum
Respuere, & sola damnatos plectere voce?
Cum paucis squalida sublatis de cute neruis
Intima viperei foueantur viscera sensus.

Demum hinc, ut opinor, post refutatum à Prospero, & ab Auctore Hipomnesticon, seu Hippognosticon, ex dictis superius, hunc Auctorem Prædestinati, postea anno 449 Leo Magnus epistola 84 ad Antistitem Aquileiensem contra eorundem Pelagianorũ reliquias, apposite alludens huic ipsi euasioni eiusdem Auctoris Prædestinati dicebat: *Nouimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execranas, qua se à damnatorum societate discreuerint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum,* uti & omnino mox ante Prosper in fine operis cõtra Collatorem iam loquebatur, & in hac epistola Leonis (cuius à secretis erat, eiusdemque epistolas exarasse testatur, nec dum Ado Viennensis, verum & Gennadius de Scriptoribus Cap. 84) pro refellenda hac fallacissima Auctoris Prædestinati excusatione repetebat.

XLVIII. *Hic est libellus vester, quem nulli datis legendum nisi sub sacramento. Vide ne prodas &c. Maxima pars muliercularum à vobis hunc meretur libellum accipere &c.* Hic calumniarum peritum admodum nec desidem fabrum se prodit Auctor Semipelagianus, ut suum imitaretur Iulianum, qui similiter contra Augustinum eiusdemque collegas Episcopos Aphricanos libro 3. operis posterioris Cap. 35 per summam calumniam aiebat: *Cur tantis totam Italiam factionibus commouistis? Cur seditiones Romæ conductis populis excitastis?*

citastis? cur de sumptibus pauperum saginastis per totam ferè Africam equorum greges, quos prosequente Alipio Tribunis & Centurionibus destinatis? Cur matronarum oblatis hæreditatibus potestates sæculi corrupistis; ut in nos stipula publici furoris arderet. Cur dissipastis Ecclesiarum quietem? Cur religiosi Principis, idest Imperatoris Honorij, qui Pelagianos publico edicto post Pontifices Romæ damnarat, *Cur religiosi Principis tempora persequutionum impietate maculastis?* Sic impostor insignis, cui Augustinus ibidem pacato animo, despiciendo huiusmodi mendacia, sic modeste respondet: *Sicut falsa sunt crimina, quæ obijcis nobis, ita falsa sunt dogmata, quæ fingitis vobis: sed dicite quantum potestis omne malum aduersum nos mentientes, nos tantummodo aduersum vos Christianam & Catholicam fidem defendimus: Et quid opus est vobis reddere similia maledicta, & non potius Euangelio credere, atque gaudere, quod ex istis falsissimis maledictis vestris, nobis merces augeatur in Cælis?* Sic ad tot conuitia breuissime sed grauissime Augustinus respondit, & sic pariter Prosper in responsione *ad Vincentianas* huius Auctoris Prędestinati *obiectiones* duobus illis verbis in præfatione præallatam impostruram pertransijt appellans *Prodigiosa mendacia*, cum prudēs quilibet ex ipsa repugnantia in accusatoris sermone falsissimam accusationem diiudicare valeret, ut supra expendimus ar. 3. §. primo, dum epistolam illam *sub nomine Augustini confictam* hic Auctor in præfatione narrabat viuente Cælestino fuisse solemniter eidem Cęlestino præsentatam, & ab eodem Pontifice publice *damnatam &c.* & postea hoc loco post Cælestini mortem nunc fingit eandem non potuisse sibi innotescere, nisi *prodente fæmina accepisset*, ex quo conuincitur, ut de Ruffino loquebatur Hieronymus, *voluntatem vtique, sed non veram artem, fingendi habuisse &c.* Veritas itaque, de hoc libello Massiliæ credito ut Augustini, ea est, quam supra discussimus sectio. 1. artic. 2. à §. 2. usque ad quartum, scilicet Euodium Vzalensem in Aphrica Episcopum scripsisse hūc libellum ad Adrumetinos, pro explicanda eisdem (verius confundenda) Augustini epistola ad Sixtum, eoque titulo vel simili inscripsisse, *Augustini, seu eius doctrina explicatio &c.* qui liber statim per aliquē ex Aphrica transmeantem in viciniores partes Hispaniæ primitus de Adrumetino Conuentu translatus fuit sub nomine Augustini, & posteriori deinde tempore etiam in Massiliensem urbem deriuatus est, atque utrobique ab aliquibus imperitioribus, deceptis ex solo titulo, Au-

gustini

gustini liber reputatus fuit, licet peritiores ac veri Augustini discipuli, ex contrarietate inter eundem librum & alibi traditam ab Augustino doctrinam, dignoscerent illum vere Augustini non esse, ut significat idem ipse Augustinus subsequenti anno 418, post scriptũ illum anno superiori ab Euodio libellum, in libro de gestis Pelagij Cap. 6. dicens. *Et mihi quidam Fratres nostri nonnulla opuscula sub meo nomine in Hispaniam venisse dixerunt, quæ quidem ab ijs, qui alia nostra legissent, non agnoscerentur, ab alijs tamen nostra esse crederentur.* Hæc Augustinus in libro de gestis Pelagii (post integrum annum à scriptione Euodiani prædicti libelli) scripto, nimirũ intra annum 418, ut colligitur, tum ex libro 2. retract. Cap. 47, tum ex Capite 11. eiusdem libri de gestis Pelagii, ubi ad Aurelium inquit: *Hæc ita obiecta sunt*, scilicet in Concilio Palestino, *ut etiam apud Carthaginem à sanctitate tua, & ab alijs tecum Episcopis dicerentur, audita atque damnata*, nempe in Concilio Aphricano celebrato Carthagine sub Aurelio contra Pelagianos, cuius Concilij Carthaginensis tempore non habuerat adhuc Augustinus gesta Palestinæ Sinodi, ex epistola 250, & ex epistola 95. ad Innocentium, & epistola 96. Innocentij ad Augustinum, & de quo Carthaginensi Concilio Augustinus subdit, (ut videas illud supponere non parum ante celebratum.) *Vbi quidem, ut recolis, cum ipse non fuissem, postea cum venissem in Carthaginem, eadem gesta recensui, ex quibus aliqua memini, sed nescio utrum eius hæc omnia teneantur.* Consequenter cum iam ante decennium, antequam Augustinus ex hac vita migraret, iam hic Euodii libellus sub falso Augustini nomine etiam in Hispaniæ partibus circumferreretur, quomodo potuit hic Auctor Prædestinati, vel calumniari, vel suspicari, hunc librum eundem ab Hilario & Prospero postea Massiliæ post mortem Augustini fabrefactum fuisse, uti impudentissime audet imputare? Quomodo imo ex modo reperta, ac recitata Augustini auctoritate, ea, quæ supra diximus, de eodem Euodij libello, confirmata non manent?

XLIX. *Dicit baptismum Christi fructum ullum penitus, dum traditur, non habere. Spes, inquit, quæ videtur, non est spes, idest remissio peccatorum, & quidquid in præsenti promittitur, non est, quia in futuro seruatur, hic tamen in hoc mundo non accipitur &c.* Et hæc integra fuit imputatio Iuliani Pelagiani in duabus epistolis Pelagianorum ad Zozimum & Bonifacium contra Augustinum eiusque collegas Episcopos, quam refert ac refellit idem Augustinus libro

3. ad Bonifacium eundem Cap. 3. sic dicens. *Baptisma quoque, inquiunt, non vere homines nouos facere asserunt, idest non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte &c. Mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur: Non hoc dicimus &c. Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia prorsus omnia factorum, dictorum, cogitatorum, siue originalia, siue addita, siue quæ ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur &c. Hæc est autem infirmitas, cum qua vsque ad corporis mortem defectu & profectu alternante contendimus, donec regeneratione alia consumetur &c. Quisquis igitur baptismati derogat, quod modo per illud percipimus, corrumpit fidem. Quisquis autem iam nunc ei tribuit, quod quidem per ipsum, sed tamen postea accepturi sumus, amputat spem &c. Spe enim salui facti sumus, Spes autem quæ videtur, non est spes &c.* En in quo sensu catholico hæc postrema Apostoli verba cum Augustino eiusdem discipuli intelligerent, & in quam præposteram intelligentiam eorundem dicta hic Prædestinati Auctor cum Iuliano calumniosissime detorqueret, & longo certamine hoc loco sibi hostes fingeret, quos vulneraret, imo in hoc, damnans ut hæreticos Augustini discipulos, hæresim ipse Iuliani promoueret, negantem in baptizatis peccati fomitem remanere, quod est ultimum, sed omnium pessimum, huius scriptoris erratum, de quo mox. Vide interim quo ad hunc numerum 49. iterum Augustinum libro 1. ad Bonifacium cap. 13, vbi & eam phrasim, quam hic Auctor Prædestinati imponit Augustini discipulis, pariter ex Iuliano refert, ac refellit dicens: *Quis aduersus Pelagianos nisi infidelis hoc affirmet? scilicet baptisma non auferre crimina, sed radere &c, quasi rasorum in capite capillorum radices in mala carne teneantur, vnde crescant iterum resecanda peccata? Nam & istam similitudinem comperi, sua illos adhibere calumnia, tanquam hoc nos dicamus, atque sentiamus.* Vide & rursus de hoc eodem eundem Augustinum lib. 6. operis prioris in eundem Iulianum Cap. 5, & 6, per integrum, in quo etiam libro 6. operis prioris Cap. 11. (ut incidenter id dicam) habentur ea, quæ ex Diuo Prudentio supra referebamus ad numerum 32 & 33 pag. 303, velut ex libro posteriori, (vt ibi inaduertenter quo ad hoc recitabantur) eisque similia diffusè habet idem Augustinus libro 1. ad Bonifacium cap. 8. 9, 10, 11, & 12, soluens ibidem singulas à Iuliano, & inde ab Auctore Prædestinati, instantias ex Apostoli contextu desumptas, eodem loco videndas.

L. *Videamus ergo utrumnam hæc concupiscentia, sicut dicitis, lex peccati sit: Nos concupiscentiam dicimus esse rem naturalis certaminis, & hanc dicimus ad propagationem hominum à Deo creatore visceraliter esse firmatam*; & pergit vsque ad finem libri probando concupiscentiam non ex peccato primi hominis seu originali vitiatam esse, sed bonam in se esse, solumque eiusdem excessum malum dici posse, quod est asserere *non recte* dici in eo sensu, *legem peccati, quia ex peccato est*; *& ad peccatum inclinat*, uti dicendam esse post Augustinum cum alijs Patribus & Concilijs Tridentinum etiam definiuit Sess. 5. in decreto de peccato originali numero 5. Si quis vero percuperet hoc loco præsertim conferre huius Authoris prolixissimas periodos, & phrases, circa hunc iam damnatum errorem, exscriptas verbatim ex Iuliano Pelagiano, & ab Augustino ex instituto solutas, ac velut erroneas refutatas, consulere poterit Augustinum eundem libro 4. operis prioris contra Iulianum per totum, & lib. 5. post medium vsque ad calcem, & in opere posteriori in eundem Iulianum sparsim libro 4. & 5; ex discipulis vero Augustini, de hoc acriorem cæteris creditum à me Mercatorem vel Sixtum, Auctorem Hippognosticon siue Hipomnesticon, libro 4. per integrum, & Lupum Ferrariensem ad finem Collectanei, verba Augustini exscribentes, & tam multa reperiet, ut concessurus sit me non immerito in re tam splendida vlteriorē collationis morosioris operam omisisse, ut hic Prædestinati Auctor non quidem censeri possit (ob supra perpensa ar. 3, §. 4. ad 5.) ipse Iulianus fuisse, bene tamen eidem Iuliano intimissimus conuincatur, & apprimè eiusdem libris euoluendis addictissimus, ex quo tam crebrò imo perpetuo sua commenta & errata deprompsit, sicut vidimus hactenus: Vnde concludimus apparere etiam quam immerito hic Auctor (si non Pelagianus, dominus certissime Semipelagianus rigidissimus) in præfatione præfixa apud Bibliotecham tom. 27. folio 543 commendatus legatur, & quam imo ab unoquoque Lectore attentissime cauendus sit, ne eum fortasse legens, dum Prædestinianismum, quem impetit, merito abominandum intelligit, in Semipelagianismum, quem promouet, incaute prolabatur, fiatque maior ex huius operis editione in Bibliotheca pernicies, quam ex eadem utilitas speraretur. Prædestinianismus enim in nouis Germaniæ, aut alibi, Prædestinianis adeo absurdus agnoscebatur, ut vel ulteriori manifestatione non indigeret, Semipelagianismus vero adeo per

sub-

subtiliores occultioresq; rimas serpere antiquitus etiam solitus erat, ut sedulo *metuēdum esse* admoneret & Prosper in epistola ad Augustinum, *ne etiam egregijs in omnium virtutū studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illuderet, & ne simpliciores quique, apud quos eorūdem magna erat de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutissimum sibi æstimarent, quod audirent eos, quorum authoritatem sine iudicio sequebantur, asserere*, & Augustinus ipse epistola 104. ad Sixtum *nec negligendos esse* dicebat, *qui vsque ad profundum silentium supprimebant timore, quod sentirent, & tamen eandem peruersitatem sentire non desinebant, nec ideo tanquam sanos prætereundos esse diligentia medicinæ, quorum vulnus in abdito est &c. ut etiam loquendo expugnent, quod iam loqui non audent. Sunt enim* (ut subdebat subsequenti epistola 105) *Sunt quidam, qui omnino siluerunt magno timore compressi, sed adhuc in corde retinent, quod ore iam proferre non audent &c: Proinde alij vigilantius vestigandi, alij tractandi quidem lenius, sed non segnius sunt docendi, ut si non timentur ne perdant* (uti de Socinianis ætate nostra experti sumus, quibus facilius fuit eierare Caluini Prædestinianismum, quam vitare Semipelagianismum, quem denuo exsuscitarunt) *ut si*, inquam, *non timentur ne perdant, non tamen negligantur ne pereant. Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adiutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt non se firmare humanum arbitrium, sed impellere ut per inania feratur, & non in Domino tanquam in petra stabili collocetur. Ne declines igitur*, ut verbis eiusdem Augustini epist. 47. ad te loquar hic, Lector, *ne declines in dexteram neque in sinistram, hoc est, non sic defendas liberum arbitrium, ut ei bona opera sine gratia tribuantur, nec sic defendas gratiam, ut quasi de illa securi mala opera diligamus, quod Deus auertat à nobis. Nec inde quisquam audeat* (subdit idem Augustinus trac. 53. in Ioannem) *Nec quisquam audeat liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem, qua dicimus, ne nos inferas in tentationem, conetur auferre: rursus nec quisquam neget voluntatis arbitrium, ut audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum & præcipientem & opitulantem: Audiamus & iubentem, quid facere debeamus, & adiuvantem, ut implere possimus. Nam & quosdam nimia sua voluntatis fiducia* (ut Semipelagianos, & denuo Socinianos) *extulit in superbiam, & quosdam* (vt Prædestinianos veteres atque recentes) *nimia suæ voluntatis diffidentia deiecit in negligentiam:*

Illi dicunt: Vt quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt: Vt quid conamur bene viuere, quod in Dei est potestate? O Domine, o pater, qui in Cælis es, ne nos inferas in quamlibet duarum istarum tentationum, sed libera nos à malo &c. ab vtroque scilicet malo, & Prædestinianismi, qui in Auctore Prædestinati oppugnatur, & Semipelagianismi, qui ab eodem defenditur, ac promouetur; non alijs sane quam mutuatis à Iuliano Pelagiano discursibus, & iam diù ab Augustino solutis, quia, vt probe dicebat eidem Augustino in sua epistola Prosper de Massiliensibus, & reliquis Semipelagianis, (quos præformauit Iulianus:) *ut breuius ac planius, quod isti opinantur, exponam: quicquid in libro de correptione & gratia ex contradicentium sensu Sanctitas tua sibi opposuit, quicquid etiam in libris contra Iulianum ab ipso sub hac quæstione obiectum, potentissimè debellasti; hoc totum ab istis contentiosissimè conclamatur.* Et tamen (ut omittam tot alia à me antea perpensa de hac re libro 6. de Approbatione doctrinæ Augustini quæstione 2. & 3, & 4.) ob oculos semper haberi deberet grauissima illa periodus Episcoporum Africanorum in epistola Synodica, quæ legitur tomo 9. Bibliothecæ recentis editionis folio 229, de huiusmodi circa gratiam erratis, [ad hoc diuinitus ista permitti, vt hinc diuinæ gratiæ virtus documento possit iudicij manifestioris intelligi: Quandoquidem ipsa gratia nullatenus agnoscitur, nisi detur, quæ quamdiù non est in homine, tamdiù necesse est, ut ei aut sermone homo repugnet, aut opere: Nam sermone repugnat gratiæ Dei, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium: repugnat autem opere, qui in moribus suis Christianæ vitæ non tenet institutum.] Aurea equidem, ut mihi videtur, mentique insculpenda sententia; quam qui non renuat obseruare, neque sanè cum isto Auctore Prædestinati Socinianos, vel nouos vel veteres Semipelagianos eliget imitari, neque hunc Auctorem iam Semipelagianum detectum laudibus prosequetur. Ex quibus primis, si quis unquam huc nostra lecturus accederet, eum interpellabimus in nostræ huius fine censuræ illis Augustini verbis, quibus ipse ab initio epistolæ 107 alloquebatur Vitalem: [Cum de te mihi essent nunciata non bona, rogaui Dominum, & donec mihi bona nuncientur, adhuc rogo, ut litteras meas nec aspernanter sumas, & salubriter legas. Si hanc exaudit pro te orationem meam, etiam de te gratiarum actionem donat ut offeram]. Quod si impetro, proculdubio non contradices huic ipsi

prin

principio: Hoc enim pro te oro, ut sis rectæ fidei. Si ergo pro charis nostris non tibi displicet, ut oremus; si hanc orationem recognoscis esse Christianam, & si & tu pro charis tuis talia vel orare te debere cognoscis, quomodo dicis (quod te audio dicere) ut recte credamus in Deum, & Euangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, idest ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse?] Contra secundos vero, si qui adhuc adessent, qui post visas has nostras subnotationes, à laudando isto Auctore Prædestinati cessare non vellent, non alijs ipse concluderem verbis, quam quibus idem Augustinus vsus est, dum de eodem Vincentio Victore (quem iam diximus hunc ipsum Auctorem Prædestinati fuisse) in libro 2. de origine Animæ loquebatur ad Petrum Presbyterum Cap. 1. dicens. [Habet iste non minimum facultatis, qua possit explicare atq; ornare, quæ sentit, si prius dedisset operam recta sentire. Valde quippe sunt noxia praua diserta, quia hominibus minus eruditis, eo quod diserta sint, videntur & vera. Quomodo autem eosdem hos libros ipse acceperis, nescio. Verumtamen, si verum est, quod audiui, diceris eis recitatis ita exiluisse lætitia, ut caput iuvenis illius, (Nouitijvè eiusdem operis inauspicatè reperti) vt caput iuvenis illius senex, & laici Presbyter osculatus, didicisse te, quod ignorabas, egeris gratias. Vbi quidem non improbo humilitatem tuam, imò vero etiam laudo, quod honorasti doctorem tuum (seu tuæ sententiæ fauentem) si tamen potueris demonstrare, quid per istum veritatis acceperis. Vellem itaque rescriptis tuis, quid te docuerit, me doceres: Absit enim, ut erubescam à Presbytero discere, si à laico tu (uti laicus erat hic Vincentius Victor, & Author Prædestinati) si à laico tu non erubuisti prædicanda & imitanda humilitate vera didicisse &c.] *At vero* (ut subdit Capite 3.) *At vero si te docuit* (tot Semipelagianos errores, quibus eius scriptio iam scatet) *nolo me doceas: Imo etiam volo, ut quod didiceras, ipse dedifcas &c. Quod si emendare* (pergit in capite 16) *Quod si emendare* (librum, vel de eodem cauendo, admonere Lectorem) *negligis, cum videas emendandum, aduersus charitatem facis: Si autem tibi emendandus propterea non videtur, quia putas eum recte ista sensisse, aduersus veritatem sapis. Omnia itaque in eiusdem libris tibi traditis* (mox ante de recenti repertis) *sobriè, vigilanterque considera, & plura, quam ego, inuenies fortasse culpanda, &c, ne in eius ornato eloquio, tanquam in pretioso poculo,*

te inuitante, & si non bibente, venenum bibant, si tu, quod inde biberis, nesciunt, & propter laudem tuam omnia illi bibenda salubriter arbitrentur. Sed tamen prædixit dominus de fidelibus suis, quod & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Ac per hoc, qui cum iudicio legunt, & secundum regulam fidei approbanda approbant, & improbant improbanda, nulla venenata sententiarum prauitate ladentur, vti ad hunc finem ego, post exhibitum in sectione 2. hoc idem opusculum Prædestinati (vt cum præmisso in prima sectione examine conferreretur) hic ab initio huius nostræ Sectionis tertiæ, quæ errata in eodem cauenda essent, subnotationibus additis detegebã.

CONTINVATIO

Antidoti, Operisque Conclusio.

DE CONNEXIS QVIBVSDAM, SEV consectarijs adscripta superius.

COncludendum est itaque præcipuum totius nostri operis intentum (quod & supra sectione prima Art. 2. §. 7. indicabamus) scilicet istud opus Prædestinati nullum aliud fuisse, quam Semipelagianum cauendum opus obiectionum Vincentianarum, quibus S. Prosper respondit; quædamque ad hoc consectaria explicanda sunt, & quædam addenda, quæ pro eodem præcipuo intento nostro (pendente ex tot hinc inde expiscandis antiquorum memorijs) successu temporis occurrerunt, denuoque vel nobis, vel alijs, in antiquorum monumentis, occurrent: Interim ista subdemus.

Primo unum (quod nec cordati viri negabunt, nec improbatum ex Hincmarri testimonio linquemus) supponendum hic venit, nimirum Auctorem Prædestinati post finem operis, vel pro Epilogo sui totius operis (ut moris est) vel pro rerum præcipuarum indiculo (uti pariter consueuere scriptores) addidisse ea omnia capita errorum, quorum suppositos à se impugnatos hæreticos Prædestinianos accusabat, quæque in totius sui decursu operis velut abominanda percurrerat, ac velut hæretica denunciarat. Hæc autem errorum

rum

rum capita si vel nos ipsi colligere ex eodem Prædestinati opere in præsenti velimus, vel ex Prosperi Responsionibus, non alia profecto quam sexdecim ista capita erunt, quæ, rogo Lector, ut audias prius, & postea cum opere eodem tu conferas. Primum est. *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus*: Secundum: *Quod Deus nolit omnes saluare, etiamsi omnes saluari velint*. Tertium: *Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum*. Quartum: *Quod maior pars humani generis ad hoc creetur à Deo, ut non Dei sed Diaboli faciat voluntatem*. Quintum: *Quod peccatorum nostrorum Autor sit Deus, eo quod malam faciat voluntatem hominum, plasmet substantiam, quæ naturali motu non possit nisi peccare*. Sextum: *Quod Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit, vel velit, nisi malum*. Septimum: *Quod hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salua esse nec velit, nec possit*. Octavum: *Quod nolit Deus, ut omnes Catholici in fide Catholica perseuerent, sed velit ut magna exinde pars apostatet*. Nonum: *Quod velit Deus, ut magna pars Sanctorum à sanctitatis proposito ruant*. Decimum: *Quod adulteria & corruptelæ sacrarum Virginum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinauit, ut caderent*. Vndecimum: *Quod quando incestant patres filias, aut matres filios, vel quando serui Dominos occidunt, ideo fiat, quia ita Deus prædestinauit, ut fieret*. Duodecimum: *Quod Dei Prædestinatione efficiantur de filÿs Dei filÿ diaboli, & de templo Sancti Spiritus templa dæmonum, & de membris Christi membra meretricis*. Decimumtertium: *Quod omnes illi fideles & Sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur, sed ipsius vitÿ causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates*. Decimumquartum: *Quod pars magna Christianorum Catholicorum Fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiam si petat à Deo Sanctitatis perseuerantiam, non impetrabit: eo quod mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauitque ut caderent*. Decimumquintum: *Quod omnes illi fideles & Sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postea quam ceciderint, sic à Deo dispensantur, ne possint, vel velint per pœnitentiam liberari*. Decimumsextum: *Quod magna pars illa Fidelium atque Sanctorum, quæ ad æternam mortem prædestinata est,*

quan-

quando dicit Deo in oratione Dominica, Fiat voluntas tua; nihil aliud quam contra se petat: idest, ut cadant, & ruant: quia voluntas Dei hac est, ut aterna morte pereant. Horres, Lector, & obstupescis ad ista tam blasphema horrendaque dicta, quomodo, vel qua fronte hic Auctor Prædestinati hæc omnia vel cogitare potuerit, nedum vulgato libro supponere imputanda Hilario & Prospero Augustini discipulis. Et tamen, si repetas, vel præfationem totius Operis Prædestinati ab initio, vel hæresim 90 in libro primo eiusdem, vel integrum librum tertium, vel à nobis excerpta ex eiusdem locis supra sect. 1. art. 2. §. 7. experimento probabis, hoc vtique ausum esse petulantissimum istum atque calumniosissimum Semipelagianum Scriptorem Vincentium, quem supra descripsimus §. 9. Pleraque enim ex his sexdecim capitibus verbatim etiam in prædictis locis hic Auctor Semipelagianus vtique Augustini discipulis imputabat, ut ibidem leges, alia vero, quæ verbatim ibidem non exprimebat, ex ibidem expressis, ac semel suppositis, per necessariam consequẽtiam sequebantur, ut expendenti patebit, ideoque in epilogo postea, seu operis indiculo, amplificando, ut magis detestabiles redderet, quos oppugnabat, Augustini discipulos, eadem singillatim distincta Capitula subinserebat. Quod enim nouem priora capita, sicut & decimumquartum & decimumquintum, fermè verbatim in præsignatis locis legantur, consulenti constabit. Quod vero in decimo Capite, undecimo, & duodecimo, dicitur de adulterijs, stupris, incastibus, ac pessimo peccatorum statu subsequente, velut à Deo volitis, ac causatis per suam præordinationem, ea sine dubio consequebantur ex illo toties imposito principio, erroreque imputato vniuersim, quod Augustini discipuli blasphemantes dicerent (ut iste Semipelagianus imponit, ac loquitur) tum in præfatione operis, *sic homines prædestinatos ad mortem, ut criminum suorum delectationem Dei prædestinationem existiment*, tum initio libri tertij; *humanum genus ita diuinis prædestinationibus subiacere, ut mala omnia, qua geruntur in sæculo, Dei dicantur voluntate committi*; & paulo infra, *ut Deus prædestinationis sua vinculo, ad peccandum adstringat*, & iterum mox, *prædestinationis eius vim eo vsque adduci, ut eius dicatur præordinatione peccatum, & prædestinatione Dei homines consentire peccatis &c.* Quod demum in postremo 16. Capite additur, iuxta Augustini discipulos, homines, cũ in oratione Dominica aiunt. *Fiat voluntas tua: tunc nihil aliud quam contra se petere, idest, ut cadant,*

dant,

dant, & ruant, quia voluntas Dei hæc est ut æterna morte pereant, ex ea sane priori calumnia consequebatur, quod dicerent (vt legitur in operis præfatione) *homines ita prædestinatos ad mortem, ut illis nec passio Christi, nec baptismatis redemptio, nec fides, nec spes possit, nec charitas subuenire*, & vt legitur lib. 3. *Deum prædestinationem suam ad diaboli desiderium, & ad hominis interitum posuisse, & voluisse prædestinationem suam seruire voluntati diaboli*: Hæc itaque omnia sexdecim Capita, vt vides, quæ vel verbatim in Augustini discipulis singillatim criminatus in operis excursu iam fuerat, vel manifestè ex eisdem consequebantur, idem Auctor Prædestinati, in eiusdem operis epilogo, seu indiculo postea recapitulabat, ut magis inde præsupposita Prædestinianorum hæresis abominabilis ostenderetur, vti iā in prima eiusdem operis præfatione se facturum esse spondebat de eadem veluti arbore erroris ac libri Prædestiniani dicens: *ad cuius radicem securis est posita, ut excindatur, & in ignem mittatur &c. Quæ* (scilicet Prædestiniana dicta) *licet pro ipsa sui peruersitate vltro se legentibus prodant, tamen egimus, ut veritas à mendacio, non solum verbis rationalibus, sed etiam alogijs increpantibus discernatur &c: & id gessimus &c. ut tertius liber hæreseos deuicta tumulum, fideique trophæum, cunctis Ecclesijs tradat*, ostendendo nimirum in fine etiam libri tertij singula sexdecim hæreseos capita horrenda & blasphema, quæ in toto opere impugnarat, ac se deuicisse iactabat. Nec sanè hic sexdecim capitum index, vel epilogus, Divum Prosperum (quem supra diximus respondisse huic eidem Auctori Prædestinati) prætexiuit, dum ad hunc ipsum epilogum totius operis Semipelagiani respiciens, hac de causa in exordio ad Vincentianas ipsas sexdecim obiectiones (quæ sunt verbatim penitus eædem cum præcitatis) aiebat. *Contexunt &c. ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia &c. asserentes talia esse in nostro sensu, qualia diabolico continentur indiculo &c.* En indiculum libri: Et ne quoad numerum dubitares, sic pergit Prosper: *Propositis ergo singulis sexdecim articulis, sub unoquoque eorum sensus nostri & fidei, quam contra Pelagianos ex Apostolicæ Sedis authoritate defendimus, verba ponemus &c.* & continuo per ordinem repetit, exscripta ex hoc eodem indiculo verbatim omnino, præallata singula Capita sexdecim obiectionum, quas vocat Vincentianas, & ad eas, repellendo calumniam, ordinatè respondet, vti in Prospero eodem consulenti constabit. Non ergo amplius dubitari potest, hunc Aucto-

rem Prędestinati eundem esse ac auctorem obiectionum Vincentianarum, quibus Prosper respondit, & simul eodem ferme tempore respondebat Auctor Hypognosticon, seu Hipomnesticon, quemadmodum & sectione prima iam diximus.

Secundo tamen, quia trepidulus aliquis forsan, de hoc præsupposito à nobis indiculo sexdecim capitum seu articulorum pro epilogo ad finem operis Prædestinati subiuncto, poterit hæsitare, ex eo quod & Collector maximæ Bibliothecæ de nouo inserens hoc Prædestinati opusculum in tomo 27, & Sirmundus (ex quo hic Collector hoc totum mutuatus est) reperiens ætate nostra idem Prædestinati opusculum inter Hincmarri codices, illud sine hoc vel memorato indiculo ediderunt; idcirco ut leuis ista hæsitatio abigatur, prædictum nostrum suppositum ex antiqua eiusdem Hincmarri attestatione firmandum est, ut dignoscas certum esse quod nos supponimus hic, quidquid sit, an postea à sæculo 9. (quo Hincmarrus hoc opusculum cum suo indiculo sexdecim capitulorum recognoscebat) vsque ad ætatem nostram, per bene integra octo sæcula, abradi aut deperdi potuerit ex eodē opusculo præsuppositus antiquus idem indiculus (uti nec sane completum in fine penitus hoc Prædestinati opusculum, ut editum à Sirmundo, videri potest) vel an qui opusculum repererunt, cum cogitarent (ut factum est) Auctorem eundem ut *Patrem Ecclesiasticum* ab omni hæresis suspicione remotum supponere, ac divulgare, ideo obiectionum (quæ Vincentianæ erāt) indiculum præteriuerint, ne ex collatione earumdem cum Semipelagiani Vicentii obiectionibus Semipelagianus & iste Vincentius dignosceretur. Quidquid, inquam, de hoc sit, nostrum suppositum ex testimonio antiquissimo eiusdem Hincmarri (inter cuius codices repertum est) stabilitur, & simul ostenditur modus, quo idem Prædestinati opusculum aliunde in Hincmarri manus aduenerit, quod idem Sirmundus, dicens solum (sine ullius alterius attestatione) apud Hincmarrum à se fuisse repertum, obseruare dimisit: Anno igitur 848 in Synodo Moguntina, & anno subsequente 849 in Synodo Carisiaca, Gottescalchus Monachus reprobatus punitusque personaliter fuit, ut hæreticus Prædestinianus, licet postea solum in altera Synodo Carisiaca posteriori sub anno 853 quatuor capitula, contra eiusdem Gotteschalchi Prædestinianos quatuor errores, edita sint (ex Annalibus Bertinianis & aliis.) Anno vero 851 ex aduerso Ioannes quidam Erigena Scotus (in aula Caroli Regis degēs)

exsuscitatus ab Hincmarro ut scriberet contra errores Prædestinianos prædicti Gotteschalchi, ex aduerso iste Erigena in suis erroneis scriptis in plures errores extremè contrarios incidit, & adminus factus est putidissimus Semipelagianus, ut contra eundem editis libris ostenderunt statim D. Prudentius, & D. Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi. Hinc Galliarum Episcopi in hac Gotteschalchi causa in duas veluti partes diuisi sunt, quarum altera erat Episcoporum plerumque sub ditione regnantis Caroli Calui, altera degentium plerunque sub ditione Lotharii, habentium aliquas etiam simultates adinuicem: Illius partis præcipui erant Rabanus Mogontinus Archiepiscopus, Amolo Archiepiscopus Lugdunensis (antecessor Sancti Remigij) Hincmarrus Archiepiscopus Rhemensis, & Pardulus Episcopus Laudunensis, cum aliis. Istius alterius partis præcipui fuerunt, præter Lupum Ferrariensem, & Ratramnum, Ebbo Gratianopolitanus Episcopus (qui in Synodo Valentina anno 855. edente alia capita econuerso contra Semipelagianismum Erigenæ tunc resurgentem, *quam maximè collaborauit*, ut in præfatione eiusdem Synodi dicitur) S. Remigius Archiepiscopus Lugdunensis, Amolonis successor, & in Sinodo Tullensi anno 859, confirmante in plerisque alteram priorem Valentinam, *capitula proferens &c.* (ut loquitur Hincmarrus in epistola eodem anno 859 scripta ad Regem Carolum apud Flodoardum lib. 3. cap. 16.) & demum Sanctus Prudentius Episcopus Tricassinus, cuius & de hac re opera extant, præter quamplurimos alios duodecim Prouinciarum Episcopos, qui in hac ultima Synodo interuenerunt: Primi igitur illi studere videbantur tantum eliminare Prædestinianum errorem Gotteschalchi, sed forsan non noscentes adhuc contrarium alterum extremum errorem Semipelagianum Erigenæ, Gotteschalcum insectantis, hunc Erigenam omittere videbantur, uti non negat pro eo priori tempore ante Tullensem Synodum, secum plures ab hoc abstinuisse, idem Hincmarrus in mox citata epistola ad Carolum Regem, & conqueritur Ecclesia Lugdunensis in libro contra Erigenam Cap. 4. Secundi autem isti econuerso, licet supposito, quod Gotteschalchus ita, ut supponebatur ab aliis, sentiret, & ipsi Prædestinianum eiusdem errorem reprobarent, timentes tamen, ab exemplo eo ipso tempore scribentis Erigenæ Semipelagiani, ne sub colore aut prætextu impugnandi in Gotteschalcho Prędestinianos errores, simul ab aliquo Semipelagiano (vt eodem modo præstiterat

sæculo 5. & Faustus Reghiensis occasione scribendi contra Lucidum &c.) confunderetur simul ac impugnaretur cum Prædestinianismo Gotteschalchi, etiam Catholica Augustini ac discipulorum eiusdem doctrina, sistentium in medio utriusque erroris extremi, ideo sedulo in hoc sensu, seu ad hunc finem, primis obsistere censebantur, & verbis saltem (licet non sensu, vt forsan suo loco cum Eminentiss. Capisucho dicemus) aliquo modo contraria sua Valentina capitula aduersus etiam Carisiaca edere videbantur, & si Valentina in re solum essent contra sensum Semipelagianum Erigenæ, Carisiaca vero solum contra sensum Prædestinianum Gotteschalchi, & sic vtraque contra extremos utrinque errores contrarios, in medio tandem, ac in vero sensu Catholico permanebant. Quoad vsque tamen inter aliquos ab initio præsertim dissensio vigebat, uti Hincmarrus cum suis agens acriter contra Gotteschalchum, Gotteschalcho simul & quibusdam fautoribus eiusdem, si qui erant, (ut eisdem locis se suspicari dicebat) improperabat eosdem omninò antiquorum Prædestinianorum errores, quos ferme improperat & hic Auctor opusculi Prædestinati ab Hincmarro tunc habiti (ut patet ex eiusdem Hincmarri epistola ad Nicolaum Primum) ita & econuerso S. Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi, ac præsertim Ebbo Gratianopolitanus promotor Synodi Valentinæ, dum ageret contra iam manifestum Erigenæ Semipelagianismum, reponebant, ne dum Erigenæ, sed etiam fautoribus eiusdem, si qui erant, easdem omnino obiectiones, ex Prædestinianismo imputato desumptas, ab hoc antiquo Auctore operis Prædestinati, utpote Semipelagiano, olim aduersus Sanctos Augustini discipulos, non minus ac a Gallis antea aduersus ipsum Augustinum, inclamatas fuisse. Neque enim solus Gotteschalchus, (cui ut vere Prædestiniano hoc subterfugium prodesse non poterat) hanc adhibebat intorsionem in suo libello ad Rabbanum sui damnatorem (apud Hincmarrum libro de Prædestinatione Cap. 21) dicens: *te potius B. Augustini &c. fructuosissimis assertionibus niti malueram, quam erroneis opinionibus Massiliensis Gennaay, qui præsumpsit, infelicis Cassiani perniciosum nimis dogma sequens, tam fidei Catholicæ, quam Beatorum etiam Patrum inuictissimis auctoritatibus reniti*: Verum & Sanctus Remigius in Synodo Tullensi sibi aduersantes aliquo modo paucos Episcopos ex parte Hincmarri (omittentes obsistere Erigenæ Semipelagiano scriptori æmulo Gotteschalchi) redarguit eisdem verbis,

quibus

quibus Cælestinus olim Semipelagianos in Gallia reprehendebat; & ut loquitur Hincmarrus ipse in epistola posteriori ad Regē (apud Flodoardum libro 3. cap. 16) *motus nostri ab eodem venerabili Archiepiscopo Remigio Lugdunensi sunt modeste compositi, eo venerabiliter perorante &c. Blando sibilo eos quidem* (scilicet Hincmarri partiarios) *charaxare voluit de eo, quod Sanctus Cælestinus Gallicanos Episcopos redarguit dicens: Quid illic, inquit, spei est, ubi magistris tacentibus hi loquuntur* (scilicet Semipelagiani) *qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt: timeo ne conniuere sit hoc tacere: Timeo ne magis ipsi loquantur, si permittunt illis taliter loqui. In talibus causis suspicione non caret taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret: Merito nanque causa nos respicit, si silentio faueamus errori*: Hæc ille cum Cælestino reprehendens Hincmarri partiarios, qui Semipelagianum, à se excitatum ad scribendum contra Prædestinianos Gotteschalchi errores, aut non aduertebant, aut non prohibebant eum simul vt marcidum Semipelagianum contra sinceros etiam Augustini discipulos velut Prædestinianos insurgere, non minus ac ipse Auctor Prædestinati aduersus Hilarium & Prosperum sęculo quinto iam egerat. Præ cæteris tamen contra Hincmarrum Ebbo Gratianopolitanus Episcopus, tum in hac Synodo Tullensi post Valentinam, tum magis in anteriori Synodo Valentina (in qua iste, uti & Hincmarrus epis. ad Regem conqueritur, *quam maxime collaborauit*) sincerè motus ex causa communi verorum Augustini discipulorum, & ne dum ex simultate antiqua cum eiusdem Hincmarri persona (ob alterum seniorem Ebbonem, avunculum suum, qui de coniuratione aduersus Ludouicum Pium accusatus, è Remēsi Sede, Hincmarro succedente, disiectus fuerat) in medium protulit aduersus partem Hincmarri Opusculum Prædestinati, cuius non minus Auctor Semipelagianus, antiquis Sanctis Augustini discipulis, sexdecim Prædestinianos articulos in postremo indiculo operis imputabat, ut inde hic Ebbo à iam damnato exemplo probaret improbum cuiuscunque alterius de nouo Semipelagiani conatum, in imputando sinceris Augustini discipulis consimiles Prædestinianos errores, idque, quod Ebbo forsan oretenus prius in Synodo proponebat, etiam in editis postea à parte S. Remigij & sociorum scriptis insertum est, ut manifestè tunc recognouit Hincmarrus, suaque ad Regem epistola priori attestatus est, & nunc integrum testimonium eiusdem, quod legitur apud Flodoardum lib. 3. historiæ

Rhe-

Rhemensis Cap. 15, audiendum est, pro quo unico præcedentia singula à nobis præmissa sunt. Post excursa igitur scripta quædam à sibi opposita parte edita (inter quæ certum est adfuisse & librum Ecclesiæ Lugdunensis sub S. Remigio inscriptum præsertim *de tenenda veritate scripturæ*) & post indicata in eisdem scriptis libris contenta & singula sex Valentina capitula ab Hincmarro ibidem appellata, *capitula Synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum trium scilicet Prouinciarum &c.* inde sic pergit Hincmarrus: *Inseruerunt etiam in eisdem suis scriptis de quibusdam sexdecim Capitulis*, (Nota hic, quæso, Lector, li, *sexdecim*, per expressorum verborum notas, non vero per solas notas numerales, in quibus suspicari liceret mendum facile irrepsisse) *de quibusdam sexdecim capitulis, quasi nobis debeant imputari, de quibus nihil audiuimus, vel vidimus, antequam Venerabilis Ebbo Gratianopolitanus Episcopus vobis ea* (scilicet Carolo Regi, ad quem loquitur) *vobis ea, quasi à bonæ memoriæ Fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermetiam palatium detulit. Quorum capitulorum Auctorem nec adnotatum inuenimus, nec, cum multum quæsiuerimus, inuenire valuimus. Vnde putauimus, quod alicuius inuidia ad cuiuspiam opinionem infamandam fuerint compilata &c.* En opus Semipelagianum Prædestinati, in quo sexdecim utique capitula Prædestiniana in operis indiculo *ad infamandam* Hilarij & Prosperi *opinionem compilata* tunc adhuc legebantur, ad quæ simul *sexdecim* capita Vincentianarum obiectionum iam Prosper responderat. En unde aduenerit in manus Hincmarri hoc opus Prædestinati, scilicet à Lothario fratre Caroli transmissum ad Ebbonem, & ab Ebbone publicatum, ut Hincmarro ostenderet, Prædestinianos articulos, quos Semipelagianus Erigena, dum Prædestinianum Gotteschalcum insectaretur, veris etiam ac sinceris tunc temporis Augustini discipulis denuo per calumniam improperabat, iam diù à Semipelagianis fuisse Sanctis Augustini discipulis imputatos. En totum, quod volumus, nempe Auctorem Prædestinati, etiam sæculo 9. ab Episcopis cum S. Remigio, in Synodo Valentina ac Tullensi consentiẽtibus, Semipelagianum agnitum esse, in eiusdemque Prædestinati opere, tunc lectum esse subjunctum indiculum sexdecim illorum capitulorum, seu articulorũ, quos numero superiori primo proferebamus, & quos singillatim Prosper *ad 16. obiectiones Vincentianas* exscribebat, ac refellebat. En quomodo in libris editis à parte S. Remigij cum Ebbone cæte-

risque consocijs, conferebantur & capitula quædam partis Hincmarri cum capitulis eiusdem operis Prædestinati, ut ex istis damnatis velut Semipelagianis, damnarentur & illa, dum in fine eiusdem Epistolæ Hincmarrus subiungit: *Et quia libellum de scrinio bonæ memoriæ Fratris vestri Lotharij* (scilicet libellum Prædestinati prædictum) *sine nomine Auctoris suscepimus, in quo singillatim, per loca singula, capitula, à nobis excerpta, sunt posita,* (idest, in quo Prædestinati libello leguntur etiam & nostra Carisiaca capitula excerpta à nobis) *& in sensu illius, quiscunque ille fuerit, reprehensa sunt, & damnata,* (idest in libris postea editis à parte S. Remigij, *in sensu illius* Semipelagiani Auctoris Prædestinati, damnata sunt, non minus ac erant in illius sensu damnata à D. Prospero:) *cum de Catholicorum Patrum dictis nostra Capitula* (scilicet Carisiaca, non in sensu illius Semipelagiani aduersus sinceros etiam Augustini discipulos sed in sensu medio ac Catholico solum aduersus errorem extremum Prædestinianum Gotteschalchi) *nostra capitula si poterimus, confirmare conabimur &c.* Hæc Hincmarrus continuo distinguens prædicta sexdecim Prædestinati capitula etiam ab alijs decē & nouem contrarijs Capitulis Erigenæ Scoti in Valentina Synodo ac Tullensi damnatis, de quibus in eisdem Synodis legitur. *Porro capitula decem & nouem Syllogismis ineptissime, ac mendacissime à quodam Scoto conclusa &c. penitus explodimus,* ad hæcque attendens Hincmarrus ibidem concludit: *Et sic tandem subijciemus illa decem & nouem Capitula, pro quibus de Scotorum pultibus confratres nostri, sine culpa nostra, in hac dumtaxat causa nos pascere decreuerunt, & quid de eisdem Capitulis sentiamus, ex Catholicorum fratrum sensibus, ostendemus.* Quinam itaque pro re nostra superest amplius dubitandi locus? quid quæso, poterat pro intento nostro ulterius perquiri aut flagitari? Vnum, fateor, nobis desiderandum ultro mansisset, ut liber editus à S. Remigio cum sua Ecclesia Lugdunensi in hac ipsa causa inscriptus *de tenenda veritate Scripturæ* (de quo simul loco mox recitato loquebatur Hincmarrus) non mutilatus, magnaque interiacente lacuna detruncatus, sed integer editus esset, aut ederetur, dum in tom. 15. Maximæ Bibliothecæ fol. 712. in prædicto libro Ecclesiæ Lugdunensis, (in quo singula quatuor Capitula Carisiaca ex instituto ac per ordinem examinantur) postquam circa primum capitulum Carisiacum septem integra prolixa capita scripta leguntur, inde circa secundum Capitulum Carisiacum scri-

pto

pto uno tantum Capite ac inchoato 2. Collector Bibliothecæ aduertit, & notat, plurima ibidem libri Lugdunensis Capita abrasa fuisse (in quibus res principalis aduersus Semipelagianos tractabatur) & inquit: *hic plurima desunt, scilicet magna pars Censuræ huius secundi Capituli, & maxima pars Censuræ tertij Capituli, quod sequitur*: scilicet Carisiaci, & postea ad tertium subsequens Carisiacum Capitulum vix dimidia unius solius Capitis Lugdunensis pars legitur, licet saltem ad quartum Carisiacum Capitulum tria prolixa Lugdunensis censuræ Capita habeantur. neque Collector Bibliothecæ aliud potuit adnotare, nisi etiam ad tertium Capitulum *plurima deesse*. Vtinam ergo, ut dicebam, hæc tot Capita è scripto Lugdunensi antequam ederetur, (ab aliquo interpolatore fauente Semipelagianis) abrasa non fuissent, & tunc in eisdem recitata ex Auctore Prædestinati eadem sexdecim capitula legeremus, velut Prædestiniana ab auctore Semipelagiano imputata antiquitus Sanctis Augustini discipulis, quemadmodum loquens simul de hoc scripto Ecclesiæ Lugdunensis (ut ex contextu iam supra colligebamus) in priori epistola ad Regem Hincmarrus aiebat: *inseruerunt etiam in eisdem suis scriptis de sexdecim Capitulis &c*, ac inde melius, hoc dato, si liber mutilatus non esset, agnosceremus, tum ea sexdecim capita fuisse sexdecim illas obiectiones Vincentianas, tum Auctorem Prædestinati non alium, quam Vincentium Semipelagianum fuisse, quod ne agnosceretur ex integro, ab aliquo iam Semipelagianismo fauente, (inter seculum nonum, ac tempus nostrum) prædicta folia abrasa abstractaque fuerunt, licet manente adhuc, ut vidimus, adminus Hincmarri testimonio apud Flodoardum, res, quæ tot artibus occultabatur, tandem delaruata extumulatave fuerit.

Tertio nunc diuersa tempora distinguēda veniunt, quibus Hincmarrus anno 856 scripsit suum prius opus in tres libros distributum *de prædestinatione Dei & libero arbitrio contra reprehensores suos*, cum præfatione ad Regem Carolum (quæ sola huius operis extat apud Flodoardum lib. 3. Cap. 15, opus autem adhuc latet:) anno autem 859. scripsit alterum posterius opus *de Prædestinatione* cum altera præfatione ad eundem Regem (quæ apud eundem Flodoardum cap. 16. legitur, & integrum opus modo editum extat *cura & studio Iacobi Sirmundi &c.*), hæcque diuersa utriusque scriptionis tempora adnotantur etiam à Sirmundo in Synopsi Chronica in eundem tomum Hincmarri, & ulterius id habetur ex utriusq; operis

præ-

præfationē, præsertim ex secunda, in qua ab initio se scribere Hincmarrus profitetur *anno incarnationis Dominicæ octingentissimo quinquagesimo nono*, & nominat *Tullensis Synodi capitula*, propter quę scribit, & postea memorat & capitula anterioris Synodi Valentinæ *ante triennium*, inquit, *quasi conscripta in Synodo Valētina anno 855 sub Lothario*, ad quæ etiam se antea *respondisse* subiungit, scilicet in priori opere, idemque significat hoc posteriori libro de prædestinatione Cap. 30. & 31, & alibi Vtrobique autem, ut sibi licentiam faceret impugnandi, tum prioris Valentinæ decreta, tum Synodi posterioris Tullensis, admittit quidem ea decreta ab Ebbone in Valentina, & à Remigio in Tullensi, presentata, ac lecta fuisse, sed dissimulando veritatem, vel negat, vel non admittit, à Synodi Patribus approbata editaque fuisse, tum in prioris operis præfatione dicens, *fieri potest ut ista capitula ab alijs quam ab illis delata vel transmissa sint &c*, tum in præfatione operis posterioris addens: *non ex ipsis, ut non dicamus per ipsos, Synodo capitula ipsa fuere prolata*, & tamen adhuc in editione Conciliorum eadem capitula, nemine dubitante, in utraque Synodo perleguntur, ut videas quò æstu disputationis Hincmarrus abreperetur, ut notam tunc singulis Galliarum Episcopis veritatem certissimam inficiaretur. Interim tamen iam anno 855, dum primum opus evulgaret, & audiret tunc sibi ignotum Prædestinati opusculum *de Lotharij scrinio* inopinato evulgatum, sibique ab Ebbone obiectum (ut vidimus) pro tunc in eo priori opere de hoc respondendo dicebat, *eorum sexdecim capitulorum Auctorem se nec adnotatum inuenisse, nec inuenire valuisse*, ut in extante eiusdē prioris operis præfatione nunc legimus, clariusque iterum legeremus in integro eodem priori opere, si & ipsum extaret, & non fuisset ab aliquo iterum (suffragante fortasse Semipelagianismo Erigenæ tunc scribentis) ne nobis posteris etiam hæc veritas panderetur de Semipelagiano Auctore Prædestinati à Prospero refutato in Responsione ad sexdecim obiectiones Vincentianas, data opera occultatum. At anno postea 859, cum posterius opus conscribret, & per bene integrum triennium commodum obtinuisset perlustrandi eundem librum Prædestinati (quem inde Sirmundus hoc seculo inter eiusdem Hincmarri codices reperiuit) exinde expendens initium argumenti primi libelli eiusdem operis sic inscriptum: *Epitome Ecdesecios Hygini contra hæresiarchas*, ex hoc titulo nouam sibi conflauit diuinationem Hincmarrus (ut etiam Sirmundus aduertit in

præfatione operis Prædestinati) suspicandi scilicet hoc Hygini nomen fuisse nomē Auctoris eiusdem operis Prædestinati, sicq; deinde in hoc opere posteriori appellauit Hyginum, cum in priori opere sibi Auctorem ignotum fuisse dixisset, hincque, ut Sirmundus loquitur, *Hincmarrum, dum contra Gotteschalcum scribens Hyginum hunc appellauit, haud dubie fefellit opinio, cum Hygini nomen, quod in primi libri fronte legit, non Auctoris libri, sed alterius cuiuspiam nomen fuerit, ex eorum numero, qui Hæresiarcharum indices contexuerant.* Hoc non obstante, noua hac sua diuinatione deceptus Hincmarrus in hoc opere posteriori *de Prædestinatione* statim in Capite primo sic habet: *Hyginus cathalogum describens hæreseon, octogesimam & nonam hæresim Nestorianam ponit, & nonagesimam Prædestinianam, cum libello ab eisdem Prædestinianis composito, ita dicens: Nonagesima hæresis, inquit, quam in præfatione nostra diximus de nomine Augustini Episcopi esse mentitam, Prædestinianorum nomen accepit*: quę utique omnia consonanter leguntur in libello primo operis Prædestinati, quod supra inseruimus, ut incidenter hic videas, Lector, iam certo hoc opus Prædestinati agnitum nono sæculo extitisse. Similiter Cap. 7. Hincmarrus loquens de quodam testimonio Apostoli ad Romanos 9. vers. 21. inquit: *hoc etiam exemplum Prædestiniani, sicut Hyginus in supra memorato illorum libello dicit, ad suam confirmandam sententiam protulerunt*, scilicet *in libello sub nomine Augustini confitto* apud eundem Auctorem Prædestinati, qui in suo postea libello tertio eam probationem refellebat. Pariter Capite 27 ait Hincmarrus: *De huius Capituli sensu veteres Prædestiniani dixerunt, sicut Hyginus scribit &c. quod non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus*; ut nempe refert Auctor Prædestinati passim in suo libello 3. Constat igitur Hincmarrum in hoc posteriori opere de Prædestinatione, ex Lectione Auctoris Prædestinati deceptum, utique in hanc suspicionem inclinasse, quod hic Auctor Hyginus esset, cum quo stat ante triennium in alio opere anteriori confessum esse sibi eundem Auctorem Prædestinati tunc primo sibi inopinanti oblatum, ignotum fuisse, dum de eodem intelligens (ut antea expendimus) agnoscebat in eiusdem operis Prædestinati epilogo seu indiculo *sexdecim obiectiones* recapitulatas fuisse, ad quas Prosper, appellans Vincentianas, respondit, quasque velut Semipelagianas, & discipulorum Augustini calumniatrices, Ebbo Gratianopolitanus, tanquam ab Hincmarro similiter repetitas, eidem

Hinc-

Hincmarro opponebat, ut præmissum est, eidemque Ebboni Hincmarrus in opere tunc anteriori respondere conabatur, & incidenter hic etiam in hoc opere respondere ex parte videtur, dum Cap. 19. & in epilogo Capite 2. probat ad hunc finem etiam ex libris hæreticorum expedire aliqua vera colligere, ad hoc adducens verba Bedæ commento in Lucam, Cyrilli in epistola ad Eulogium, & Augustini recitati ab eodem Beda, ut se excusaret, dum aliqua, ut sibi vera videbantur, etiam ex Auctore Semipelagiano Prædestinati mutuabatur.

Quarto hinc (ut id saltem cùm Natali Alexandro admittamus parte 2. sæculi 9. dissertatione 5.) non negamus ea, quę quo ad dogmata scribit Hincmarrus in hoc opere posteriori, posse in recto sensu intelligi, scilicet medio inter utrunque errorem extremum contrarium, Prædestinianum & Semipelagianum (quorum uterque tunc reuiuiscebat in Gallijs, primus in Gotteschalcho, secundus in Erigena, ut de hoc secundo etiam legi potest tum D. Prudentius ab initio sui tractatus contra Erigenam, tum D. Remigius in suo sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis edito in eundem Erigenam) licet Hincmarrus principaliter contra Prædestinianum acerrime ageret, minusque aduertenter in Semipelagianum, quem in præfatione hujus posterioris operis confitetur se ipsum cum suis non statim impugnauisse aut damnauisse, (ut conquerebatur de hac ipsa omissione Ecclesia Lugdunensis in libro contra Erigenam Cap. 4.) quia, ut loquebatur Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas Cap. 4. pro excusando Diuo Cypriano prius patienter abstinente à Donatistarum damnatione, idque ad hunc suum sensum Hincmarrus adaptabat, *plerunque doctioribus minus aliquid reuelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur, quomodo teneant unitatem, cum in rebus obscurioribus diuersa sentiunt &c.* Vbi longe melius, præ hac Hincmarri hic excusata segnitie, S. Prudentius, & Sanctus Remigius tunc temporis ne dum acriter contra reuiuiscentem Erigenæ Semipelagianismum institerunt, verum & simul Prædestinianismum in Gotteschalcho resurgentem (si talis esset Gottelchalchus, qualis ab Hincmarro supponebatur) ingenue reprobarunt. Sancti enim hi duo, & ne dum doctissimi, erant, Hincmarrus vero Sanctus non fuit, imo & sui Nepotis Hincmarri junioris Episcopi Laudunensis acerrimus insectator, eiusdem opera de Laudunensi Episcopatu disiecti (ut amarulentæ in eundem loquun-

tur epistolæ) diuturnasque habuit cum summis Romæ Pontificibus simultates (quę in eiusdem Hincmarri epistola ad Nicolaum Primũ leguntur & in epistolis ad Egilonem) ipsaq; Capitula Synodi, tum Valentinæ trium Prouinciarum, tum Tullensis duodecim Prouinciarum, oppugnare ausus est, licet Tullense Concilium à Nicolao Papa confirmatum fuisse testentur, ne dum Annales Bertiniani, verum & Annales S. Prudentij (ut fatebatur etiam Hincmarrus in epist. 24. ad Egilonem) ut non immerito P. Franciscus Macedo in sua secunda Commentatione in Christianum Lupum vocarit Hincmarrum, *amari oris ac nominis Virum*. *Ipsa autem gratia* (ut scitè præmonebant Aphricani Episcopi exules seculo 5. in Sardinia, in sua Synodica epistola) *nullatenus agnoscitur, nisi detur: quæ quamdiù non est in homine, tamdiù necesse est, ut ei homo aut sermone repugnet, aut opere. Nam sermone repugnat gratiæ Dei, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium, repugnat autem opere, qui in moribus suis Christianæ vitæ non tenet institutum*: quod aduertisse percuperem aliquos, qui nimis in hac causa de prædestinatione & gratia eidem Hincmarro potius, quam duobus prædictis Sanctis, confidere visi sunt. Damus enim & nos Carisiaca capitula ab Hincmarro contra Gotteschalchum procurata, & longe diuersa Valentina capitula, in Lingionensi & Tullensi deinde plenioribus Synodis anno 859 confirmata contra Erigenam, vere, & in re quo ad dogmaticum internum sensum, atque Catholicum, medium inter utrumque extremũ errorem contrarium, postremo agnita fuisse ut conuenientia ad inuicem, non vero in sensu contraria (sicut præter Natalem expendit Eminentiss. Capisuchus, & optime, in sua appendice Articulo 2. §. 4. per totum): Vnde prius in 4. canone Valentino ea simul verba legebantur: *Porro capitula quatuor* (scilicet Carisiaca) *quæ à Concilio Fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati* (scilicet sensum Semipelagianum Erigenæ) &c. *interdicimus*. Verum, cum anno postea 859 eiusdem prioris Valentinæ Synodi canones legerentur in Synodo Lingoniensi, & post 15 dies, in Tullensi, sic approbati sunt, ut tamen mox citata verba prætermissa fuerint, ut adhuc legitur in eisdem Concilijs, & obseruauit ipse idem Hincmarrus, tunc continuo scribens, in hoc opere posteriori Capite 30. quia nimirum post diuturnas utriusque partis Episcoporum disputationes, veritate magis eliquata, detectus est tandem sensus medius.

dius, in quò velut Catholico pars utraque contra errorem utrumque extreme contrarium substantialiter conueniret. Attamen simul negare non possumus, nec prudens aliquis, ut credo, negabit, Hincmarrum, tum ex antiqua in Erigenam propensione (quem ad scribendum iam anno 851. excitarat aduersus Gotteschalchum) tum ex nimia credulitate in Auctorem Prædestinati, quem ab anno 855 adeptus erat, ac inde diuturne legebat, in non pauca errata, quo ad quæstionem saltem facti, ut dicitur, in præiudicium Scholæ Augustini, ac discipulorum eiusdem, nimis incaute prorupisse, quæ breuiter hìc (præter alia indicata mox ante) perstringenda sunt. Primum Hincmarri erratum est, dum opinatur, aut fingit, Augustinum prius in Prædestinianorum errorem incidisse, & postea instantibus æmulis contra ipsum, in postremis à se editis libris, errorem illum reuocauisse, ut Hincmarrus exprimit, tum Cap. 1. supponens Augustinum in ultimo suæ ætatis scripsisse ad hunc finem librum de correptione & gratia ad Adrumetinos (quorum aliqui pariter in Prædestianismum incurrerant) *quem librum*, inquit Hincmarrus, *idem B. Augustinus in serie librorum Retractationum ultimum posuit, qui in eorundem præfatione dicit; Quicunque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem &c. Et in libris de prædestinatione Sanctorum, & de Bono perseuerantiæ, sicut sibi visum fuerat, nomen prædestinationis, quo antea in alijs suis libris indifferenter vsus fuerat, propriè posuit, sicut & in dicto libro de correptione & gratia diffinitiue correxit &c. Quæ prædestinatio, inquit Augustinus, nunc contra nouos hæreticos cura diligentiore defenditur*, idest, iuxta Hincmarrum, contra Prædestinianos hæreticos, *Vnde* (ut pergit Hincmarrus *contra quosdam, qui dicunt, nomen prædestinationis non aliter, nisi sicut in alijs suis libris posuerat, Beatum Augustinum retractare voluisse.*) *Sciant quia post omnes libros suos, quos in libris Retractationum commemorat, istos duos libros conscripsit, quos loco retractationis composuit*, præter librum Hipomnesticô, de quo mox dicemus; tum Cap. 3. idem Hincmarrus loquens de Prædestianismo inquit, *satis superque idem B. Augustinus se hinc excusauit atque retractando defendit*. Apage, quæ monstra videmus, aut audimus? Bene Augustinus in libris retractationum fatetur se ante Episcopatum in Semipelagianismo extreme contrario Prædestianismo ex parte fuisse, cumque retractat, nunquam vero vel indicat, vel indicare semel poterat se ex aduerso simul incidisse in Prædestianismū, imo

imo hunc sibi obiectum à Iuliano Pelagiano, veluti Manichæismi reliquiam, libro 3. operis posterioris à Capite 173 & alibi, tanquam impudoratam calumniam à se longe repellit, idque se nunquam intellexisse etiam in longe anteriori epistola ad Sixtum, protestatur integris ad Valentinum epistolis, nec minus Prosper in epistola ad Rufinum pro eadem arcenda ab Augustino calumnia, huiusmodi calumniatores prouocabat *ad proferendos libros, ullamve eorum particulam demonstrandam, quam per dubium saltem intellectum tali interpretationi obnoxiam vir Sanctus ediderit*, & Cælestinus, de hac ipsa Gallorum calumnia in eundem intelligens, definiuit, eum à *quocunque vel sinistræ suspicionis rumore* remotum fuisse, & tantum abest vel Massilienses eiusdem Augustini æmulos id de anterioribus Augustini libris suspicatos esse, quod imo eisdem soli postremi libri Augustini (ut testantur Prosper cap. 41. contra Collatorem, & Fulgentius libro 1. ad Monimum Cap. 30.) eisdem Massiliensibus maximè præ anterioribus displicebant, ut omittam illud falsissimum esse, quod eodem hoc loco supponebat Hincmarrus, Augustinum scripsisse ad Adrumetinos in fine vitæ suæ, cum scripsisse viderimus longe antea anno 419, in sec. 1. Ar. 3. §. 5, ibique soluerimus, quod pro se de libro Retractationum Hincmarrus referebat; Vnde contra hoc perabsurdum Hincmarri erratum concludebat apposité Diuus Remigius cum sua Lugdunensi Ecclesia de tribus epistolis Cap. 35, de tumultu Massiliensium atque Gallorum aduersus Augustinũ morti iam proximum, dicens: *Nec tanta permotione, & perturbatione fidelium ab intentione veracissima & fidelissima doctrina sua frangi potuit, aut reuocari. Sed magis eos & scriptis suis, inquantum potuit, admonuit, & instruxit, & orationibus apud Deum profusis fideliter adiuuit, ut intelligerent & agnoscerent, quam necessariò, & quam salubriter propter commẽdationem diuinæ gratiæ prædestinationis eiusdem veritas omnino & credenda, & prædicanda esset.* Nec minus iterum idem S. Remigius cum sua eadem Ecclesia Lugdunensi libro de tenenda veritate scripturarum Capite 9. inuehitur in hoc idem Hincmarri erratum, inter cætera, dicens, *confingunt suo errore, atque mendacio, velut post omnes libros suos præfatum Pontificem Augustinum ultimum conscripsisse Hypomnesticon, & asserunt, quod quicquid in præcedentibus libris suis de gratia & libero arbitrio, de prædestinatione, & perseuerantiæ dono, perperam dixerat, in isto correxit. Quod omnino absit à nobis, ut tam nefarium commentum suscipere possimus*

Hamur &c. Secundum Hincmarri erratum est, quod ne dum in epistola ad Amolonem, verum & hoc opere posteriori de Prædestinatione obfirmatè arbitratus est, sex libros Hipognosticon, seu Hipomnesticon, ab Augustino ipso, & non ab aliquo posteriori eiusdem discipulo, scriptos esse, priori quidem loco (apud Ecclesiam Lugdunensem de tribus epistolis Cap. 34) id probans, quia *quinque quæstionum* (quæ in his libris solvuntur) *& absolutionum mentionem facit in libro, quem scripsit contra Manichæos in Genesim*, posteriori vero loco Cap. 1. addens, & Episcopos Aphricanos exules in Sardinia in sua epistola Synodica, *ipsa Beati Augustini verba de supradicto Hypomnesticon libro ex responsione tertiæ quæstionis posuisse ad reuincendos hæreticos*, & ipsum Augustinum in libro ad Dulcitium de octo quæstionibus, &c. commemorasse libros suos, in quibus de eisdem quæstionibus scripserat, & ita ad finem ipsius operis commemorasse de eodem Hypomnesticon libro dicendo: *Addere etiam hoc quam maxime huic operi oportet, ut vestra calumnia, quam nobis obijcere soletis, reuincatur &c.* quæ sunt prima verba libri sexti Hypomnesticon. Hæc Hincmarrus, quæ à nobis ex instituto superius sect. 1. Art. 2. §. 11. velut falsissima reprobata sunt, & iam diù refutarãt, tum D. Prudentius in libro contra Ioannem Erigenam cap. 14 pluribus adductis motiuis (licet hunc referre superius obliti fuissemus) tum S. Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi de tribus epistolis Capit. 34. & 35 per integrum, negantes etiam huius libri Hypomnesticon mentionem aliquam legi in fine librorum Genesis, quos scripserat, ante exortos Pelagianos, contra Manichæos, nec consequenter ibidem vel poterant memorari istæ quæstiones librorum Hypomnesticon directè contra Pelagianos eosdem, nec similiter in epistola Synodica Episcoporum Aphricæ (quæ extat inter opera Fulgentij) legitur ulla recitata periodus ex libro Hypomnesticon, qui nec memoratur ibidem, nec demum in fine libri Augustini ad Dulcitium simile aliquid ab aliquo poterit reperiri, ut inde dignoscas Hincmarrum, vel confusa Augustini opera habuisse, vel alienis oculis hoscitantissimè percurrisse. Tertium eiusdem Hincmarri erratum est, prope finem vitæ Augustini, qui postmodum obijt anno 430, exortos esse Massiliæ & in Gallijs nouos hæreticos Prædestinianos, quorum initia apud Adrumetinos in Africa enata erant, hosque in Gallijs etiam statim post mortem Augustini fuisse, ut ferme loquitur idem Hincmarrus tum Cap. 1. ab initio ponens

hanc

hanc hæresim *sub præsulatu Cælestini Sancti Augustini temporalis vitæ termino imminente*, tum post medium eiusdem capitis ad hunc sensum referens ac detorquens Liberatum in Breuiario, qui de Semipelagiana hæresi loquebatur, velut de ista Prædestiniana dicentem: *contra istam, quæ apud Gallos excitata per Prosperum & Hilariũ sibi innotuit, & antea in Africanis regionibus commotam non ignorauit Augustinus, cuique nomen, quod postea accepit, non indidit Augustinus, quia in suo tempore compressa, pleniter non obmutuit: sed post obitum illius, auctoritate Apostolicæ Sedis, per Beatum Cælestinum, instantia Sancti Prosperi, ex delegatione ipsius Sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ, verbis præfati venerabilis Augustini Synodali censura est redarguta, conuicta, atque sopita, veluti suprascriptus Beatus Cælestinus in memorata epistola demonstrat dicens &c.* scilicet ad Gallos Episcopos, in qua decretali omnes legunt ipsos Semipelagianos Augustini obtrectatores compressos esse, unde & Cælestinum, cum hanc decretalem edidit, Synodum aliquam Romæ habuisse dignoscimus, quam & Prosper Cap. 41. in Collatorem agnouit appellans, *consultantium actionem*, à Cælestino, *susceptam*, non vero Liberatus hic intellexit aliã longe per 40 annos posteriorem Synodum Arelatensem aut Lugdunensem ab auctore etiam Prædestinati ignoratam (ut perperam intelligere in subsequenti contextu videtur Hincmarrus) in qua Lucidus Prædestinianus anno 475 correptus fuit, ac emendatus: Cum ergo aliquis utique adfuerit Prædestinianus Monachus Adrumeti in Africa post annũ 417, & postmodum unus alter in Hipponensi monasterio (qui tamen turbam sufficientem ad constituendam sectam hæreticam non compleuisse videntur) nec circa mortem Augustini, vel postmodum vsque ad annum 475. memoratus legatur amplius aliquis Prædestinianus hæreticus, iam plane constat hoc Hincmarri suppositum, de exorta in Gallijs *imminente B. Augustini morte*, hæresi Prædestiniana, circa annum 430, esse omnino falsissimum, nec aliunde desumptum, præter quam ex Auctore Prædestinati, quem sedulo idem Hincmarrus legebat, nec discernebat, quod nos supra probauimus, eosdem illos, quos iste Semipelagianus calumniator, velut Prædestinianos eo tempore venditabat, fuisse Hilarium & Prosperum, ut mirer inde, ne dum Hincmarrum antiquitus, sed nostra ætate Sirmundum, & Bailium (quos supra retulimus sec. 1. Ar. 3. §. 6. num. 2.) & alterum denuo, quem non videramus, Theophilum Raynaudum in Apologia pro Valeria-

no Cap. 4. ante numerum quintum, singulos ex eodem Auctore Prædestinati deceptos, in hoc falso supposito nimis incaute conuenisse. Quartum est, & mirabilius, erratum eiusdem Hincmarri, qui Capite 15. loquens de *zizanijs*, *quæ prisci Prædestiniani in medio tritici Dominici seminauerunt tempore Augustini & Cælestini*, inquit, *Quorum scilicet zizaniorum unum erat, quia secundum præscientiam Deus homines damnet pro meritis suæ vitæ, quæ merita non habuerunt morte præuenti, sed habituri essent si viuerent*: ut scilicet dicebant Massilienses relati in epistola Hilarij & Prosperi ad Augustinum, contra quos, subdit Hincmarrus, *ait B. Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum: Dici non potest, quam moleste feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum, & absurdissimum, hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum Pelagianorum Catholica auctoritate condemnant &c. Sed quid prodest, si etiam futura, quæ commissa non sunt, peccata puniuntur? &c. Quocirca non debent fratres nostri adstruere, quod non dico crediturum, sed somniaturum neminem putaremus, secundum ea scilicet iudicari quemque mortuorum, quæ gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset*: Hæc Augustinus contra Massiliensium errorem, ex quibus Hincmarrus hanc penitus nouam & inauditam interpretationem deducit, errorem Massiliensium Prædestinianum fuisse; cum tamen omnes sciant, eorum errorem fuisse Semipelagianum extremè contrarium Prædestiniano, ideoque passim illos à Prospero & Augustino appellatos esse *Pelagianorum reliquias*, quinimo eosdem noscamus econuerso Augustino, eiusdemq; discipulis, per calumniam, contrarium sibi Prædestinianum errorem, usque ad nauseam imputauisse, licet Augustinus quandoque arguendo ad hominem, ex eorundem principijs, retorqueret potius in eosdem obijcientes, earundem obiectionum illegitimas consequentias, ubi præsertim de infantibus agit, quale utique Augustini argumentum nunquam illi soluere potuerunt, ut supra admonuimus; Vnde tam de se patet huius nouæ ac insolentis interpretationis Hincmarri absurditas, quam me pudeat amplius in eadem exsibilanda immorari. Quintum tamen, forsan ex hoc priori, alterum subintulit erratum Hincmarrus, scilicet Cælestinum in decretali edita pro Augustini doctrina ad Episcopos Galliæ, impetrata per Hilarium & Prosperum, non Semipelagianos (ut hactenus omnes supposuerunt) sed Prædestinianos hæreticos damnauisse, ut loquens de eisdem Prædestinianis Hincmarrus mox citato Cap. 15.

subdit: *Quos Augustinus & Prosper suis scriptis sufficientissimè revicerunt, & contra quos B. Cælestinus decreuit*, uti & supposuerat passim in Cap. 1. & infra Cap. 32, & 37, & iterum non erubuit idipsum repetere in epistola ad Nicolaum Primum apud Flodoardum lib. 3. Cap. 14. scribens. *Vetus hæresis* (inquit) *Prædestiniana primum in Africa, postea in Gallijs per idem tempus (quando & Nestoriana hæresis) est exorta, & tempore Cælestini Papæ ipsius auctoritate, & instantia Sancti Prosperi, est reuicta*; Sic ille, & in hoc credens Auctori Prædestinati, qui id pariter venditabat, ex quo etiam ibidem continuo verbatim exscribens capita Prædestiniana, quæ Auctor Prædestinati fingebat Hilarium & Prosperum asseruisse, confert cum Prædestinianis Gotteschalchi capitibus vbique repetens: *Dicit quod & veteres Prædestiniani dixerunt*, nempe Gotteschalcus, quemadmodum & in libro de prædestinatione cap. 21. idem Hincmarrus conferebat cum errore eiusdem Gotteschalchi id, quod in indiculo Auctoris Prædestinati legerat *priscorum Prædestinianorum caput* (quod sextum legitur apud Prosperum ad obiectiones Vincentianas) *quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed siue ad bonum siue ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur: quoniam Deus tale in hominibus plasmet liberum arbitrium, quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit velle nisi malum*: Quid ergo mirum, si idem pariter Hincmarrus, cum prælegisset in præfatione operis Prædestinati, de Prædestiniano illo Euodij libello, falso credito Augustini, *hunc librum aliquando sibi oblatum Beatissimæ memoriæ summus Pontifex Cælestinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuo iuberet damnari silentio*, inde falsissime intulit Cælestinum contra Prædestinianos hæreticos, non contra Semipelagianos, suam Apostolicam litteram edidisse: de quo errato infra in paucos recentiores nobis repetendum erit. Sextum alterum Hincmarri erratum est in Cap. 3. de prædestinatione, ubi loquens de eodem errore Prædestiniano (cuius, ut mox dicemus, non erubescit & D. Fulgentium accusare) in eodem errore fuisse & Hilarium Arelatensem supponit Hincmarrus, ad hunc suum pravum sensum recensens hæc Prosperi verba in epistola ad Augustinum aientis: *Sed planè illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari &c.* & Cap. 9. idem Hincmarrus fusius addit subsequentia hæc alia ibidem Prosperi verba: *Nam unum eorum, præcipuæ auctoritatis, & spiritualium studiorum virum, Sanctum Hilarium*

Are-

Arelatensem Episcopum, sciat Beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in alijs omnibus tua esse doctrina, & de hoc, quod in querelam trahit, iampridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre &c. Sed & hæc noua verborum Prosperi per Hincmarrum interpretatio absurdior est, quo ipse, nedum Semipelagianum Hilarium Arelatensem supponit (ut pauci alij recentes facere conabantur, quos lib. 5. quæst. 3. ex proposito refutauimus, & iterum hic sect. 1. Art. 3. §. 5.) verum etiam ut Prædestinianum ulterius infamat, quem Sanctum simul atque sincerum doctrinæ Augustini, ac Catholicæ, eisdem locis iam satis demonstrabamus. Septimum erratum est, dum Hincmarrus nō minus audet dehonestare S. Fulgentium Ruspensem Episcopum Fausti ac Semipelagianorum debellatorem, velut hæreticum Prædestinianum, eo quod asseruerit *reprobos praordinatos ad pœnam, licet non ad malum peccati*, ut legere est in eodem Hincmarro Cap. 15 & 13, & 3. per totum, ubi addit etiam ad hunc finem (velut hæc fuerit causa) *quod in catalogo Apostolica sedis, vbi à Beato Gelasio Doctores catholici descripti & designati sunt, eundem virum venerabilem Fulgentium probabilem non reperimus &c. Nec Prosper*(quem ridicule supponit post Fulgentium scripsisse suum Chronicon)*in Chronica, in qua diuersarum regionum viros sanctitate & sapientia praclaros, & etiam exortos hareticos, cum fama cuique congrua designauit, nec eundem venerabilem Fulgentium nominauit.* Heu scriptorem! heu scriptionis quisquilias! Gelasius anno 494, suam Romanam Synodum habuit, in qua defunctorum probabilium Patrum libros examinat, ac dijudicat, & petit iste per adeo splendidum anachronismum, simul ipsum Fulgentium, qui obijt seculo subsequenti anno 529, in eadem Synodo à Gelasio approbatum esse? Prosperum similiter, qui annum 463 transgressus non est, postulat de Fulgentio se longe adeo posteriori scripsisse? cum Chronicon illud, quod ipse citat, non S. Prosperi Aquitani, sed Prosperi Tyronis fuerit, quod absurde iterum cum altero Chronico Prosperi Aquitani confundit. Verum de laudibus & approbatione Fulgentij infra aduersus non minus aliquos paucos recentiores iterum sermo redibit. Octavum interim Hincmarri erratum infamat similiter de eadem Prædestiniana hęresi Sanctum Isidorum Hispalensem Episcopum, de quo non dubitat Hincmarrus Cap. 9. ita scribere: *Potest*, inquit, *opinari, ut iste Isidorus, in alijs doctus, in hac sententia* (de præordinatione reproborum ad pœnam &c.)

ex reliquijs Gallorum in Hispanijs per successiones remanserit: scilicet ex hæreticis Prædestinianis Massiliç & in Gallijs, de quibus egerat supra. Et tamen eundem Sanctum Isidorum Hispalensem, ut fidissimum doctrinæ Augustini sectatorem, ac vindicem, passim laudant, ac nominatim referunt, inter cæteros, Divus præsertim Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi, & D. Prudentius in tractatu passim contra Io. Erigenam Scotum, ubi & eadem Isidori sententia velut Augustiniana ex instituto defenditur, & ut alia dimittam, Suarez etiam è Societate scriptor præcipuus, in prologomeno 6. de gratia Cap. 6. num. 27. inter peculiares Patres pro Augustino vindices eundem connumerat, & commendat, nemine altero adhæc vsque tempora discrepante. Nonum tandem erratum eiusdem Hincmarri (cum me iam tædeat ulterius in spissos eiusdem errores inquirere) illud est, quo Capite tertio dicebat de Beato Prospero: *Qui*, inquit, *temporibus Beati Gelasij Papæ supervixit: sed & ab Adam usque ad Iustini Augusti tempora, & obitum Ioannis Papæ Quarti post Beatum Gelasium, & finem consulatus Simmachi & Boetij, qua tempestate VVandalis præfuit Hildericus successor Trasemundi, qui post necem Sanctorum, & innumeras clades, indignam vitam digna morte finiuit, ijsdem temporibus Beatus Prosper Chronicam mira veritate composuit:* Oh scriptorem undique confidentissimum! Oh stomachum vel ænei pabuli capacissimum, quo iste Hincmarrus res adeo absurdas potuit decoquere, aut deglutire! ut nimirum S. Prosper, qui ad annum consecrationis templi Cælestis 399 Carthagine adolescens (ex eodem Prospero parte 3. promiss. 38, iuxta Baronium) indeque ad annum 463 (iuxta Marcellinum Comitem in Chronico) superstes adhuc (quem tamen annum supergressum non esse, omnes conueniunt apud Henricum Noris lib. 2. Cap. 14) iam prope octogenarius fuisset, potuerit postea ulterius superuiuere per alios ulteriores annos sexaginta usque ad annum 526, quo Ioannes Primus defunctus est; ut hic Hincmarrus deridicule supponebat, non distinguens, seu non discernens, (quod & vidit ac probauit Sirmundus in notis ad Concilium Aquisgranense pag. 683) ut antea indicabamus, inter geminum Chronicon extans (in tomo 8. Bibliothecæ Maximæ) alterum S. Prosperi Aquitani, alterum Prosperi Tyronis, ex quo secundo deceptus fuit. Hæc itaque sunto spicilegia ex uno dumtaxat opere nuper reperto & edito illius Hincmarri, cui velut scriptorum oraculo, loquenti tantum, in quibusdam quæ-

ftionibus facti, spectantibus veteres disputationes de prædestinatione & gratia, quidam pauci Recentiores fidentissime adhærere visi sunt, non minus ac idem Hincmarrus Auctori Prædestinati reperto similiter inter Hincmari codices, adhærebat, cui similiter scriptori operis Prædestinati tam magnam fidem aliqui detulerunt (ne eosdem nominem) ut eum ipsum, quem nos ante deteximus Semipelagianum, & effrontissimum, ipsi studuerint, & quod dirius est, modo obtinuerint, reponendum ut Patrem Ecclesiasticum in nuper edita Bibliotheca Maxima Patrum, aliorum fortasse opera, qui quorundam aliorum artes non ita habebant in hoc ipse perspectas, ut scilicet exinde forsan sibi ulteriorem aditum præpararent, ad promouenda successu temporis etiam non pauca ex adductis Hincmarri erratis, quorum & aliqua iam scriptis editis indicare, vel asserere, ni fallor ego, cœperunt.

Quinto proinde nec de his paucis quibusdam Recentioribus omnimodo, seu quo ad omnia saltem, reticere debemus, sed sine cuiuscunque iniuria, modeste ac breuiter adminus aliqua indicanda sunt. Et occurrit in primis ille idem, qui inter Hincmarri libros se reperisse opusculum Prædestinati fatetur, Iacobus nimirum Sirmundus, magni nominis Senex, in libro de hæresi Prædestiniana, in quædam capita distributo, tria præsertim dicta habens, quæ ad nostrum hic attinent institutum. Primum dictum est in Capite primo, anno circiter 424. Adrumeti in Africa exortam esse hæresim Prædestinianam, contra quam eodem anno 424. supponit Augustinum scripsisse suos libros de gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia. Sed licet hæc hæresis Prædestiniana simul cum Semipelagiana Adrumeti in Africa enata sit anno 417 (ut supra vidimus sec. 1. ar. 2. §. 1.) falsum est tamen Augustinum ad Adrumetinos scripsisse solum anno 424, (uti & Hincmarrus supponebat, & Iansenius in hac dilatione conueniebat) cum scripserit anno 419, ut probauimus Ar. 3. §. 5. per totum, & quidem post scriptum ab Augustino librum priorem de gratia & libero arbitrio, aliquem adhuc saltem unum, Prædestinianum ibi remansisse significat idem Augustinus lib. 2. Retrac. Cap. 67, & libro de dono perseuerantiæ Cap. 15, & ipsemet Valentinus epist: 257. ad Augustinum, post receptum priorem librum concludens (*pariterque deposcimus, ut & ignaros tuis orationibus domino commendes mansuetissime componendos*): tamen post pertinentem secundum librum de correptione & gratia ad eosdem

Adru-

Adrumetinos conscriptum, verisimilius est omnem & ibi Prædestinianam hæresim cessauisse. Secundum dictum Sirmundi in Capite 2. est; mox ante obitum Augustini eandem hæresim Prædestinianam infecisse Gallias, ubi, ut Prædestinianos hæreticos euitarent, quidam Massilienses, inquit, turbati sunt, hique fuerunt originaliter Massiliensium tumultus, in quo dicto conuenit etiam Theophilus Rainaudus in Apologia pro Valeriano Cap. 4. in fine numeri 4. & initio 5, post relatum opusculum Prædestinati subiungens: *Hæresim Prædestinatorum exortam ipsis Augustini temporibus &c. ab hac ergo hæresi*, inquit, *tunc maximè gliscente, quam maxime recessuri nonnulli, in alteram extremam declinauerunt &c.* Sed id falsum esse (quod & Hincmarrus deceptus ab Auctore Prædestinati asserebat) mox ante vidimus, cum illi, quos calumniosus hic Auctor Prædestinati ut Prædestinianos eo tempore infamabat, essent Catholici ipsi & Sanctissimi Augustini discipuli, Hilarius & Prosper, & primus Prædestinianus in Gallia Lucidus fuit solum ad annum 475, ut nota historia est. Falsum non minus est, quod ab his subinfertur, scilicet Massilienses tumultum suum excitasse ob hæreticos tunc in Gallijs vigentes Prædestinianos, tum quia, ut modo diximus, eo tempore adhuc non aderant Prædestiniani in Gallijs, nullibi tunc ab Augustino indicati ibidem, neque postmodum ad illa tempora à Prospero illiusque ætatis Scriptoribus, aut S. Patribus, ante Lucidum, oppugnati, tum quia Massilienses, non aliud in sua prima commotione improbabant, quam ipsiusmet Augustini scripta, ut testantur Hilarius & Prosper in epistolis eodem tempore datis ad Augustinum, *ut breuius enim*, inquit Prosper, *quid opinentur exponam, quidquid in libro hoc* (de correptione & gratia) *ex contradicentium sensu Sanctitas tua sibi opposuit, quidquid etiam in libris contra Iulianum &c. hoc totum ab istis contentiosissime conclamatur*, & ut addit Hilarius, *molestè ferunt sic diuidi gratiam &c*, scilicet ab Augustino Cap. 11. & 12. de correptione & gratia &c. *his verbis sanctitatis tuæ mouentur*. Vnde Augustinus eisdẽ respondens in duobus libris de Prædestinatione Sanctorum, & dono perseuerantiæ, non Prædestinianos, ut alioquin debuisset, sed Semipelagianos exagitat ac profligat. idque antea idem Prosper fuerat attestatus in epistola ad Ruffinum, scilicet Gallos & Massilienses de Augustino ipso *obloquutos, infamasse eundem dicentes eum liberum arbitrium penitus submouere &c.* & in epistola non minus ad eundem Augustinum aiebat, *in sanctitatis*

tuæ

tuæ scriptis &c. contrariam putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis (Tu scilicet, non alij Prædestiniani) *de vocatione secundum Dei propositum disputasti*, quem etiam Augustinum, & non pure alios Prædestinianos, Gallorum capitula impetebant post mortem eiusdem, adeo ut & ista Massiliensium excusatio euanescat. Tertium tandem dictum Sirmundi, (simul cum Hincmarro) & præcipuum (ad quod duo præcedentia ut ad finem dirigebantur) est in Capite tertio, scilicet Prosperum, dum ad viuentem Augustinum scripsit, vel post eius mortem libros edidit de eadem materia, & Cælestinum in epistola ad Gallos, non contra Semipelagianos, sed contra hæreticos Prædestinianos egisse. Et tamen ex ante adductis verbis iam constat Prosperum egisse contra *obloquutores & reprehensores Augustini*, dum viueret, nec minus post eiusdem obitum, in responsione ad Gallorum Capitula, quæ edita esse, inquit in præfatione, *ut quæ in libris prædicti viri* (Augustini) *damnabilia se reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculo prædicarent, talique commento & detestationem eius, quem impeterent, obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam exterriti Lectoris auerterent*, quales profecto non erant Prædestiniani, qui præsumebant (cum Augustinum non intelligerent) se sub pallio Augustini defendere, ut Adrumeti contigerat, & postea in Lucido & Gotteschalcho res renouata fuit. Cælestinus porro in epistola ad Gallos, non à Prædestinianis, sed à Semipelagianis reprehensoribus Augustini, attestatur etiam Hilarium & Prosperum Augustini sequaces velut Prædestinianos infamatos esse, *dicendo eos prædicare aduersantia veritati &c, Nec tamen*, subdit, *mirari possumus, si hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare*, scilicet Augustini, de quo prius laudato, & *ab omni sinistræ suspicionis rumore* vindicato sic pergit. *Magistris etiam nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur*; hinc *contra nocentissimos liberi arbitrij defensores*, scilicet Semipelagianos, (non Prædestinianos auferentes potius arbitrij libertatem), adnectit singulas Pontificum ac Conciliorum præsertim Africanorum decreta iam edita aduersus Pelagianam hæresim, cuius hæc Semipelagiana propago erat, adeo ut post impetratam hanc Cælestini Epistolam Prosper in libro contra Collatorem, nempe Semipelagianum Cassianum Massiliensem, concluserit cap. 41. *Per hunc virum* (videlicet Cælestinum) *intra Gallias istis ipsis, qui S. Memoriæ Augustini scri-*

pta reprehendunt, maleloquentia est adempta libertas &c. scilicet Semipelagianis. Id plane & Photius in sua Bibliotheca ex antiquissimis monumentis constructa perspicue vidit, ac manifeste contestatus est in codice 53, ubi prętet damnatos Pelagianos viuente adhuc D. Augustino, inde loquens de suboriente noua hæresi Semipelagianorum in Gallicano clero prope terminum vitę eiusdem Augustini, inquit: *Post S. Augustini mortem, cœperunt quidam in Clero impium illud dogma asserere, male etiam loqui de Augustino* (nempe in Gallorum capitulis) *atque adeo eum conuicijs incessere, tanquam arbitrij libertatem tollendam docuisset. Verum Cælestinus Pontifex Romanus de Sancto Viro, & contra eos, qui hanc hæresim resuscitarent* (scilicet Pelagianorum propaginem, reliquumve ramusculum) *eius ora Episcopis scribens, errorem nuper reuocatum cohibuit.* Ipsemet Hincmarrus anno 856 scribens præfationem sui prioris operis, seu epistolam priorem ad Carolum Regem, antequam per tres annos consuleret opus Prædestinati, adderetque ex eodem deceptus aliud posterius opus scriptum postea anno 859, & ipse sibi relictus hoc priori tempore agnouit hanc veritatem (apud Flodoardum libro 3. Cap. 15) de Semipelagianis in Gallia dicens: *Post Augustini obitum quidam inuidi capitulatim de eius ipsius scriptis colligere curauerunt* (nimirum in Gallorum capitulis) *ut illius doctrinam orthodoxam, atque utilimam, ob personæ illius inuidiam, vilifacere præualerent, & lectores deuotos ab illius lectione ac dilectione, & necessaria credulitate, auerterent. Quæ videlicet æmulorum mendacia ex delegatione Sanctæ Sedis Romanæ per Cælestinum Papam Sanctus Prosper Catholico & prudenti stylo, falsa esse, & impudenter obiecta ostendit, & memorati ac memorandi viri doctrinam orthodoxam esse lucidissimè demonstrauit.* Hæc Hincmarrus, quem si priori hoc tempore veritatem fatentem, & non tempore posteriori (cum ex Lectione operis Prædestinati deceptus fuit) nouas fabulas comminiscentem, recentiores quidam sequuti fuissent, non adeo & ipsi ex eodem decepti tam falsa iterum conscripsissent. Sed quid vel Hincmarrum audimus, vel Photium, aliosve scriptores antiquos quidem, sed profanos, exquirimus? dum Sancti Patres post tempora Prosperi succedentes id etiam attestantes, aut obseruantes, quod ex epistola Cælestini & Prosperi scriptis ostendimus, pro nobis omnino non desunt? Sanctus sanè Fulgentius, qui paulo post obitum Prosperi floruit, in libro 1. ad Monimum Cap. 30. *non ignoras*, inquit, *etiam*

prate-

præterito tempore illi luculentissimo S: Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione Sanctorum, à quibusdam Gallis obiectum, quod B. Augustinus in assertione prædestinationis diuinæ peccatores, non solum prædestinatos diceret ad iudicium, sed etiam ad peccatum (ut nempe Galliarum Semipelagiani in 15. Capitulis appositè imputabant) *cuius Augustini dicta, quia ipse celeri prauentus est obitu, Prosper vir eruditus & Sanctus, recta defendit fide, & copioso sermone. Ex quibus Gallorum capitulis nonnulla ponemus &c. Huic itaque prauitati, quæ B. Augustini dictis, non ex veritate, sed ex liuore obijciebatur, tali Prosper sermone respondit &c.* Nec minus Petrus Diaconus eidem Fulgentio coævus in libro de incarnatione & gratia ad eundem Fulgentium in Capite 8. & postremo in eodem sensu aduersus Semipelagianos exscribit & intelligit Cælestini epistolam ad Gallos, ut consulenti patebit; Inde Sanctus Prudentius libro contra Ioannem Erigenam Scotum Cap. 11. scribens anno 854, & ipse inquit: *S. Prosper vir in omni litterarum eruditione doctissimus, ac facundissimus, Gallorum aliorumque Pelagij sequacium impudentijs, suis libris fideliter editis, & Romani Pontificis Edicto sua instantia impetrato, propugnator fortissimus, ac fidelissimus, obuiauit*; tum Cap. 18. *Sanctus Prosper eundem Augustinum*, inquit, *proprijs Epistolis consuluit ab eoque rescriptis Catholicis edoctus, &c. tanti Patris doctrinam, tam propria eruditionis scriptis, quam Apostolicæ Sedis decretis, defendit, defendique studuit*; scilicet aduersus Semipelagianos obtrectantes eidem; tum in Epistola ad Hincmarrum & Pardulum Cap. 1. addit: *Cælestinus quoque Romanæ vrbis Episcopus contra Gallorum insaniā, ex auctoritate Apostolica declarauit &c.* tum Cap. 2. ibidem subdit: *Cuius Augustini dictorum, scriptorumque salubrium Prosper Gallicæ Prouinciæ Doctor præcipuus sequax per omnia atque defensor, memorabili Patre ad Cælestia indubitabiliter transmigrato, ita suis, idest Gallis furentibus,* (quos mox ante dixerat *prædestinationi Sanctorum nouo concludio derogare maluisse*) *his suis Gallis furentibus, Catholica responsione obuiauit, &c.* quemadmodum, & Cap. 11. eiusdem epistolæ legi potest, ubi supra relata Sancti Fulgentij verba repetit ac sua facit. Inde post S. Prudentium, & Divus Remigius cum sua Ecclesia Lugdunensi in libro de tenenda veritate scripturarum Cap. 9. (ut alia loca præteream, & ne nimis prolixus sim) ad intentum nostrum hæc scribit: *adhuc ipso viuente Augustino (sicut Prosper & Hilarius ad eundem scribunt,) & multo magis post eius obitum, pro-*

pter obscuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium, multiplex querela, maximè intra Gallias, exorta est: sed continuo per diuina misericordia prouidentiam, & Concilijs & statutis Beatissimorum Patrum, & decretis atque auctoritate Apostolica Sedis, solertissimè sedata atque sanata est &c. & Beatissimus Papa Cælestinus contra tanti viri reprehensores, vel potius calumniatores, (sicut in libris canonum inter decreta Pontificum Romanorum continetur) scripsit ad Episcopos Galliarum, tanta reuerentia & laude illum commendans, ut eiusdem Scriptura iste sit titulus (de Sancto Episcopo Augustino mira laudis assertio) & huic titulo subiunguntur verba præfati Pontificis &c. En contra reprehensores Augustini, scilicet Semipelagianos, non contra Prædestinianos, qui putarent se Augustinum sequi, edita, cum Cælestini epistola, simul & scripta Prosperi, & aliorum Patrum. His nos Sanctorum Patrum, immo & Pontificum, testimonijs fidentissime adhæremus, non vero Semipelagiano scriptori alicui (qualis fuit, ne dum Auctor Prædestinati, verum & ipse Gennadius, licet Gennadius scribens anno 490, ac referens hæresim Prædestinianã, intelligere absque dubio potuerit de Lucidi Prædestinianismo proscripto mox ante anno 475, nec aliquid innuat de Cælestino in ordine ad Prædestinianos) non, inquam, alicui Semipelagiano adhuc fidendum erat, in re fauente Semipelagianis eisdem, ut non isti sed potius Prædestiniani à Cælestino damnati supponerentur. Quemadmodum etiam Iulianus Pelagianus mox ante & ipsa Honorij Imperatoris edicta aduersus Pelagianos nominatim ac splendidè promulgata, audebat in fauorem eorundem Pelagianorum mendacissime detorquere, ut refert Augustinus lib. 3. operis prioris in eundem Iulianum Cap. 1. ac refellit hæc habens: *Sanè, vt dicis, si pro vobis potius ab Imperatore responsum est, cur non in medium prosilitis, & & hoc vltro publicis potestatibus allegatis, vos esse monstrantes, quorum Christianus princeps approbauit fidem? Verum si Dei legem, non sicut se habet, sed sicut vobis placet, intelligitis, quid mirum, si & de lege Imperatoris hoc facitis?* Quid mirum, si ubi vel Auctor Prædestinati dixerat, Cælestinum Prædestinianum Euodij libellum *perpetuo iussisse damnandum silentio* (quod, ut supra præmisimus sect. 1. Art. 2. §. 5, non de primario, sed de secundario intento Pontificis adhuc interpretari licebat) id ultro Hincmarrus etiam ad primariũ, unicumque intentum eiusdem Pontificis, nimis extendens maluit dicere, Cælestinum egisse, non contra Semipelagianos, sed potiùs ad-

uersus Prædestinianos, quos tunc adfuisse (ex ipso utique Auctore Prædestinati deceptus) Hincmarrus idem supponebat? Quid mirum tandem ætate nostra & Sirmundum, cuius studio idem Auctor Prædestinati, non minus ac Hincmarri multiplex liber, repertus denuo, ac vulgatus est, ex eodem non minus Hincmarro deceptus id, quod hucusque falsissimum esse monstrauimus, fidentissimè prosequutus est? de quo Sirmundo iam satis.

Sexto post istum audiendus est alter Andreas Iunius eiusdem instituti scriptor in tomo edito nuper Lugduni anno 1678. sectione 15. de prædestinatione Cap. 3. in fine, ubi cum loqueretur de Massiliensibus pariter imputantibus Prædestinianum errorem eidem S. Patri Augustino (ut Hilarius & Prosper referebant, & mox ante expensum est) hanc aliam viam ingressus est attribuendi, in hoc ipso culpam eidem Augustino, ut Massilienses absolueret, aut excusaret, dicens: *Quam vero ille Augustinus ansam præbuerit, reticeo, quia veritas odium parit, & eam pronunciando Pater Molina non paruam conflauit inuidiam apud nonnullos, quibus vel intellectus, vel voluntas non erat, ut oportuerat.* Hæc iste, quæ omnes intelligunt, in Augustinum ut causam exsuscitatæ hæresis Semipelagianæ in Gallijs culpam refundere, veluti meliorem modum loquendi ac sentiendi, à Recentioribus postea adhibitum, ipse ignorarit, suoque excessu pro sua opinione indicando Prædestinianismum *ansam præbuerit* Semipelagianis eundem accusandi ac infamandi de Prædestinianismo, sicut in Gallorum Capitulis legebatur, ut omittam & alterum (apud Henricum Noris Capite ultimo vindiciarum numero 133, & duobus sequentibus) de hoc eodem excessu, & *declinatione in hanc partem extremam*, accusantem eundem Augustinum, immo (quod magis intolerabile est) & D. Paulum reprehendentē. Itane ergo renouantur hoc tempore in Augustinum calumniæ Cassiani Semipelagiani Collatione 13. dicentis: *multi singula hæc credentes, ac iusto amplius asserentes, varijs sibique contrarijs erroribus sunt inuoluti?* Itane ignoratur, siue contemnitur, quod contra eandem calumniam decreuit Cælestinus in epistola ad Gallos, hos ipsos damnans, qui *Magistris*, inquit, *nostris tanquam necessarium modum excesserint obloquuntur?* An id, post editam eandem Cælestini epistolam, non repulit Prosper contra Collatorem expresse Cap. 9. & 15.? An tot alij Patres atque Pontifices ab hac impostura Augustinum non vindicarunt ex instituto commendantes eundem imo ut *cautissimum &*

fidelissimum, quos lib. 5. de Approbatione q. 2. ar. 3. ad sextum in fine referebamus, fuse legendos ibidem? An Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30. idipsum, post Prosperum recitatum ibidem, non præcludebat dicens? *huic prauitati, quæ Beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex liuore obijciebatur, tali Prosper sermone respondit?* An, dum culpatur Augustinus, qui à Cælestino & Ecclesia approbatus est, ut excusentur Massilienses qui damnati fuerunt, (ut idem Prosper improperabat contra Collatorem cap. 10.) *placet nunc cum hæreticis Catholicos, cum victis damnare victores, & eos erroris nota adurere, qui errorem ab Ecclesia depulerunt? Errauit igitur & Papa Innocentius &c. Errauerunt orientales Episcopi &c. Errauit Petri sedes?* qui scilicet omnes Augustini doctrinam approbarant: An, ut idem antea aiebat in capite primo, *tanta insolentia damnati fouentur errores, ut propulsentur & iudices?* dum, ut ibidem addebat, forsan, *victores displicent & victi placent?* Sed audiat quicunque iterum obluctari moliatur, inter tot cætera à mè laudato loco de approbatione doctrinæ Augustini congesta, unum tantumodo Diuum Prudentium (quem ibidem non retuli) in epistola ad Pardulum & Hincmarrum, qui hoc nouo scriptore adhuc mitior, non asserebat quidem ut iste, in ultimis scriptis errori Prædestiniano Augustinum fauisse, sed solum in eum aliquando inclinando, postea retractasse, hoc non obstante sic pænitus audiat contra hos omnes concludentē Prudentium his verbis: *Doctrinam Beatissimi Patris Augustini, omnium absque ulla dubitatione undequaque doctissimi, sanctorum scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe nullus Doctorum abstrusa eorum scrupulosius rimatus, diligentius exquisierit, verius inuenerit; veracius protulerit, luculentius enodauerit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminauerit) vestri Pontificatus tempore commento quolibet impugnari non permittatis; quia tanta cælestis gratia munere donata existit, ut nullo cuiusquam conamine ullatenus euelli possit: cum illam & Apostolicæ Sedis sublimitas, & totius Ecclesiæ Catholicæ unitas auctoritate concordissima approbarint ac roborarint: adeo ut nullus ei singulariter, sed uniuersitati Ecclesiæ Catholicæ, cum ea, & in ea, queat anniti;* ut ibidem ex serie Summorum Pontificum eandem approbantium Augustini doctrinam, quod semel iam dixit, etiam probare prosequitur a quocunque ambigente legendus.

Septimo post Andream Iunium subsequitur Christophorus de

Orthega

Orthega in tomo 2. *de Deo uno*, non minus Lugduni de recenti evulgato, qui Controuersia 7. de Prædestinatione disp. 3. quæst. 2. certamine 2, post congestas quorundam aliorum (vel vere vel falso) pro Cassiano defensiones, *quas* (inquit n. 6.) *recentissimè multo ingenij pondere & eruditionis noster Ioan. Baptista Guesnai edito libro Lugduni anno 1652 refert, & tacitus probat lib. 1. cap. 62*; postea subdit Orthega; *Adnumerari defensoribus Cassianæ in hac re doctrina Catholica, docti plures Recentiores possunt, quos ita censentes audiuimus, tametsi prælo defensiones Cassiani non dederint: in quibus Pater Ioannes de Ituren emeritus Theologiæ Professor, qui modestiæ causa Ioannis pij nomine Commentaria in 1. p. S. Thomæ prælo emisit, ac de Cassiano ab ea suspicione liberando doctum manuscriptum reliquit*, & post recitata quædam ambigua eiusdem Cassiani testimonia, idem Orthega sic pergit: *quod satis omnibus probare debet Prosperum de præconcepto contra Cassianum iudicio statuendo solummodo curasse, & reliquos ex eius solum sententia potius, quam ex lectione Cassiani, atque operum ipsius, genuini sensus indagatione, eum Semipelagiani erroris reum egisse*: & paulo post num. 11, ut respondeat Authoritati tum Prosperi, tum Gelasij damnantium de Semipelagianismo scripta Cassiani, *de Prospero*, inquit, *cuius authoritate reliquis de Semipelagianismo suspectus Cassianus fuit, iam vidimus, quã acriter Gennadius conquestus fuerit, quod Cassiani innoxium infamauerit*: Egregia pro declaranda doctrina Cassiani Catholica per hunc Auctorem defensio, quia ab altero Semipelagiano Gennadio laudata ac defensa fuit, sicut si probaremus Cælestium fuisse Catholicum, quia à Pelagio defensus fuit. Et tamen certamine sub sequenti 3. num. 6. idem Orthega eodem hoc modo arguendi contendit & Faustum Semipelagianorum coriphæum comprobare catholicum, contra omnes alios e suo etiam instituto, sic dicens: *Sed eum ab eo Semipelagiano errore longe remotum habendum censet Gennadius de viris Illustribus in Fausto &c.* & numero 7. ut respondeat obiectionibus ex Auctoritatibus afferri solitis cõtra Fausti damnatam doctrinam, *Petri*, inquit, *Diaconi libro de incarnatione cap. 8.* (& cuiusdam alterius) *qui primi de Semipelagianismo Faustum infamarunt, authoritas non magni ponderis est* (quia, ut suspicari licet, ac ipse indicat, maioris apud ipsum ponderis est Gennadij Semipelagiani authoritas pro Fausti defensione.) *Quod autem* (subdit) *Fausti opera in apocryphis Cap. S. Romana dist. 15. à Gelasio Papa numerentur, non*

æquus

æquus de illis sparsus rumor à Petro Diacono, & priscis citatis (inter quos & S. Fulgentius, de quo quid Orthega scripserit, postea subjungemus) *non æquus hic rumor in causa fuit*. Vt omittam crassum atque ridiculum Orthegæ eiusdem Anacronismum, dum in eodem contextu, esse eundem Rufinum supponit, ad quem Prosperi epistola extat, & contra quem longe antea Diu. Hieronymus scripserat, quem secundum etiam, & si à D. Hieronymo in Apologiis, & à D. Augustino libro 2. de peccato originali Cap. 3. declaratum, Cælestii & Pelagianorum Magistrum, & à Gelasio in Cap. S. Romana in suis scriptis hac de causa reprobatum, suo illo domestico sibi argumento Orthega decernit insontem, *maximè*, inquit, *quia eius Rufini opera à Gennadio laudantur*. Fateor, hæc scripta esse nec crederem, nisi ipse legissem; nec auderem repetere, quæ noster piissimus æque ac sapientissimus Magister Lemos ab huius sæculi initio scribebat, vel se suspicari dicebat, tom. 1. tract. 5. Cap. 2. & sequentibus, cum tamen videam, istum de se cæterisque fateri, tot simul ac tanta, quã ta vel nollem de aliquibus suspicari. An hoc non est supra Prosperi doctrinam approbatam, tum à Sanctis omnibus posterioribus Patribus (quos num. 5. congessimus) tum à Cælestino I. in epistola ad Gallos, tum à Gelasio I. in Romano Concilio Cap. S. Romana, in maiori prætio habere Semipelagiani Gennadi Massiliensis Authoritatem, & scripta Semipelagianorum? An hoc non est communiter reprehensa ea Gennadii eiusdem verba approbare ac promouere, dum ille in libro de viris Illustribus loquens de Sancti Prosperi *libro edito aduersus opuscula Caßiani suppresso nomine Caßiani*, inquiebat, *quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille* (S. Prosper) *infamat nociua?* An quo ad Faustum non minus hoc est, præ Authoritate Gelasii Pontificis, Hormisdę, & aliorum damnantium Fausti doctrinam, & præ Diuo Fulgentio septem libris eundem Faustum improbante, & præ Arauxicano 2. Concilio (in quo eorundem Semipelagianorum errata ut hæretica proscripta fuere) solum Massiliensem ac Semipelagianum Gennadium in authoritatis apice collocare? An his conatibus cohibendis satis esse non poterant, tot illa authoritatum pondera, quæ tam circa Cassiani doctrinam, ac Fausti erroribus fermentatam, congessimus (additis etiam primoribus e sapientissima Societate) libro 5. de approbatione quæst. 3. Art. 5. ad primum argumentum & tertium? An homines tam imprudenter incautos, (ut modeste loquar) retinere non debebat, ac poterat,

saltem

ſaltem integrum Cap. 37. Hincmarri Archiepiſcopi Rhemenſis (cui alioquin in rebus ſimilibus alibi & nimis confidere viſi ſunt) in quo fuſe tranſcriptis Pontificum ac Conciliorum decretis, ac verbis, oſtendit, de damnatis ſemel erroribus, eorumque auctoribus, vel complicibus aliis, non licere iterum retractare ſententias, imo vel fautores eorundem quoſcunque comprimendos eſſe? Sed ipſe nunc malim alia hìc premere potius quam promere, ut parcam ſaltem innocentium aliorum decori ac nomini, & religionis refrænanti modeſtiæ magis, quam ſtimulanti alioquin ſalutaris doctrinæ zelo nunc paream.

Octauo tamen, ut de Diuo Fulgentio non taceam, quem præter iſtum, & ante ſcriptorem iſtum, iam memoratus Hincmarrus non parum, ut vidimus in 7. eiuſdem errato, inhonorifice pertractabat, audiendus venit Theophilus Rainaudus tom. 11. opuſculo 5. inſcripto, *cenſura inofficioſa cenſura*, numero 21. hæc verba ſubſequentia habens: *Sancto Fulgentio familiare eſt, Auguſtini placitis mordicus adhærere, eoque interdum rigore, ut ſententiam, quam verborum cortex præfert, etiamſi duriorem, conquiſita interpretationis alicuius benignitate mollire, & in alium ſenſum trahere, non ſit ſollicitus.* Hæc ille, in quibus ut omittam affictas etiam Auguſtino *ſententias duriores* (à quo parum aberant Maſſilienſes in epiſtolis Hilarij & Proſperi ad Auguſtinum) ut præteream etiam hic ingenue ſaltem laudatum morem ſuum, ac indicatam exterorum quorundam conſuetudinem, *in alium ſenſum trahendi* Auguſtini *ſententias*, pro ſuæ (ut illi putant, & expetebant & illi alij antiquitus, qui *hoc excepto erant admiratores in alijs omnibus factis & dictis*, Auguſtini) pro ſuæ, inquam, *interpratationis alicuius benignitate*; omiſſis his omnibus, ac ſingulis, ſolum expendo & Hincmarrum in ſuo ſeptimo præadducto errato, falſiſſime ſuppoſuiſſe eundem D. Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, viſum eſſe fauere errori Prædeſtinianorum, dum reproborum præordinationem ad pęnam, licet non ad culpam, aſſerebat, cum nollet à ſimili modo loquendi Auguſtini diſcedere, de quo ſimili puncto loco citato Theophilus Rainaudus diſſerebat. Audiat ergo (ſi non alter aliquis) ſaltem Hincmarrus, quanti econuerſo ab alijs Eccleſiæ Patribus D. Fulgentius in Catholica Auguſtini doctrina æſtimatus fuerit, ac modo (non obſtante in ipſum præaudita cenſura) à quocunque Catholico æſtimandus ſit. Omiſſo enim, quod ipſe idem Fulgentius in libris ad Monimum, & de veritate

præ-

prædestinationis, in impugnanda hæresi Semipelagianā simul totus est in refutando Prædestinianorum errore quocunque, uti & Patres Africani in sua epistola Synodica idipsum pręstant, ac laudant eundem Fulgentium, quemadmodum & Ferrandus, qui eum audiuit, post eius mortem scribens eiusdem vitā, capite præsertim 20. & alibi eum eximie, & eiusdem doctrinam, collaudat, in plerisque subinde Concilijs post Fulgentij obitum, idem Fulgentius in auctoritatem legitur commendatus, præsertim in Concilio Parisiensi anno 829. lib. 1. Cap. 23, in Aquisgranensi anno 836. in præfatione, & in additione 11. Cap. 21. Capitulorum Caroli & Ludouici Regis, Sanctus similiter Isidorus Hispalensis Episcopus in libro de viris Illustribus Cap. 13, *Fulgentius* inquit, *Afer Ecclesiæ Ruspensis Episcopus, in confessione fidei clarus, in diuinis scripturis copiose eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac disserendo subtilis, scripsit multa &c*, & post recitatos eiusdem libros concludit: *hoc tantum ex pretiosis doctrina eius floribus carpsimus. Sors melior, cui delitias omnium librorum eius præstiterit Deus*, Diuus Prudentius Episcopus Tricassinus eo ipso tempore scribens, quo Hincmarrus audebat minoris facere Fulgentium, in tractatu contra Erigenam Scotum versus finem Capitis 4. ait: *B. Fulgentius vir absque cunctatione eruditissimus ac fidelissimus*, Capite 9. de eodem *planissimè, plenissimeque respondente ad Monimum* inquit: *falsa esse, quæ tantus Doctor exarauit, de tanto talique Doctore nefas est credere cuius doctrina atque scientia tanto in Ecclesia Catholica honore & amore conualuit, ut de illius scriptis nullus unquam dubitauerit, nullus derogauerit*, uti & similia scribebat idem D. Prudentius in epistola ad Hincmarrum & Pardulum distributa in Capita tredecim, quæ postea in hoc posteriori opere contra Erigenam laudato mox Capite 9. attestabatur *se ante biennium ex Sanctorum Patrum libris, quibusdam fratribus* (scilicet Hincmarro & Pardulo) *consensu Synodi mittere curauisse*. Vnde (ut Scholasticos Theologos taceam hactenus semper in hac pręsertim doctrina de prædestinatione & gratia sine ulla hæsitatione eidem S. Fulgentio ut fidissimo ac veracissimo doctrinæ Augustini discipulo confidentes, quod & Suarez è Societate collaudat prologomeno 6. cap. ultimo nu. 27.) non immerito contra Hincmarrum aut alios huiusmodi in oppositum audentes, D. Remigius etiam cum sua integra Ecclesia Lugdunensi *in tractatu de veritate tenenda scripturarum* grauissimè pro nobis in Capite 8. perorabat his verbis:

[Beatus Antistes & gloriosus Confessor Fulgentius de hac prædestinatione &c. egregium librum scribit: Qui, sicut & cætera eius admiranda & veneranda scripta, semper ab Ecclesia fideliter recepta, & inter scriptores Ecclesiasticos laudabiliter annumeratus. Et nunc nescimus qua ratione, immo infidelitate, & contentione &c. abiiciatur. Et ab eis, qui Catholici videri volunt, tales ac tanti viri Dei, iniquissime iniuria ut spreti, velut quisquiliæ & purgamenta vilissima, conculcentur. Et est nimis mirabile, immo horribile, quomodo, ut suis adinuentionibus & ineptiis credatur, exigant, cum ipsi Beatissimos Patres, & illustrissimos Doctores Ecclesiæ abiecerint: Ac per hoc, nisi se citius corrigere studeant, verissimi hæretici iudicari possunt: Qui fidei, & charitati, & sincerissimæ Patrum doctrinæ non communicant] & cætera plura, quæ ibidem D. Remigius prosequitur, uti & similia in eodem tractatu Cap. 4. præmittebat.

Nono huc redit, aut reuocari iterum potest illud, quod prætactus mox antea Christophorus de Orthega in præcitata controuersia 7. de Prædestinatione disp. 3. quæs. 2. certamine tertio numero 7. subiungebat his verbis: *Certe de Fulgentio Ruspensi Isidorus de viris Illustribus ait, scripsisse septem libros contra Faustum, qui tamen cum nullibi operum Fulgentij, immo nec scriptoris alterius mentione extent, rumore aliquo vago illos Isidorum memorasse verosimilius est;* & post recitatum ad hoc & Trithemium hanc Fulgentii scriptionem attestantem, ut Faustum ab errore reuocaret, *id tamen*, concludit Orthega, *somnio simile esse ostendit noster Guesnai libro 1. Cassiani Illustrati Cap. 63. numero* 18. Sic isti. Somniabant igitur (si hos tantum vigilantiores cæteris audire velimus) somniabant omnes *sexaginta & eo amplius Episcopi Africani* (sic numerati in vita Fulgentii Cap. 20) exules cum eodem Fulgentio in Sardinia, dum in fine suæ epistolæ Synodicæ extantis tomo 9. Bibliothecæ Maximæ, ac de eodem Fulgentio dubio procul intelligentes, ut omnes concedunt, aiebant: *Vnus ex nobis, inquantum Dominus seruis suis rectis gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres aduersus gratiam, & prædestinationem intimastis, vel sentire, vel dicere, tribus libris vestro nomini* (scilicet ad Petrum Diaconum & Patres Scithas cum eodem) *dedicatis sufficienti disputatione respondit, quique aduersus duos libros Fausti Galli septem libros edidit, quos cum recensueritis, agnoscetis protinus, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria Catholicæ fidei penitus inimica*

Zz di-

discussio prodidit, ratio manifesta conuicit, auctoritas diuina compressit, & præcedentium Patrum prorsus consona attestatio consutauit. Somniabat paulo post scribens Ferrandus Diaconus Carthaginensis, qui eiusdem S. Fulgentij discipulus fuit, & statim post mortem eiusdem vitam descripsit inscriptam ad Felicianum in Episcopatu Ruspensi successorem eiusdem Fulgentij, dum Capit. 26 (ut legitur simul in tomo 9. Bibliothecæ) dicebat: *Ita erat B. Fulgentius notior omnibus gentibus, ut duo libri, quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli ostensi à plurimis fratribus, ad Beatum Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere, quam conuincere: quia dubios eius sermones exponere, hoc erat delirantis argumenta conuincere &c.* Somniabat & sæculo immediate sequenti 7. Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus (qui obijt anno 636) dum libro 8. de viris Illustribus Cap. 13. recensens D. Fulgentij libros inquiebat. *E quibus legimus de gratia Dei & libero arbitrio libros responsionum septem: in quibus Fausto Galliæ Reghiensis vrbis Episcopo, Pelagianæ prauitati consentienti, respondens; obnititur eius profundam destruere calliditatem.* Somniabat forsan & iste, dum legebat eosdem libros, & postea se legisse id attestando scribebat, aut saltem vulgi rumoribus confidebat, quod illi libri adessent, dum ipse eosdem in suis manibus habuisse, ac suis oculis perlustrasse asserebat. An forsan ista asseueranti Isidoro (post tot alios) ac de visu testanti, non credere, non esset forsan cum altera Hincmari dehonestatione in eundem Isidorum conuenire (quem Hincmarus pariter in octauo suo errato, ut retulimus, despiciebat)? At præter alia testimonia priorum, & pro Sancto Isidoro Hispalensi sufficeret audire concilium Aquisgranense sub Ludouico Pio, & Parisiense 6, & Toletanum 8. Cap. 2. præ alijs de eodem Isidoro sic dicens: *Nostri sæculi Doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ notissimum decus; præcedentibus ætate postremus, doctrina comparatione non infimus, atque, quod maius est, iam sæculorum finitorum doctissimus, cum reuerentia nominandus Isidorus*, præter alia plura, quæ de eodem habet encomia Braulius Cæsaraugustanus coætaneus eidem Isidoro, ac superuiuens post ipsum. Sed quis ultro iam poterit, si excors non sit, de hoc, quod dicimus, hæsitare? si non obstante conatu quorundam in aduersum, iam nunc incipiunt ijdem septem libri Responsionum

num Fulgentij extumulari, ex quibus fragmenta exscripsit hoc sæculo, ac refert, in Gallijs scribens, atque significans se eos in aliqua Galliarum Bibliotheca latitantes inuenisse, & si fortasse iniuria temporum vel æmulorum, corrosos aut laceros, significat, inquam, Hieronymus Vignerius in præfatione, præmissa ad tomum posteriorem Augustini in Iulianum, ab eodem Vignierio repertum, & evulgatum, qui utinam libri tandem (uti & Henricus Noris, hæc legens ante me in Vignierio eodem, efflagitabat libro 2. Cap. 21.) cum maximo litterarum ac Scholæ Catholicæ Augustinianæ emolumento ex integro editi prodeant, prodantque magis, quam falso in dies quædam commenta cudantur.

Decimo tandem, postquam & de Hincmarro fidente Auctori Prędestinati, ideoque aberrante iam diximus, & de quibusdam aliis, qui si non ab Hincmarro, saltem ab eodem calumniosissimo, in Augustini discipulos, scriptore operis Prædestinati (de recenti reperto editoque à Sirmundo) non parum decepti esse videntur, nunc aliqua postremo & breuiter de Sancto Prospero Aquitano, qui eidem Auctori Prædestinati (ante Marium Mercatorem & alios) respondit, quædam, nec omnino de triuio, subdenda sunt, ex quibus omnia iam scripta superius, ut spero, iterum clariora fient, & totus hic noster labor completus erit. Prosperum itaque, quem Gennadius Massiliensis, ac posteriores exscribentes ex illo, *hominem Aquitanum* nominare solent, & nominamus & ipsi, origine exinde Aquitanum fuisse plerique videntur procerto supponere. Et tamen hæc adeo certa suppositio ex illo à nobis etiam admisso principio non ita bene subinferri videtur. Scimus enim (id obseruante Baronio ac probante ad annum 196. ex Epiphanio hæresi 32, præter Eusebium libro 6. Cap. 11) Clementem, qui Stromata scripsit & alia extantia opera, vulgo communiter appellari *Clementem Alexandrinum*, cum tamen, ut loquitur Epiphanius, & cum eodem Baronius, *fuerit patria Atheniensis, licet ex incolatu Alexandrinus nuncupetur.* Quinimo, præter tot alia exempla sacrorum, ut Saluiani, qui Treuiris oriundus erat, & Massiliensis appellatur, Diui Paulini, qui Burdigali natus, Nolanus vocatur, Hilarii Arelatensis dicti, cum se alterius patriæ in descriptione vitæ Sancti Honorati demonstret, & huiusmodi plurium, præter hæc, inquam, & Diuus Paulus Apostolus Actorum 21. (ut obseruat ac loquitur Hincmarrus in epistola ad Nepotem suum apud Flodoardum libro 3. Cap. 22.) *vocat se*

Iudæum à Tharso Ciliciæ, & tamen natus in oppido Gallilææ Giscali fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigrauit: Nec similia desunt prophanorum exempla, ut Anonymus in vita Apollonii ait: *Apollonium Alexandriæ natum, Rhodium appellatum esse, quia Rhodi versabatur*, & de Possidonio Apamææ nato, & tamen simul dicto *Rhodio*, notat Strabo lib. 16. geographiæ, & de aliis pluribus lib. 14. Quid ergo vetat & Prosperum ab incolatu Aquitanum fuisse, origine autem Carthaginensem? ut ipse Prosper (iuxta Baronium ad annum 399 & 434) in suo volumine de prædictionibus & promissionibus, parte 3. promissione 38 testatur anno 399 *se adfuisse Carthagine cum socijs & amicis, atque, ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat &c. mirum quoddam vidisse, cum Aurelius Antistes Calestis templum dedicauit*, hoc est eo anno 399, quo illa contigit dedicatio, se Carthagine adolescentem extitisse cum aliis conciuibus: An ipse idem Prosper non attestatur, se præter primæuam ab origine patriam, alteram postea ex incolatu habuisse? in carmine, quod inter opera Prosperi ab antiquo adhuc legitur, in tomo 8. Bibliothecæ Maximæ folio 97 sic se habente de Deo in ordine ad seipsum.

Qui patriæ ciuem me dedit alterius.
Sorte patrum occiduum iussus transcurrere mundum
Sub Christi sacris aduena miles eo.

dum nimirum à Carthagine in Aquitaniam à plaga orientali utique in occidentalem aduenit, ibidemque Presbyter prius consecratus fuit, ubi (ne id, ut Prospero possessori rapias, suspiceris hoc carmen Paulini Nolani esse) sane Paulinus Hebromagi urbe Gallica non longe à Burdigala natus, Viennam Galliæ primo profectus, hinc Mediolanum, ac inde Nolam, postea in Hispaniam, demum Nolam reuersus, ubi Episcopus diu mansit, non diceret se ab oriente in occidentem transcurrisse, nec ipse adhuc morans ante annum 395, postquam ibi per triennium manserat, Presbyter ordinatus (ex initio epistolæ 4. ad Ausonium, qui eum regredi in Gallias exhortabatur) aliam quam sibi natiuam patriam agnoscebat dicens: *De foris me patrijs tota trieteri de terris &c.* & mox infra: *nec mihi nunc patrij est (ut vis) obliuio cæli*, nec tandem Prospero (quem Monachum non fuisse omnes supponimus) repugnat id, quod litteraliter in octo postremis versibus eiusdem Prosperi poemate intelligitur, uti nec Paulino tunc Presbytero repugnare supponis. Bene indi-

cant magis Prosperum, quam Paulinum; illa eiusdem metri, de quo agimus, carmina contra Pelagianos, eorumque reliquias.

Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit:
Tu das Christe loqui, tuque pati tribuis,
In nobis nihil audemus, sed fidimus in te,
Quos pugnare iubes, & superare facis:

quæ sanè in Pelagianos carmina, si, ut aliqui suspicantur, Author eorum fuisset Paulinus, dum anno 395 in Hispania erat, idem Paulinus non censeretur scripsisse, tum quia tunc adhuc Pelagiani auditi non erant, exorti solum ad annum 412, tum quia immo Paulinus, dum postea fuit Nolæ Episcopus, epithalamium in nuptiis Iuliani Pelagiani composuit, & à Pelagio etiam aliquam epistolam suscepit anno 405. memoratam à Pelagio apud Augustinum de gratia Christi Cap. 35, ideoque Augustinus, ut Paulinum ab aliqua propensione in prædictos, quam suspicabatur, reuocaret, ut præstitit, scripsit postea anno 417 ad eundem Paulinum Epis. 106. Potius ergo præallata carmina Prospero nostro conueniunt, nec de antiqua eorundem possessione exspoliandus est. Degens itaque Presbyter in Aquitania Prosper ante annum 425 (quo Cassianus in domesticis collationibus inter suos incipiebat contra Augustini doctrinam disputare) se misisse officiosas aliquas ad Augustinum epistolas ex Aquitania in Africam significat in epistola longe posteriori tempore scripta & extante in tomo 7. operum Augustini dicens: *Ignotus quidem tibi facie* (quia anno 399, quo adolescens Prosper morabatur Carthagine, non adhuc Augustinus ab urbe in Africam remearat) *sed iam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone compertus, nam per Sanctum fratrem meum Leuntium diaconum misi epistolas, & recepi: nunc quoque Beatitudini tuæ scribere audeo, non solum salutationis, ut tunc, studio, sed etiam fidei, qua Ecclesia viuit effectu.* Anno inde 425. scripsisse videtur Prosper, tum epistolam ad Demetriadem Virginem, in qua veram Augustini doctrinam de gratia disseminabat, tum epistolam ad Ruffinum, in qua supponit adhuc non editā Cassiani Collationem 13. Semipelagianam, licet de eiusdem domesticis ac priuatis disputationibus lamentetur, sperans tamen ab hoc recessuros Massilienses ob superuenientem librum Augustini de correptione & gratia, ut dicit postea in epist. ad Augustinum. Anno exeunte 426. à Cassiano Massiliæ vulgatis posterioribus Collationibus (quarum tertiadecima præsertim Semipelagiana

erat)

erat) non dum consecrato Honorato in Episcopum, cui Honorato eædem dicatæ erant, ut legitur in præfatione Cassiani, inde Hilarius (qui postea fuit labente anno 429 Arelatensis Episcopus) tunc Abbas Lerinensis Honorati successor, scripsit continuo intra annum 427 suam priorem ad Augustinum epistolam, licet non extantem, quam tamen memorat in posteriori sua extante ad eundem Augustinum dicens: *nec mireris, quod aliter, vel aliqua in hac epistola addidi, quantum puto, quæ in superiori non dixeram: talis est enim nunc eorum definitio*, scilicet Semipelagianorum Massiliæ, quorum exorientes tunc primum contentiones aduersus eiusdem Augustini doctrinam citatissime indicabat. Sed inde anno 428 prolixiorem hanc suam posteriorem extantem epistolam repetiuit, & cum sua misit & aliam extantem Prosperi, quem se rogauisse, ut & ipse scriberet, in eadem sua posteriori profitetur Hilarius, rogans etiam ad se mitti libros Retractationum, ac dicens: *libros, cum editi fuerint, quos de uniuerso opere moliris, quæso, habere mereamur*, quos constat ab Augustino conscriptos intra hunc ipsum annum 428 & 429, prope suæ vitæ finem, ex Possidio in vita Augustini, & ex ipsomet Augustino ad Quodvultdeum in prologo de hæresibus. Anno sequenti 429 (ante cuius finem Hilarius electus fuit Arelatensis Episcopus post Honoratum) aduenerunt ad eundem Hilarium & Prosperum, non procul ab Hilario morantem, pro responsione duo Augustini libri de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ, annoque subsequenti 430 Augustinus in Cælestem patriam receptus fuit. Anno 431 miserunt ad Prosperũ duo Genuenses Camillus & Theodorus suas dubitationes (ut discerent ab eodem) circa mox ante evulgatos prædictos duos Augustini libellos, quos memorant, eisque Prosper immediate respondit. Sed acrior ac impudentior eodem anno superuenit Gallorum libellus imputans inique Augustino 15 Prædestinianos errores, quibus eodem labente anno 431 idẽ Prosper occurrit in responsione ad 15 Gallorum Capitula, simulque ex Augustini operibus collecto libro Sententiarum, qui extat, cum Hilario apud Cælestinum anno 432 cum eisdem libellis Romę adiuit, factaque à Cælestino Synodali consultatione (quam Prosper simul & Liberatus agnoscunt) segregato spurio Euodij libello, veros Augustini libros Cælestinus approbauit, atque ab omni calumnia eiusdem Augustini doctrinam aduersus Semipelagianos vindicauit, mandans eisdem Semipelagianis *resistendum &c.* cuius *Au-*

ctoritate

ctoritate, continuo regrediens Prosper in Aquitaniam, edidit anno 433 suum librum in Cassianum sub nomine Collatoris. Anno 434 Vincentius Auctor Prædestinati contra eundem Prosperum & Hilarium iratus (ob impetratam Cælestini epistolam aduersus Gallos) reposuit probrosum istud opusculum, quod hoc nostro labore examinauimus, eidemque anno 435, Prosper se obuiam dedit in respõsione ad obiectiones Vincentianas; & posterioribus tribus exinde annis vsque ad 439, commentarios in quinquaginta psalmos lucubrauit ac dedit in lucem, in quibus ubique oppugnans hæresim Semipelagianam iterum etiam aliquid Auctori Prædestinati respondet. Anno 439, ex Prospero, & aliis, Gesnericus VVandalorum Rex in Africa, violato cum Romanis fædere, Carthaginem cæpit, & ut describit Victor Vitensis lib. 1. & ut idem loquitur, *tunc Carthaginis Episcopum Quodvultdeum, & maximam turbam clericorum nauibus fractis impositam, nudos atque exspoliatos expelli præcepit: quos Deus miseratione bonitatis suæ, prospera nauigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus est ciuitatem*. Ad hos inuisendos è sua primæua patria profugos, & exules, Prosper, ut credibile est, aduenit in Campaniam, nisi (ut arbitratur Baronius ad annum 444) malimus, *Prosperum à S. Leone è Gallijs accersitum, & in Campaniam missum aduersus Iulianum*, tunc ibi iterum subrepentem. Sane hoc anno 439 idem Prosper vel paulo post in Campania fuit, & ab eisdem suis Carthaginensibus exulibus audiuit, quæ postea de sequutis Carthagine alibi retulit, nempe idem ipse in suo Chronico ad hunc annum 439 inquit: Theodosio XVII & Festo Coss. &c. *Insidijs Iuliani Sixtus Papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit &c.* & de eodem Leone ut hoc anno hortante, & postmodum, cum anno insequenti Pontifex euasisset, sua etiam auctoritate exequente, intelligitur, quod de tempore paulo post sequente idem Prosper deinde scripsit in suo volumine de prædictionibus & promissionibus Dei (quod scriptum esse constat paulo post hæc tempora ex illis eiusdem verbis parte 3. promissione 38 de via templi Cælestis Carthagine: *ipsam viam nunc VVandalica manus euertit*, uti & describebat idipsum Victor Vitensis lib. 1.) in hoc, inquam, volumine in dimidio temporis Cap. 6. dicit: *In Italia quoque nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis & Apostolico honore nominandus Papa Leo Mani hæc subuerteret, & contereret Pelagianos, & maxime Iulianum,*

contigit &c. In quo tamen Capite 6. Prosperi, sicuti constat corrupte legi (in narratione cuiusdam Carthaginensis miraculi) *Aspere VI. Cos: Carthagini constituto*, cum constet Asparem solum anno 434 Consulem legi Constantinopoli, anno vero 431 ex Procopio lib. 1. apud Baronium ad eundem annum, Aspar Carthaginem ex urbe Constātinopoli à Theodosio cum exercitu, & si inutiliter, missus sit, breuique discesserit, ita & illa alia verba Prosperi ibidem mendose leguntur, *ascendente nobiscum sacerdote*, scilicet Carthagine, cum constet Prosperum hisce temporibus in Aquitania prius, postmodum in Campania fuisse, non in Africa, causaque mendi irrepentis fuit, quod cum Prosper scripsisset, *ascendentibus cum Sacerdote*, scilicet puellæ parentibus mox ante nominatis, cum Sacerdote, cui se illi & puellam *in puellarum monasterio sub Præposito* constitutam, commendarant, sic prius transcriptoris incuria, duas separatas nectendo sillabas, relictum est: *ascendenti biscum Sacerdote*, alij vero id corrigere volentes per coniecturam, magis maculauerunt sic restituentes: *ascendente nobiscum sacerdote*, ut modo mendose adhuc legitur: unde soluitur dubitatio quorundam hinc hæsitantium an hi libri nostri S. Prosperi sint, ut hactenus inscripti manserunt, vel alterius contemporanei Prosperi (qui hactenus pro eo tempore inauditus fuit) & facillimè retinentur eidem S. Prospero libri, ut retinuit Bellarminus in Prospero, Baronius ad annū 434 & perpetuo alibi, & longe ante Bellarminum & ante Baronium Cassiodorus in libro diuinarum Lectionum ab initio, & nuper Theophilus Rainaudus erotemate 10. nu. 245 contra Soteallum & paucissimos quosdam recentiores, ex soluta mox dubitatione commotos. Mansit inde Prosper Romæ apud Leonem Pontificem à secretis ut præsul Ecclesiasticus, & , ut reor, & nunc moris est, adminus cum Episcopatus in Galliis titulo, (uti hoc nomine Episcopi vocat Marcellinus in Chronico, & idē titulus legitur in Romano Martyrologio) sic enim à secretis Leoni fuisse testantur Gennadius, Ado Viennensis, Trithemius, & omnes conueniunt, multumque in hoc munere subsequentibus annis S. Prosper laborauit, eo modo, quo & D. Hieronymus epist. 51. inquiebat: *cum in chartis Ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem*. quo tamen prælertim annorum spatio reor S. Prosperum carmina illa ex Augustini sententijs collecta (quæ inter eiusdem opera existunt) concinnauisse per otium.

Dam

Iam autem anno præsertim 444 (ex eodem Prospero in Chronico apud Baronium ad eundem annum) Manichæi Romæ latitantes detecti & compressi fuerant, & anno 447. affines eisdem noui Priscilianistæ (ex epistolis Leonis ad Turribium apud eundem Baronium circa hunc annum) damnati iterum sunt, ex quibus non mirum postea post decem circiter annos Prædestinianam hæresim, ut earum antiquarum propaginem, iterum pululantem in Italiæ ac Galliæ confinijs incæpisse, quam & Lucidus incurrit, postea proscriptus vel correptus ad annum 475. in Concilio Lugdunensi & Arelatensi, & contra quos nouos Priscilianistas, qui & Mathematici erant, admittentes fatum in stellarum influxibus, sine Dei prouidentia & hominum libertate, postmodum scripsisse Prosperum subdimus. Postquam etenim S. Leo Attilam ex deuastata Aquitania, & Aquileia, properantem ad depopulandam Romam anno 452 miraculo percitum(ut probat Baronius ibidem) refrænauit, ac retro cedere fecit, anno postmodum 455. Gelnericus, inique à Placidia aduocatus, ad obsidendam eandem urbem aduenit (quam cæpit, captiuosque nobiles ac spolia in Africam deportauit, uti & lib. 1. Procopius habet) ante obsidionem Leo Pontifex cum suis præsulibus (ut Blondus cum alijs describit decadis primæ libro 2.) *adijt Gesnericum eumque priusquam urbem ingrederetur orauit, ut si libitũ foret, prædam ciuilis gazæ militi permitteret, sacra diuini cultus intacta abstineri curaret: minime tamen valuit Sancti Pontificis auctoritas apud Regem Barbarum & Ariana hæresi inquinatum*, & consequenter per medium ciuilem exercitum in tutum aliorsum se recipere impulsus fuit, *& quatuordecim dies Romanum populum Vrbe abfuisse omnes concordant scriptores*, quibus Roma direpta fuit, redeunte continuo in Africam Gelnerico. Id auxit statim nouis Priscilianistis veluti Mathematicis ansam negandi Dei prouidentiam velut sinentem impios fortunari, probosque puniri, ut eorundem insanas undique diffamationes S. Prosper recensuit in edito ad finem huius eiusdem anni suo Carmine de prouidentia, quod velut fœtum indubitatum Prosperi ad annum 451 etiam Cardinalis Baronius asserebat. In hoc, post inductos contra se, & Catholicos, differentes eosdem, se respondere nominatim & agere *contra Mathematicos* profitetur, ut antiquissime obseruabat etiam Hincmarrus in libro de Prædestinatione in epilogo Cap. 4. & 5. indubitanter censens non minus Auctorem Sanctum Prosperum esse, licet hac ipsa occasione scribat etiam aliquid, tum

contra Nestorianos sub Cælestino damnatos anno 431 in Concilio Ephesino, tum contra Eutichianos mox sub eodem Leone proscriptos anno 451 in Chalcedonensi; ut consulenti inter opera Prosperi hoc carmen cuicunque patebit. Tangit simul eiusdem temporis & sui ipsius circumstantias, dum se velut diu tacentem ad loquendum excitat dicens.

Quæ tam longa tibi pepêrere silentia causa?
Quisque dolor mæstum comprimit ingenium?
Quanquam & iam grauibus non absint carmina curis,
Et proprios habeant tristia corda modos:

Inde rememorat patriæ suæ depopulationem, scilicet vel Carthaginis anno 439 sub eodem Gesnerico, vel Aquitaniæ anno propinquiori 451 sub Attila (ut Baronius intelligit) addens.

Cumque animum patria abijt fumantis imago
Et stetit ante oculos quidquid vbique perit.
Nec parcunt quidam turbarum incessere mentem,
Linguarum & iaculis saucia corda petunt.

hic intelligit Priscilianistas seu Mathematicos in sua hæresi, quos sic contra se præsertim, ac cæteros Catholicos, opponentes inducit.

Dic (aiunt) causas, qui rerum hominumque labores
Arbitrio credis stare, regique Dei? &c.
Si toleranda mali labes, heu cade decenni
VVandalicis gladijs sternimur & Geticis.

scilicet decennium excurrerat ab anno 444, quo primum Attila in damnum Romani imperij suos motus, post occisum Bledam, incoeperat, cum Hunnorum, VVandalorum, Getarum, aliorumque Barbarorum, quos sibi associarat, exercitu, ut ad eundem annum probat Baronius ex Prospero in Chronico, & Marcellino, ac de diuersis Barbarorum nationibus in Attilæ exercitu consuli valent Paulus Diaconus lib. 15, & Sydonius in Panegyrico de Auito, & alia legi possunt in Blondo, ut intelligantur mox ante præmissa duo carmina de vastatione Aquitaniæ & Galliarum;

Si totus Gallos sese effudisset in agros
Oceanus, vastis plus superasset aquis.

Mox peculiariter in Prosperum, qui cum S. Leone, ut diximus, & cum reliquis Præsulibus simul & ipse ut à secretis Pontifici & Præsul, ex urbe, per medios hostium exercitus, discesserat, aiunt.

Tu quoque puluereus plaustra inter & arma Getarum

Car-

Carpebat duram non sine fasce viam,
Cum sacer ille senex plebem, usta pulsus ab urbe,
Ceu pastor laceras duceret exul oues.

Hęc omnia exscripsi,ut videas,cur Trithemius hunc librum aliquando inscriptum legerit *de captiuitate Roma*, & ut nemo amplius dubitet hoc carmen in omnibus Prosperum sui referre parentem. Scio enim Bellarminum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Prospero de hac prosa suspicatum esse in hæc verba: *Liber de prouidentia Dei non videtur Prosperi,sed alicuius ex factione Gallorum, qui Semipelagiani sunt appellati*: *Legat prudens Lector & iudicet*, hæc ille, quibus fidens Henricus Noris (ut forsan alios omittam) libro 2. Cap. 13 suspicatur ulterius Hilarium Arelatensem huius auctorem fuisse (quia supponit ipse, sed nos alibi refutauimus, Hilarium Semipelagianum fuisse:) Sed ut incipiam à noua ista suspicione Noris, ex perpensis hactenus euictum est hoc carmen scriptum fuisse post annum 455, quo Romæ depopulatio sub Gesnerico contigit, Hilarium autem Arelatensem antea obijsse anno 449, vel fatente Noris, res explorata est, ruit ergo de eodem suspicio. Quoad Bellarminum autem dubitantem quidem, sed se Lectoris remittentem iudicio, satis esse videtur sine dubietate hoc carmen Prospero retinuisse Cardinalem Baronium,præter antiquum Hincmarrum, omniaque Prosperi exemplaria manuscripta cōsonare,nec validam aliquam obiectionem urgere, quæ nequeat facili interpretatione dissolui. Suspicionem nimirum aliquibus ingerũt ea carmina in hoc opere inserta.

Primo loco:

Nulla tamen placitos Domino non edidit ætas,
Quos licet ob meritum vita bona multa manerent,
In mortem vitiata tamen natura trahebat
Non prius à primi vinclo absoluenda parentis,
Quam &c. scilicet redemptione Christi:

Secundo loco:

Vnus enim pater est cunctorum: & semine recti
Nemo caret: similesque omnes produxit origo &c.
Scilicet per diuersos status naturæ sub lege naturali
Postea scripta Moysis, postea Euangelica Christi.

Tertio loco:

Filius esse Dei, si vis, potes, omnipotens te
Spiritus umbratum verbi virtute creauit,

Nec te corporeo patrum de semine natum
Iam reputes &c.

Quarto loco:

Iamne Dei compertus amor, diffusaque in omnes
Cura patet? notum & cunctis adstare salutem.
Et tamen, heu, rursus querulis homo garrula verbis
Bella moues, iaculisque tuis tua viscera figis.
Cur non sum bonus? hoc non vis. Cur sum malus? hoc vis. &c.
Erro, ais, & vellem non posse errare &c. & infra.
numquid non semine ab uno
Venimus, aut alia est hominum natura bonorum?

Quinto demum loco:

Si tamen assertoris opem festina voluntas
Praeueniat fletu Dominum motura fideli,
Nam ut nemo inuitus, somnove quietus in alto,
Fit saluus, nec vi petitur qui sponte recessit,
Sic pulsata patent redeuntibus atria vitæ.
Et recipit Cæli seruatos curia ciues.

Hæc apud aliquos suspecta carmina sunt, prima quidem, quia docere cum Pelagio videntur homines etiam ex lege naturæ fuisse iustificatos, secunda in natura adesse semina quædam & initia gratiæ cum Semipelagianis, tertia similiter; quarta indifferenter vocari omnes homines per gratiam, sub conditione tantum si ipsi assentiri velint, ut volebant Massilienses, & quinta demum cum eisdem, auxilium Dei præueniri ab humana voluntate hominis de se petentis &c. Sed perpensis his omnibus, fateor, non video adhuc quomodo Prosper, dum contra Priscilianistas, Mathematicos, eorumque asseclas Prædestinianos, defendere intenderet, cum Dei prouidentia, eiusque victrice gratia, stare etiam hominum libertatem, uti & postea in libris de vocatione Gentium id præstitit, in vero Augustiniano, ac Catholico sensu, hæc singula præadducta proferre ac intelligere non valuerit, cum præsertim idem ipse in fine eiusdem carminis, fortasse præueniens has ipsas instantias, vel ambiguitates auferens, Catholicum suum medium sensum (iuxta Augustini methodum ad Adrumetinos) inter extremè contrarium utrumque errorem Prædestinianum, & Semipelagianum, sic manifeste concludat.

Cuius spem veniæ firmato corde fouentes
Implorate Deum, pugnasque relinquite, fratres,

Ver

Verborum, & lites de prauis sensibus ortas &c.

&post pauca de Christo victore diaboli per redemptionem hominum à peccato & per gratiam suam, inde victo per Christum dæmone ac peccato subiungit.

Cum victo tamen est bellum, si carne vetusta
Exuti, in Christi renouemur, corpus, & omnem
Vincendi nobis vim de victore petamus:

Nota, quæso Lector, ly *omnem vim nobis de victore petamus*, & perge ad id, quod de homine subdit ad Deum:

totum in illum
Se referat, sine quo non stant, qui stare videntur;
Et per quem sparsi coeunt, stratique resurgunt:
Hæc sat erit paruo rudibus scripsisse libello &c.

Nempe satis hæc erant utiq; aduersus rudes Priscilianistas, vel Prædestinianos, ista scripsisse, ita ut tamen non exinde subriperet error iterum Semipelagianus, qualem deinde ætate nostra aliqui in hoc Prosperi carmine suspicati sunt, ea de causa, quam & Augustinus prætangebat libro de gratia Christi Cap. 47. dicens: *ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & de gratia Dei disputatur, ita est ad discernẽdum difficilis, ut quãdo defenditur liberum arbitriũ, negari Dei gratia videatur, quando autem Dei gratia asseritur, liberũ arbitrium putetur auferri*: Ideoque, me consule, & Bellarminus & pauci quidam excusandi in hoc ipso videntur, si forsan trepidauerunt timore (de præadductis carminibus) ubi etiam non erat timor. In illis enim primis nunquam Prosper dixit homines *ex lege naturæ* iustificatos, bene & *in lege naturæ* aliquos per fidem in Messiam futurum, habitamque à Deo ex meritis Christi futuris gratiam, saluos factos esse, quod & passim cum alijs Patribus docuit Augustinus epist. 49. ad Deo gratias quæst. 2. epist. 57. ad Dardanum, epistol. 89. ad Hilarium qu. 2, epist. 157 ad Optatum, libro 3. ad Bonifacium Cap. 4. libro de Catechizandis rudibus Capit. 19, tract. 26. & 45. in Ioannem, & passim repetiuit S. Prosper in duobus libris de vocatione Gentium. In secundis nil aliud intendit nisi quod in psalmo dicitur, *signatum est super nos lumen tuum Domine*, ut etiam per vires naturæ sine supernaturali gratia Dei valeamus cum solo concursu generali Dei aliquod bonum ciuile, vel etiam morale, (licet non conducens ad salutem) elicere & operari, ut late ex Augustino, & Patribus, cum alijs Theologis, & nos propugnauimus tom. 1. dogmaticæ

ticæ lib. 1. quæst. 3. Articulo 2. per totum. In tertijs plane loquitur non de creatione vel generatione naturali hominum, sed de noua recratione vel regeneratione spirituali per gratiam Baptismalem, quam secundam frequentissime legimus in Sanctis Patribus & Cōcilijs, immo & in scriptura laudatam, penes quam in Cap. 1. Ioan. dicitur, *dedit eis potestatem filios Dei fieri &c.* in qua tamen gratia baptismatis suscipienda ab adultis liberum etiam voluntatis arbitrium sine dubio concurrit, ut etiam Tridentinū definiuit, nec aliud hic Prosper intendit. In quartis quoad prima verba de sola gratia aut vocatione generali loquitur, quam agnoscit etiam ac *generalem* nominat idem indubitatus Prosper ad obiectiones Vincentianas, ad 16, nec minus repetit lib. de vocatione Gentium; quoad verba sequentia, post ibi allatas Prædestinianas utique obiectiones hæreticas, eas immediate repellit ac soluit hæc sua carmina interserens.

Libere sed cum recta queas discernere prauis

scilicet per gratiam excitantem & adiuuantem.

Deteriora legis, placitisque improuidus hæres,

& post pauca ad aliam Prædestinianam obiectionem.

Subiacet hac votis sententia; nam penitus te
Aut esse exanimum cupis, aut rationis egenum:
Error enim est eius, qui cessit limite recti,
Quique potest ad iter, Christo ducente, reuerti.

& postmodum infra ad idem.

Nunquid, qui Domino placuerunt moribus almis,
Displicuere sibi? nunquid non semine uno &c.

Idest, tu, qui dicis, te malle sine ratione esse, *& cum boue mutari velles*, ut peccare non posses, uti nec boui imputatur peccatum (de quo similiter legitur disseruisse Euodius apud Augustinum in fine libri primi de libero arbitrio, & initio secundi) cur non vides & alios homines in eadem humana tecum natura, id non cupere, sed gaudere se præ Brutis rationales ac liberos esse? In quintis tandem & postremis carminibus nil aliud suadet Prosper nisi illud, de quo quinque Virgines prudentes in Euangelio laudantur, quæ *accepto oleo cum lampadibus*, ubi cæteræ fatuæ dormitauerunt & dormierunt, præuenerunt ipsæ utique aduentum sponsi, & *cum clamor factus esset ecce sponsus venit, exierunt obuiam sponso &c.* quas apposite afferebat in huius sui sensus Catholici exemplum, idem Prosper in carmine immediate præfixo, ante hoc ipsum carmen de prouidentia,

dentia; collaudans vigilantes, non desides,

Quique ipsum multa cum maiestate tremendum
Expectant pingui cum lampade peruigiles.

in quo sensu, nec excludendo ab huius nostræ vigilantiæ actu, aliam Dei gratiam operantem, aiebat & Augustinus in Enchiridio Cap. 32. *Deus hominis voluntatem, & preparat adiuvandam, & adiuvat preparatam: Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, licet non omnia.* In eodem sensu etiam in psalmo 87 dicebatur ad Deum: *mane oratio mea preueniet te*, & in psalmo 118: ut Augustinus legit: *praueni intempesta nocte &c*, in quem priorem locum idẽ Augustinus inquit: *Iam mane, posteaquam nox infidelitatis & tenebræ transierunt: Quod ut mihi esset, misericordia quidem tua præuenit me, sed quia restat illa clarificatio, ubi illuminabuntur occulta tenebrarum &c. nunc in ista vita, in hac peregrinatione, in hac luce fidei, qua in comparatione tenebrarum infidelium iam dies est, sed in comparatione diei, ubi videbimus facie ad facem, adhuc nox est, adhuc oratio praueniet te*: quemadmodum & repetit fermè in posteriorem locum concione vigesima octaua legendus in psalmum 118. & Prosper ibidem in eundem hunc psalmum mutuatus est. Nulla igitur ex prædictis dubitationibus probat S. Prosperum non scripsisse hoc carmen de prouidentia, conscriptum, ut vidimus, statim post captã à Gesnerico urbem Romam anno 455, vsque ad quem annum idẽ Prosper suum Chronicon prosequutus est, & non ultro, ut probat Baronius ad finem eiusdem anni ex recitato apud ipsum testimonio Cassiodori in libro institution. diuinarum Lectionum Capite 17, & Gennadij de viris Illustribus Cap. 84, licet Prosper attigerit saltem ex Marcellino annum 463, sed tot infaustis euentibus, & Christianorum cladibus, forsan fastiditus, omiserit postea, quæ accidebant, in Chronico litteris obsignare. Sane ab anno 455, vsque ad 461, quo obijt S. Leo Pontifex, gemina, exagitans præsertim Prosperi quietem, tempestas ex hæreticis, post Barbaros, exoriri cæpit, altera ex Semipelagianorum hæresi subdole iterum renascente, altera ex Prædestinianismo ut propagine mox ante detectorum nouorum Priscilianistarum (præter Manichæos affines eisdem) incipiente subnasci, & erumpente postea in Lucido post decennium circiter. Quoad primam enim, Iulianũ Pelagianum prope hæc tempora superuixisse (annorum circiter 66 cum anno 410 Diaconus esset, ex epistola Augustini 131) colligitur ex Gennadio testante Iulianum

obijsse

obijsse *Constantio & Valentiniano Imperantibus*, seu ut legitur in altera editione eiusdem libri facta Basileæ anno 1516, & legerat olim Petrus de Natalibus, *Valentiniano Constantij filio imperante*, qui Valentinianus III. solum anno 454. in Campo Martio per Aetij satellites, fraude Maximi, interemptus fuit. Iam verò idem Iulianus (ex Prospero in Chronico) subrepens in Episcopatum Campaniæ à Sixto Pontifice, hortatu Leonis, tunc Diaconi, postmodum Pontificis, ab Episcopatu reiectus fuerat anno 439, & anno 444, (ex eodem Prospero de promissionibus in dimidio temporis Cap. 6.) à Leone Summo Pontifice *maximè conterebatur*, inde idem Iulianus ab eo tempore, per nos paucos annos, refertur à Vignierio in præfatione præfixa ad postremum opus Augustini in eundem Iulianum, se recepisse in eremum Lerinensem, ut repetitis Ecclesiæ fulminibus se subduceret, ubi Faustus aderat Abbas in Lerinensi Monasterio vsque ad annum 462, quo anno Rhegiensis Episcopus post Maximum idem Faustus institutus fuit, & de hoc Iuliani recessu & effugio apud Faustum, inquit idem Vignierius, extare antiqua *manuscripta testimonia*, quæ se alias prolaturum esse promittit, nec video pro nunc, cur eidem ista testanti quo adhoc credi non deceat. Non mirum inde, uti & Vignierius subiungit, Faustum à Iuliano Pelagiano nouo suo hospite Semipelagiana adminus lue infectum fuisse, & iam post annum hunc, de quo egimus, 455, cœpisse Faustũ non edere quidem, sed scribere clanculo suos libros duos de libero arbitrio Semipelagianos aduersus iam approbatam à Cælestino Augustini doctrinam, ut opportuniori deinde conditione temporũ evulgaret, sicut præstitit postea anno 475 cum Episcopus esset, & sibi opportunissima occasio oblata fuisset suosve dolos occultandi sub apparenti prætextu impugnãdi dumtaxat errores eo anno proscriptos, scilicet Prædestinianos Lucidi tunc correpti in Synodo Arelatensi ac Lugdunensi. Id plane totum ad hæc ipsa tempora Prosper subodoratus est, & indicauit, in duplici Epigrammate ad hunc finem præfixo ante suum carmen de ingratis aduersus suborientem occultè his ipsis temporibus denuo Fausti Semipelagianismum, dum in primo sic loquitur.

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor adussit edax,
Qui caput obscuris contectum utcunque cauernis
Tollere humo miserum perpulit anguiculum

Aut

Aut hunc frugi sua aequorei pauere Britanni;
Aut huic Campano gramine corda tument.

scilicet à Iuliano Campanensi excitatus,

Quae concepta fouet, promat, quae parturit edat:
Seu vetere armatus dogmate, siue nouo.

scilicet vel Pelagiano, vel Semipelagiano.

& in secundo non minus hoc totum indigitat de Fausto, iuxta praemissa subiungens.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini
Carpere, & aduersum condere fertur opus.
Vsque adeone bonum ingenium, & facundia diues
Ostentare artem non aliter potuit,
In noua prostratas acies nisi bella cieret
Impiaque extinctis hostibus arma daret &c.

(uti & in carmine de ingratis id tangit).

Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras

(en titulum librorum Fausti de libero arbitrio)

Velle tuum tibimet sufficere, ut pereas:
Verte gradum, fuge perniciem: stratosque rebelles
Oris Apostolici fulmine ubique vide.

nempe prostratos etiam ex Epistola Decretali Caelestini ad Episcopos Galliae Semipelagianos, & nedum Pelagianos in Ephesino Concilio exauthoratos; & demum ut indicet Abbatem illum scriptorem esse, qui cum pascere suas oues deberet doctrina Catholica, aduersus populi pastorem Augustinum scribere iam incipiebat, concludit.

Si pastorem ouium laedere vis, lupus es.

Incepit igitur Prosper subsequentem de ingratis Prosam, aut Carmen, dicens se scribere aduersum hunc callidum deceptorem:

Ne post confectum celebris victoria bellum
Securos animos incauta pace resoluat,
Seu metus eliso iam nullus ab hoste supersit,
Nec caput attriti virosum palpitet anguis &c.

Et robustissime millenis versibus & elegantissime in hoc opere palpitantem apposite adhuc Semipelagianismum conterit, & pessumdat, praeueniens illos Fausti libros duos Semipelagianos de libero arbitrio, quos parabat hoc tempore, & postea anno 475 sub praetextu solum impugnandi errores Praedestinianos Lucidi evulgauit, proscriptos subinde continuo à S. Gelasio anno 494, & ne dum à

Fulgentio incunte sçculo subsequenti septem libris repercussos, ut vidimus, verum etiam à Sancto Cæsario Arelatensi integro volumine inscripto *de gratia & libero arbitrio ad Papam Felicem*, in quo, ut fateri coactus fuit tandem & ipse Massiliensis Gennadius Cap. 86, *per testimonia diuinarum Scripturarum, Sanctorum Patrum iudicijs munita, docuit, nihil hominem de proprio agere aliquid boni posse, nisi eum diuina gratia praeuenerit: Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roborauit, & in latius promulgauit*, præter alia adhoc adducta à Baronio ad annum 490. consulenda in eodem. Verum ab anno 455. (postquam Prosperum edidisse hoc carmen *de ingratis*, iam vidimus) vsque ad annum 460, quo tempore S. Leo in Cœlos receptus est, noua incipiente suboriri tempestate ad scribendos duos libros de vocatione Gentium permotus fuit. Circa hæc tempora enim, velut nouorum Priscilianistarum (qui anno 447 detecti fuerant, post Manichæos Romæ repertos anno 444) propago subpullulans, error Prædestinianorum subaudiri cæpit, quos non minus ac Priscilianistas etiam Auctor Prædestinati initio sui libri 3. dicebat, *dedisse manus Mathematicis*, ruditer alioquin putantes (in neganda indifferentia libertatis sub prædestinatione vel gratia) se patronum alicubi habere Augustinum, uti & Adrumeti iam anno 417, ex dictis, contigerat, & clarius postea id constitit in Lucido post 15 annos, nempe anno 475. Hos Prosper hoc tempore interim non ita plene detectos adhuc, aut erumpentes, & alioquin non obtrectantes Augustino, ut corrigerentur interim, leniter impugnandos assumpsit, non omittendo tamen Semipelagianos, quos in anteriori iam opusculo *de ingratis* contererat, ideoque nec ita nominans Augustinum, ut alibi, sic exorditur ab initio libri primi de vocatione Gentium: *Inter defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum vertitur quæstio. Quæritur enim: Vtrum velit Deus omnes homines saluos fieri. Et quia negari hoc non potest* (en contra Prædestinianum errorem hic incipit suam Prosper sententiam asserere) *cur voluntas omnipotentis non impleatur inquiritur? Cumque hoc secundum voluntate hominum fieri videatur* (ut in prauo sensu ex alia parte Semipelagiani censebant) *gratia videtur excludi, quæ si meritis redditur, constat eam non donum esse, sed debitum*: En totius huius Operis argumentum, moxque indicatam occasionem eiusdem, & prosequitur in toto doctissimo Opere sic retinere gratiæ victricis necessitatem aduersus Semipelagianos, ut tamen

men per *vocationem generalem*, ut appellat, scilicet sufficientem, principaliter hinc præcludat Prædestinianorum errores, quod qui attenderit, nõ ita approbabit Henrici Norisij verba lib. 2. Cap. 14. de hoc opere, pro sua saltem olim opinione, dicentis: *existimo authorem horum librorum medium quid sapere inter Semipelagianos, & Sanctum Augustinum*: medium etenim & ipse agnosco, sed non hoc modo, sed illo, quo Augustinus scribens ad Adrumetinos præsertim epistola 47 suadebat, *neque in dexteram, neque in sinistram declinandum esse*, neque scilicet, ut ibidem explicabat, in Semipelagianum, neque in Prædestinianum errorem, imo in medio sistendũ, ut supra fusius expendebamus sect. 1. Art. 2. §. 1. per totum. Nec obstant cum Vossio exaggeratæ obiectiones ab eodem, quas quilibet potest videre solutas apud Patrem Quisnellium dissertatione 2. de Auctore librorum de vocatione gentium, ipseque adderem, eam inter omnes præcipuam, quod libro 2. Cap. 20. & 23. *communem gratiam seu generalem admittat vocationem*, non solum facillime solui, sed retorqueri, quia & Augustinus libro de prædestin. Sanctorum Cap. 5. hanc sufficientem communem gratiam significat dicens: *gratia discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis & malis*, & indubitatus idem Prosper ad 16. obiectionem Vincentianam pariter *generalitatem vocationis* & nominat, & astruit, quod hoc loco reperiuit. Inde cum videam omnes antiquos hucusque sine hæsitatione hos libros velut Prosperi recognouisse, non video, cur de recenti eidem nunc valeant denegari, quemadmodum iam omnem etiam præcluserat de hoc hæsitationem Doctor Louaniensis Ioa. Hesseles in præfatione ad opera Prosperi, inter cætera dicens: *in Bibliotheca regularium Sancti Martini Louanij, & in Bibliotheca Abbatia Combonensis, nec non in Bneffiensi Abbatia apud Naurarcum, in antiquissimis exemplaribus haberi nomine Prosperi*; omissisque cæteris, affero solum nunc ipse, quod consone ad omnia, quæ circa Prosperum ab anno 455 usque ad annum 460 hactenus indicabamus, habet & Photius in Codice 53, ubi post memoratam Cælestini epistolam ad Galliæ Episcopos anno 432 contra Pelagianorum reliquias, & post subiunctam posteriorem Leonis epistolam in eosdem Pelagianos ad Septimium Istriæ Episcopum anno 447, inde alludens ad hæc posteriora tempora proxima morti Sancti Leonis, denuoque supponens, tum reuiuiscentem Semipelagianam hæresim in Fausto, tum Prædestinianam in Priscilianistarum propagine, in-

quit: *Post non diu rursum veluti existere, atque renasci è mala radice impudenter cum capisset, Romæ etiam quidam pro hæresi libere loquuti sunt, quos Prosper, homo sane diuinus, libellis aduersus eos in vulgus editis, facile dissipauit, Leone etiamnum, quem diximus, Romanam Sedem gubernante &c.* Quæ non nisi de his libris hoc tempore editis intelligi valent. Tandem mortuo S. Leone (cui à secretis Prosper erat) labente anno 461, & per duos vel paulo amplius annos superuiuente adhuc Prospero (si Marcellino Comiti in Chronico ad annum 463. adhæreamus,) ultimo hoc tempore idem Prosper pro postremo opere edidit libros tres de vita contemplatiua, inter eiusdem opera extantes, in quorum 2. Cap. 9. collaudat egregie ut antea defunctos tum D. Paulinum Nolanum Episcopum, qui obierat anno 431, tum S. Hilarium Episcopum Arelatensem, qui pariter diem clauserat extremum anno 449; & libro 3. Cap. 31. amplissimis encomijs S. Augustini doctrinam exornat, *quam*, inquit, *pro possibilitate secutus sum*, ut sanè semper præstiterat tenacissime Prosper, & alioquin hactenus, velut Prosperi eiusdem fœtus legitimi, hi tres libri ab antiquis etiam collaudati leguntur, uti inter cæteros legi possunt Codogangus Episcopus Metensis in libro de Laicali institutione, Theodulphus Aurelianensis scribens de Spiritu Sancto anno 809, Synodus Aquisgranensis sub Ludouico Pio, & Synodus Parisiensis simul sub Lothario lib. 3. Cap. 9, Trithemius etiam in Prospero consentit, & Bellarminus, cęterique scriptores conueniūt, præter paucissimos recentiores ex eo solum permotos, quod Isidorus Cap. 12 de scriptoribus, inter Iuliani Pomerij Mauri libros hos etiam adnumeret, & nuncupet: *tres libros de futura vita contemplatione, vel actuali conuersatione, necnon etiam de vitijs & virtutibus*; ac si diuersa non adsint quamplurium scriptorum & Patrum opera sub eodem titulo inscripta, & edita, & tamen non easdem res, vel saltem non eadem doctrina vel methodo pertractantia, nec consequenter in eundem coincidentia scriptorem, præterquamquod horum, de quibus agimus, librorum Auctor *se Augustinum sequutum esse* testatur, Pomerius autem profecto Augustinum in suis libris sesequutum esse non diceret, dum in libro de anima, aduersarijs fatentibus, & ut Isidorus attestatur, ac loquitur, *Tertulliani erroribus consentiens animam corpoream esse dixit*, quem in Pomerio errorem eodem tempore redarguit, tum Claudianus Mamercus, tum S. Auitus Archiepiscopus Viennensis, & alij. Neque alioquin idem omni

no

no est titulus, quo inscribuntur tres libri Pomerij *de futura vita contemplatione*, & quo inscribit ipsemet Prosper suos *de vita contemplatiua*, de qua etiam in Prologo se principaliter acturum esse pollicebatur, *quæ*, inquit, *sit vita contemplatiua proprietas*, *& quid inter ipsam actiuam* (nempe in hac vita) *& actiuam vitam intersit: utrum is, cui Ecclesia regenda cura commissa est, contemplatiuæ virtutis fieri particeps possit, &c*, nec consequenter ijdem sunt Prosperi Pomerijque libri, ut pauci illi recentiores cum Theophilo Rainaudo Erotemate X. suspicati sunt. Hic igitur (ut quod assumpsi concludam) ille idem S. Prosper est, qui, iuxta præmissa, Auctori etiam Prædestinati (de quo agendum assumpsimus) respondebat, dum ad obiectiones Vincentianas respondit, quam etiam integram Responsionem, ut cum præauditis Semipelagiani eiusdem Auctoris Prædestinati obiectionibus conferas, Lector, ad finem huius nostri Operis habes, ut legas, (cum breuissima sit) quemadmodum & Librum sextum Hypomnesticon, seu Hipognosticon (crediti Mercatoris) in tom. 7. operum Augustini ex integro respondentem, legere vales, & Vale.

FINIS.

SAN-

SANCTI PROSPERI

RESPONSIO

AD XVI. OBIECTIONES VINCENTIANAS

Hoc est ad Vincentium Semipelagianum Auctorem Operis Prædestinati iuxta præostensa superius.

QVidam Christianæ ac fraternæ charitatis obliti in tantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, ut suam se euertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt sententijs comprehendunt, ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publice priuatimque circumferunt asserentes talia esse in nostro sensu, qualia diabolico indiculo continentur. Quæ falso in nos ad excitandam inuidiam iactitari facile & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis, nisi malignitas eorũ, qui se grauari putant, si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ breuitatem suspectam esset habitura. Vndene huius querelæ inueniretur occasio, necessarium conuenienſque credidimus, ut siue ad calumniantium animos mitigandos, siue ad eos, quorum auribus tale aliquid insonuit, instruendos, quantum adiuvante Domino fieri poterit, plene lucideque pandamus, quid de peruersis definitionibus iudicemus. Propositis ergo singilatim sexdecim articulis sub unoquoque eorum sensus nostri & fidei, quã contra Pelagianos ex Apostolicę Sedis auctoritate defendimus, verba ponemus, ut qui paululum sese ad hæc legenda ocupare dignati fuerint, euidenter agnoscant impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium: & blasphemias, quas perspexerint nostra professione damnari, in earumdem Repertoribus debere puniri censeant.

A R.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum redemptione sit passus.

RESponsio. Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata est natura, & unde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum, potens, & singulare remedium est, mors filij Dei Domini nostri Iesu Christi, qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam precij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque per unam omnium naturam, omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam redempti omnes recte dicantur, non tamen omnes à captiuitate sunt eruti: redemptionis proprietas haud dubium penes illos est, de quibus princeps huius mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non impensa est humano generi, ut ad redemptionem eius etiam, qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita ut quod per unum exemplum gestum est pro uniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur non proficit.

ARTICVLVS II.

Quod Deus nolit omnes saluare, etiamsi omnes saluari velint.

RESponsio. Cum veritas dicat: si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cælestis dabit bona petentibus se? Quomodo fieri potest ut Deus, qui etiam illos saluat, de quibus dici nō potest, quod saluari velint, nolit aliquos saluare, qui etiam saluari velint, nisi (*pro voluntate consequente*) aliquæ causæ existant? De quibus quamuis sint nobis innoscibiles, ita tamen iudicat, de quo dici non potest aliter eum quicquam

facere

facere debuisse quam fecerit. Remota ergo hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sincerissime credendum est, atque profitendum, Deum velle ut omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, solicitè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum: quod multi saluantur, saluantis est donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia: ut autem reus iustificetur, ineffabilis gratia Dei est.

ARTICVLVS III.

Quod Deus maiorem partem generis humani adhoc creet, ut illam perdat in æternum.

RESponsio. Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut pereat: quia alia causa est nascendi, & alia pereundi. Vt enim nascantur homines, est benefitium; ut autem pereant, præuaricatoris est vitium. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata est natura, omnes peccauerunt, eademque sententia, quam ille accepit, obstricti sunt: neque ab hoc vinculo, etiam si proprijs pecccatis careant, resolvuntur, nisi in Sacramento mortis & resurrectionis Christi per Spiritum Sanctum renascantur. Nimis ergo impius & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab authore naturæ, à quo prorsus alienum est quicquid in unoquoque damnandum est. Creat enim ut sint homines, nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonæ voluntatis suæ, reparaturus in multis, quod ipse fecit: puniturus in multis, quod ipse non fecit: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores, constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam iusti constituentur multi.

ARTICVLVS IV.

Quod maior par generis humani adhoc creetur à Deo, ut non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.

RESponsio. Insanum & omnino contra rationem est dicere, voluntatem Dei fieri, non ex voluntate Dei, & damnatorem diaboli.

diaboli, eiusque famulorum, velle, ut diabolo seruiatur. Sed Catholicis Pelagiani consequenter se obijcere existimant, qui Adæ peccatum in omnes transisse diffugiunt, quoniam si primam natiuitatem originalis culpa non obliget, non sunt obnoxii diabolo parvuli, nec indigent erui de potestate tenebrarum, qui numquam à suo authore discesserunt. Nos autem qui omnes in Adam periisse profitemur (venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat,) nec dicimus ideo creari hominem quenquã, ut diaboli faciat voluntatem, & agnoscimus non redemptum diabolo esse captivum: præuaricatio enim hominum dispositæ à seculis creationis ordinem turbare non potuit: & merito creatura peccatrix pænalem quidem illius damnationem patitur, cui relicto vero Deo, sponte se vendidit. Hæc scilicet seruitus non institutio Dei est, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli facta est, decepto & male credulo homini pœna peccati, de quo nemo eruitur, nisi per mediatorem Dei & hominũ, hominem Iesum Christum: cuius gratuita gratia & multorum malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis præuenitur.

ARTICVLVS V.

Quod peccatorum nostrorum author sit Deus, & quod malam voluntatem faciat hominum, plasmet substantiam, quæ naturali motu non possit nisi peccare.

RESponsio. Huius quoque obiectionis vanitas de illa procedit schola, in qua natura humana immunis à peccato Adæ & illæsa defenditur: ut quia omnes homines præuaricationis reos & damnationis obnoxios nasci, periturosque, nisi in Christo renascantur, asserimus, eundem videamur authorem dicere culpæ, quem profitemur esse conditorem naturæ. Quod nos à sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum iustum, bonum, sic humanæ substantiæ, & interiorum exteriorumq; sensuum nouimus Creatorem, ut prorsus ab illo sit quidquid pertinet ad naturam: & prorsus ab illo non sit quicquid est contra naturam. Peccatum autem contra naturam est, de quo mors & omnia, quæ sunt mortis, oriuntur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientiaque priuatum in suas promissiones diabolus à lege Dei traduxit, omniaque sibi posteritatis eius germina, per conditionem deprauatæ stirpis extin-

xit. Vnde si quã in Christo noua creatura est, libera fit à diabolo: ut subijciatur Deo reformata à deformitate sua ad imaginem eius, qui creauit eam. Quod nisi fiat, remanet in illo, in quo omnes moriuntur, non habens sortem in illo, in quo omnes viuificantur. Non ergo cuiusque peccati author Deus est, sed naturæ creator. Quæ cum potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria voluntate se subdidit. Nec naturali sed captiuo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato & viuat Deo. Quod sine gratia Dei facere non potest, quia libertatem, quam perdidit, nisi in Christo liberata non capit. Non est enim aliud nomen sub cęlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri.

ARTICVLVS VI.

Quod Deus in omnibus tale plasmet arbitrium quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit vel velit nisi malum.

RESponsio. Totus quidem mundus, sicut inquit Apostolus Ioannes, in maligno positus est, & multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonum, qualibus dicebat Ioannes: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Et vos de diabolo patre estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. Sed hoc inter malos homines, & dęmones distat, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus nulla seruata est conuersio. Sicut enim præuaricatoribus Angelis non indidit Deus illam, in qua in veritate non steterunt, voluntatem: ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit. Mendacium ergo de proprio loquitur, & liber à mendacio non erit nisi eum veritas liberauerit.

ARTICVLVS VII.

Quod hæc sit voluntas Dei ut magna pars Christianorum salua esse nec velit nec possit.

RESponsio. Si de his hoc dicitur, qui pietatem Christianæ conuersationis & fidei deserentes, in prophanos errores, aut in damnabiles mores irreuocabiliter transierunt, non dubium est,

quod

quod talem voluntatem habentes, salui esse nolunt: & quamdiu salui esse nolunt, salui esse non possunt. Sed nullo modo credendum est huiusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse, cum potius Dominus alleuat omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo est voluntas, ut in bona voluntate maneāt, qui & priusquam deseratur, neminem deserit, & multos desertores ad se conuertit.

ARTICVLVS VIII.

Quod nolit Deus ut omnes Catholici in fide Catholica perseuerent, sed velit ut magna pars exinde apostatet.

RESponsio. Non est dissimilis impietas huius blasphemiæ à precedenti sententia, quod ergo ad illam, hoc etiam ad istam, quæ in nullo est diuersa, responsum sit.

ARTICVLVS IX.

Quod velit Deus, ut magna pars Sanctorum à sanctitatis proposito ruat.

RESponsio. Nec huius definitionis insania aliud sonat, quam gemina præcedens obiectio prætendebat. Vnde mirandum est obijcientem tertio repetijsse, quod semel dixisse suffecerat. Sed, ut res est, numerum criminationis augere voluit, quia sensum variare non potuit.

ARTICVLVS X.

Quod adulteria & corruptella Virginum sacrarum, ideo contingant, quia Deus illas ad hoc prædestinauit, ut caderent.

RESponsio. Detestanda & abominanda est opinio, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut male actionis, credit authorem, cuius prædestinatio numquam extra bonitatem, numquam extra iustitiam est. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veri-

tas. Adulteria enim matronarum, & corruptellas virginum, non instruere nouit sancta diuinitas, sed damnare: nec disponere sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentijs & cupiditatibus seruiunt, quas ab illa prima voluntariæ prçuaricationis labe traxerunt. Cum autem declinant à malo & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur, ut viam eius velint. Propter quod dicit Apostolus: oramus autem ad Dominum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis. Non enim casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitauit, aut impulit. Sed plane prædestinauit iudicium suum, quo unicuique retributurus est prout gessit siue bonum siue malum. Quod iudicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem iudicium manifestissime:& omnis homo, quem discretio diuinæ sententiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur, quia non Dei sed suam executus est voluntatem.

ARTICVLVS XI.

Quod quando patres incestant filias, & matres filÿ, vel quando serui Dominos occidunt, ideo fiat, quia Deus prædestinauit ut ita fieret.

RESponsio. Si diabolo objiceretur, quod talium facinorum ipse author, ipse esset inuentor, puto quod aliqua ratione hac se posset exonerare inuidia, & talium scelerum patratores de ipsorum voluntate conuinceret: quia & si delectatus sit furore peccantium, probaret tamen, se non influisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quaue dementia, definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in toto ascribi potest? qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est esse generator? Nihil ergo talium negociorum Deus prædestinauit ut fieret, nec illam animam turpiter nequiterque victuram ad hoc ut taliter viueret, præparauit, sed talem futuram non ignorauit, & de tali se iuste iudicaturum esse præsciuit. Atque ita ad prædestinationem eius nihil amplius referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

ARTICVLVS XII.

Quod Dei prædestinatione de filijs Dei efficiantur filij diaboli, & de templo Spiritus Sancti templa dæmonum, & de membris Christi, membra Meretricis.

Responsio. Prædestinatio Dei, & si apud nos, qui dum præsentis vitæ periculis versamur, incerta est, apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet, nec quæ illuminauit obcœcat, nec quæ ædificauit destruit, nec quæ plantauit euellit. Sine enim pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: Et firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius. Nullo ergo modo prædestinatio Dei facit ut aliqui ex filijs Dei sint filij diaboli, aut ex templo Spiritus Sancti templa fiant diaboli, aut ex membris Christi membra meretricis: Sed potius prædestinatio facit, ut ex filijs diaboli fiant filij Dei, & ex templo dæmonum templum Spiritus Sancti, & ex membris meretricis membra fiant Christi: quia ipse alligat fortem, & vasa eius rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, & transferens de contumelia in gloriam. Hi autem de quibus dicitur: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: essent autem prædestinati, si reuersuri essent, & in sanctitate, ac veritate mansuri: ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi.

ARTICVLVS XIII.

Quod omnes illi fideles & Sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, qui ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo id facere videntur, sed ipsius vitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.

Responsio. Idem Spiritus blasphemiarum perseuerat, & à præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit. Quam prorsus vera ratio reprobat, & incunctanter sana doctrina condemnat: quia omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanitate ad turpitudinem relapsis, & ante finem vitæ nulla emundatione purgatis,

gatis,

gatis, nihil aliud quam æterna mors debetur. Sed nefas est Deo aſcribere cauſas talium ruinarum: qui & ſi ex æterna ſcientia præcognitum habet quid uniuſcuiuſque meritis retributurus ſit, nemini tamen per hoc quod falli non poteſt, aut neceſſitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iuſtitia & pietate quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio, ſua concupiſcentia atrahitur, ſua perſuaſione decipitur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil Spiritus Sanctus. Nec in tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit: cuius ope ſcimus multos ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulſos.

ARTICVLVS XIV.

Quod pars illa magna Chriſtianorum Catholicorum fidelium atque ſanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædeſtinata eſt, etiam ſi petat à Deo ſanctitatis perſeuerantiam, non impetrabit, eo quod mutari non poteſt diuina prædeſtinatio, quæ illos præordinauit, præoptauit, præaptauit ut caderent.

Reſponſio. Ad præuaricationem legis, ac neglectum religionis, ad corruptelam diſciplinæ, ad deſertionem fidei, ad perpetrationem cuiuſcunque peccati, nulla eſt omnino prædeſtinatio Dei, nec fieri poteſt, ut per quem à talibus malis ſurgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in ſanctitate viuitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis permanetur, manifeſtum eſt munus Dei, ſine quo nullius boni operis fructus aquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata tranſitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum non deſerit antequam deſerat, & facit plerumque ne deſerat, aut etiam ſi diſceſſerit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum inueſtigare, cum ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quod ſtatur, & non eſſe ab illo quod ruitur.

A R-

ARTICVLVS XV.

Quod omnes illi fideles & sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postquam ceciderunt, sic ab eo dispensentur, ne possint, vel velint per pœnitentiam liberari.

RESponsio. Non veraciter nec sapienter hoc dicitur. Qui enim à fide & sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt, & dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerunt, sponte patiuntur. Si qui autem cupiditatem suã gemunt, & iudicantes semetipsos ad misericordiam Domini mutato corde confugiunt, non sine spiritu diuinæ visitationis hoc faciũt. Hæc enim est mutatio dexteræ excelsi, qui innumeris lapsis dat pœnitentiam, ut resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui detinebantur ad ipsius voluntatem. Nemini autem Deus adimit correctionis viam, nec quenquam boni possibilitate dispoliat, quia qui se à Deo auertit, ipse, & velle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant, qui talia obiiciunt, ut Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipientiam abstulerit, & quos non leuauerit, alliserit: cum aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo: aliud est criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

ARTICVLVS XVI.

Quod magna pars illa fidelium atque Sanctorum, quæ ad æternam mortem prædestinata est, quando dicit in oratione dominica: Fiat voluntas tua: nihil aliud agit nisi contra se petit: id est ut cadant, & ruant, quia voluntas Dei est, ut morte æterna pereant.

RESponsio. Non hoc veritas dicit, quod hæc voluntas Dei sit, ut fideles & Sancti à fide atque innocentia ruant, & pereant in æternum. Sed veritas dicit: hæc est voluntas eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Quod ergo pater filio dedit, filius omnino non perdidit: idem enim dicit: omne quod dat mihi pater,

ad

ad me veniet, & non eiiciam foras. Quod si per generalitatem vocationis, & per abundātiam bonitatis Dei, etiam non perseueraturi perseueraturis admixti sunt, hi cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt, nec impelluntur ut cadant, nec eiiciuntur ut deserant. Casuri tamen, & recessuri ab eo, qui falli non potest, præsciuntur. Quamdiu itaque in oratione dominica dicunt. Fiat voluntas tua: non hoc contra se petunt, quod Deus nulla ratione facturus est, ut cadant, & ruant. Hæc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummata libertas. Sed plane illud contra se petunt, quod diuinæ voluntatis esse dubium non est, ut scilicet cum venerit filius hominis in maiestate sua, & sederit super thronum gloriæ suæ, congregentur ante eum omnes gentes, ut separet eos abinuicem, alios ad dextram, alios statuat ad sinistram. Et audient eum dextri dicentem. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Audient & sinistri, discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Igitur qui non sunt facturi voluntatem Dei, & petunt ut fiat voluntas Dei, in eo quod voluntate Dei faciendum est, audiuntur, ut imitatores diaboli cum diabolo iudicentur. Qui enim spreuerunt voluntatem Dei inuitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem.